DE
ESTHERAE LIBRO

ET AD EVM QVAE PERTINENT

VATICINIIS ET PSALMIS

LIBRI TRES

QVOS SCRIPSIT

D. IOANNES ANSELMVS NICKES

ORDINIS SANCTI BENEDICTI E CONGREGATIONE CASINENSI
MONACHVS ET PRESBYTER.

PARS PRIOR

DE LIBRO ESTHERAE

CVM EXCVRSV

DE CHANANAEORVM SCYTHARVMQVE DEIS.

ROMAE

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLVI.

Cum Opus cui titulus: *De Estherae Libro et ad eum quae pertinent Vaticiniis et Psalmis libri III* a P. D. Ioanne Anselmo Nickès O. S. Benedicti nostrae Congregationis Monacho compositum, RR. PP. D. Eldradus De Fazy Abbas S. Mariae Cesenae Provinciaeque Romanae Visitator, et D. Angelus Pescetelli Abbas S. Mariae Farfensis, Congregationis Casinensis Procurator Generalis, quibus a Dieta commissum fuerat, recognoverint; cumque nihil in eo a catholica fide nihil a bonis moribus absonum deprehenderint, et in lucem edi posse in scriptis probaverint: ut typis mandetur, si caeteris quorum interest videbitur, concedimus.

Datum ex Proto Monasterio S. Scholasticae Sublaci 20. Februarii 1856.

D. Petrus Casaretto Abbas O. S. Benedicti
et Praeses Congr. Casinensis.

D. Columbanus Canevello
Pro-Cancell. Congr. Cas.

AD

EMINENTISSIMVM ET REVERENDISSIMVM

D. D.

HIERONYMVM DE ANDREA

S. R. E.

PRESBYTERVM CARDINALEM

TITVLO S. AGNETIS

SACRAE CONGREGATIONIS INDICIS

PRAEFECTVM

ABBATEM COMMENDATARIVM ET ORDINARIVM
SVBLACENSEM ETC. ETC.

SVMMVM VIRVM

DE

LITTERARVM SACRARVM STVDIIS

OPTIME MERITVM.

Quamquam non eram nescius, Eminentissime Princeps, multum te hoc tempore et in diiudicandis gravissimis causis esse occupatum; tamen libentissimo animo feci, ut ad te historicas has criticasque disputationes scriberem. Nam tertio die ex quo Romam veni, quum a suavissimo et clarissimo homine patre meo Simplicio Pappalettere ad te adductus essem: primum non minus morum tuorum quam Latini sermonis facilitate delectatus, deinde vero, perspecta illico summa tua fide ac religione, tantopere commotus sum, ut prorsus nescirem, utrum te diligere magis, an revereri ac venerari deberem. Quam animi mei sententiam sic tibi statim aperire ausus sum, ut hos libros, qui quarto tum mihi mense in manibus erant, modo id fieri te non nolle sentirem, me ad te potissimum scripturum esse dicerem.

Quod velle te tum significasti, me id nunc potuisse facere vehementer laetor. Nam de otio tuo, quid est, quod iustam mihi ullam amplius afferre dubitationem possit? Quoniam enim consuetudinis tuae esse cognovimus, animum ex quotidianis illis occupationibus ad litterarum studia revocare; pro veteri et eximia tua vel benignitate in nos vel comitate sperare possumus, ubi primum quid otii nactus sis, id te ad legenda nostra, quantulacumque sint, collaturum. Quodsi autem quum tibi hoc investigationum genus, tum vero etiam Pio IX. Pontifici Optimo Maximo probatum esse intellexero: illud me praemium consecutum arbitrabor, quod pro susceptis laboribus unum licitum est ab hominibus exspectare.

Ita animo affectus, summa cum reverentia ac pietate sacrae purpurae tuae oram osculor.

PRAEFATIO

Quum saepius ex incepto depellerer scribendi cursu atque aliis obrui officiis laboribusque viderer: non sine divino consilio factum esse arbitror, ut portum repente felicem et beatum et sanctum eumdem ac quietis et tranquillitatis plenissimum conspicari possem. Itaque confestim ad id, quo iamdiu tetenderam, vela dedi, ut in portum illum et meipsum ex huius temporis fluctibus et studia mea ex perturbationum varietate conferrem. Nam praeter DEVM hanc summam Abbati s. Pauli de Vrbe Monachisque gratiam habeo, quod ei tam benigno in me tamque excelso animo fuerunt, ut eorum alter et suum me et beati Benedicti filium recipere, alteri perpetuum totius vitae socium germanumque intueri vellent. Quo tanto beneficio quae et quam insperata sim vel religionis pietatisque praesidia vel litterarum omnium generum adiumenta consecutus, ne significari quidem paucis verbis potest. Quid enim ei, qui plurimum studiis tenetur theologicis, nec philologicis mediocriter delectatur, aut tam gratum esse potest, quam Romanorum posse antiquitati operam dare Romae, quae una in omnibus terris diligentissima semper fuit veterum monumentorum custos praeses ac conservatrix? aut tam iu-

cundum, quam litteris sacris librisque patrum sese abdere in ea urbe, ubi incredibilis quaedam est quum optimorum codicum tum antiquissimorum abundantia? aut tam expetendum vel ad virtutum vel ad litterarum inflammandum amorem, quam hominum sanctorum in animum revocare memoriam, et quorum legimus scripta, obire vestigia, videre sepulcra, reliquias colere aut venerari aut osculari? Quid tam porro suave, tam salutare, tam exoptandum, quam duorum Apostolorum non solum precationum communione frui, verum etiam vicinitate et, prope dicam, familiaritate gaudere, atque unius, quem DOMINVS ducem fidei totiusque ecclesiae principem creavit, aedem frequentare splendidam illam atque amplissimam: alterius, quem idem ille doctorem gentium et doctrinae sacrae inspiratum magistrum esse voluit, ossa pulveresque fortiter religiose ac pia cum veneratione custodire? Quid autem tantopere vel ad incitandam industriam vel ad assiduitatem confirmandam valet, quam in oculis versari Summi Pontificis, admoneri ab eis *) qui sunt supremi in ecclesia consilii participes, ab eruditissimis denique hominibus, quorum numquam frequentia non est maxima, commoveri stimulari impelli? Quid vero de ordine sancti patris nostri Benedicti loquar? Qui unus in turbulentis illis temporibus, quum omnia et liberalissima humanitatis et sanctissima divinarum litterarum studia e vita societateque hominum omnino effugere viderentur, primo ea benigno et honorifico ho-

---

*) Si a nobis *eis*, *ei*, *dei* pro *iis ii dii* et eiusmodi alia scripta videris, cave ea ut a vulgari aequalium nostrorum, sic a vero veterum scribendi modo abhorrere credas.

spitio ac cepit, neque postea umquam per tredecim saecula non acerrime id egit, ut et sedem eis amplam ac domicilia praeberet illustria, et cultum adhiberet ut dignum se sic debitum illis, et fortem sese eorum praestaret ubique vel praeconem vel tutorem vel defensorem. Qui homines tum omni ornatos decore virtutis tum mira doctrinarum praeditos copia tot extulit tamque innumerabiles, ut ad quodcumque vel optimarum artium genus vel sacrarum litterarum studium animum converteris, difficile sit eligere, cuius potissimum similis esse velis. Et studium meum profecto ad has investigationes non magis hac tantorum virorum recordatione quam magna illa ac singulari auctoritate urbis concitatum est, quod, etsi minus hae investigationes ipsae testantur, verius tamen possum ego confiteri.

Sed dicendum est de instituto meo breviter. Quoniam igitur vel infirmatam valde canonici libri Estherae fidem historicam, vel demptam ac sublatam viderem omnino ab eis, quorum partim in historia scribenda partim in explicandis libris sacris haud parva sane apud homines nostros existimatio est: illud primum munus suscepi, ut praeclarissimo huic libro illam in historia auctoritatem, quoad possem, plenam integram àc perfectam restituerem. Quod quidem perfici a me non aliter posse intellexi, nisi longioribus quibusdam interiectis disputationibus, quae et ipsae per se cognitione haud indignae esse videantur, et sunt ad argumentationem nostram necessariae. Secundo libro deinde et tertio ex veteri testamento vaticinia deprompsimus et psalmos, quae ad victoriam Mardochaicam nobis pertinere visa sunt. Sed ita ea illustranda putavimus, non ut exili quadam et ex-

sangui explicatione verborum sententiarum vis ac robur exhauriretur, sed ut illud tantummodo appareret, ea a nobis haud immerito esse ad rem Estherianam relata.

Iam vero, quoniam omnis disputatio de libro Estherae futura est, primum est huius libri simpliciter et dilucide explicandum argumentum. Deinde, quum historica sit tota nostra disserendi ratio, necesse videtur de eius in historia fide et de Estherae tempore quid scriptores alii senserint, exponere. Eam tum sententiam, quae permultos nostra aetate est defensores adepta, vel examinari oportet vel etiam confutari. Nam, remotis erroribus, veritatis facilis est apertusque aditus.

Romae in monasterio s. Pauli ad viam Ostiensem festo die s. Andreae Scytharum Apostoli MDCCCLV.

INDEX

LIBER PRIMVS

DE LIBRO ESTHERAE

LIBER PRIMVS

DE LIBRO ESTHERAE.

CAPVT PRIMVM

DE ESTHERAE LIBRI ARGVMENTO.

§. 1.

1. Assuerus, cum in Asia centum viginti septem provinciis tertium annum regnaret, omnibus et praetoribus et militibus ferias publicas semestres indixit. Quos menses cum festos agi vellet, Susis lautissima convivia ornat ad eaque et Medorum Persarumque nobiles et ex aliis gentibus qui sibi vel familiares vel satrapae erant convocat. Feriis ita fere peractis, per dies septem omnes qui Susa urbem incolebant invitat epulumque eis adparat cibis suavissimis conquisitissimisque vinis amplissimum. Quibus rebus Astis regina commota, cum essent in horti vestibulo cum rege cives, coenam parari in domo regia ad eamque feminas convenire iussit. Septimo autem die Assuerus multo vino ac nimia quadam hilaritate eo adductus est, ut, rerum omnium copia in adspectum lucemque prolata, suam etiam coniugem, qua nulla esset pulchrior, nobilibus civibusque ostentare vellet. Itaque per spadones praecepit, ut vestitu regiisque insignibus ornata ad convivium proveniret. Illa vero quum id sibi nullo pacto faciendum putaret, mariti

animum adeo offendit, ut, consentientibus Medorum Persarumque nobilissimis, instigante autem eo qui spadonibus praeerat, non modo omnibus spoliaretur honoribus sed matrimonio etiam exturbaretur. Iste autem eunuchorum dux, quum timeret, ne illius repudii regem quando poeniteret; *verendum esse*, dixit, *ne hoc reginae exemplo coniuges omnes adductae maritorum mandata negligerent. Suadere sese et adhortari, ut qua de causa Astis esset repulsa, publicis litteris exponeretur.* Quibus verbis facile regi persuasit, ut de peccato poenaque reginae litterae publicae mitterentur. Quo facto quum regem animo tristi et demisso videret, admonuit, ut virgines cogeret ex omnibus provinciis venustissimas uxoremque ex eis sibi sumeret. Quod cum regi visum esset, puellae quae forma erant pulchritudineque insignes ex omni Asia Susa ductae atque in regiarum feminarum domo sunt receptae. Erat in hoc numero quaedam Esthera virgo ex Hebraeorum gente oriunda. Ea parentibus orba adoptata pro filia atque educata erat a Mardochaeo patruo, qui anno Nabuchodonosoris octavo una cum Ioachimo rege Hierosolymis mediam in Asiae partem migraverat. Quae cum venustate omnes superaret, facile sibi Gaei feminarum custodis gratiam conciliavit ab eoque honorifice tractata est. Mandatum autem a patruo acceperat, ut cuias esset cum regis servos omnes lateret, ne cui umquam proderet. Quod cum diligenter observaret originemque suam ita celaret, exeunte anno septimo ei accidit, ut ex feminarum aedibus arcesseretur ad regem. A quo primum quidem adamata incredibilem per venustatem a natura acceptam, postea in locum Astis assumpta pulcherrimo vestitu coronaque regali donata atque induta est. Nuptias autem eius ita celebravit rex, ut regia liberalitatis magnificentia coenas adpararet, principibus ministrisque dona distribueret,

pacem tranquillitatemque provinciis concederet. Interim dum Mardochaeus domum regiam saepius de Esthera percontatum obit, contigit, ut coniurationem a duobus spadonibus Bagatha et Tharra factam indagaret. Isti quidem, re indicata, inquisitione facta, confitentur. Quam ob causam capitis damnati affiguntur patibulo. Quae res accurate, ut apud Medos fieri solebat, in libros annales relata est (I. et II.).

II. Postea haud ita multo factum est, ut Aman Amadathi filius natione Agagaeus et satrapis omnibus et principibus praeficeretur. Is proximus quidem secundum regem eisdem tamen quibus ille honoribus sese affici voluit. Quem Mardochaeus cum iam antea spadonum coniuratione enuntiata infestiorem sibi reddidisset, tum maxime offendit eo, quod adorationis in eum officium obstinatissime praetermittebat. Quod interrogatus cur ita faceret, Iudaeum sese et unius dei supplicem libere professus est. Quare hic tanta est iracundia inflammatus, ut non modo eum ipsum occidendum sed gentem etiam excidendam penitus statueret. Quo mense id fauste perfici posset, sortibus decrevit. Anno igitur Assueri duodecimo mense primo internecionis mensem sortitus est duodecimum. Iam vero quod ita constituit, ut ratum firmumque faceret, quam potest blandissime ad regem defert. *Esse gentem per omnes totius regni nationes dispersam, quae cum proprias peculiaresque sequeretur leges institutisque uteretur plane diversis, summa regis imperata contemneret. Hanc eis potestatem concedi pro ceterorum populorum salute non posse. Regi igitur si videretur, decerneret ut gens illa interimeretur. Quod si per se fieri vellet, regali sese aerario allaturum argenti decem milia talentorum.* His verbis auditis, consilio probato, Assuerus Amani et facultatem statim ad litteras de Iudaeorum occisione scribendas et annulum

libenter ad consignandas tradidit. Praeterea ea fuit liberalitate, ut argenti quod promiserat gratiam ei faceret. His rebus celeriter Aman peractis die decimo tertio mensis primi, per scribas regios publicosque nuntios, praetoribus in omnibus provinciis et satrapis ut die decimo tertio [1]) mensis duodecimi ad Iudaeos interficiendos sese pararent, imperat; bonaque eorum percussoribus diripienda distribuendaque concedit. Illud autem regis decretum Susis, ut omnes legere possent, proponitur (III.).

III. Quo cognito, cum Iudaei omnes maximo de sua salute timore acerboque dolore afficiuntur, tum Mardochaeus certa sui omniumque interitus exspectatione cruciatus vestes discindere, saccum induere, pulverem capiti inspergere, per urbem usque ad domum regiam cursitare clamoresque tollere coepit. Litterae autem ubicumque allatae et expositae sunt, ad lacrimas Iudaeos ad fletum ieiuniumque coegerunt. Esthera acerbitatibus illis a puellis spadonibusque nuntiatis vehementer commota atque perturbata est. Misit autem, qui Mardochaeum, ablato sacco, vestibus a se datis induerent. Quos cum ab illo repulsos cognosceret, Athachum spadonem quem a rege ministrum acceperat misit, qui ex illo, cur ita sese gereret, accuratissime quaereret. Mardochaeus quid Iudaeis futurum esset ostendit, promissum quod regi Aman fecerat exponit, *Estherae sese praecipere* ait, *cum in ea una spes esset omnis posita, ut regem pro totius gentis salute deprecatum adiret.* Quibus mandatis Esthera cognitis iterum ad eum cum his responsis mittit. *Legem esse servis omnibus civibusque notam, ut quisquis non vocatus in atrium interius ad regem ingressurus esset, nulla habita neque honoris ratione neque sexus, statim*

---

1) Septuaginta interpretes: *die decimo quarto.*

et sine ulla mora interficeretur, nisi forte illud ei contingeret, ut sceptrum aureum rex ad veniam impunitatemque dandam inclinaret. Minus facile sese etiam eam ob causam intrare posse, quod iam tricesimus dies esset ipse, ex quo ad regem vocata non esset. Ad haec Mardochaeus respondit. *Quodsi Esthera fore putaret, ut una ex Iudaeis, propterea quod in regis esset familia, animam vitamque conservaret: vehementer errare. Nam suam ipsa intercessionem si interponere nollet: futurum, ut alia ratione ac via Iudaeis salus afferretur. Hoc si evenerit, Estheram paternamque eius familiam interire necesse fore. Credere sese, et certo scire, eam ad regale matrimonium ascendisse, ut ex his ipsis periculis salutem suis pareret.* His verbis Esthera commota ad Mardochaeum referri iussit. *Precari sese, ut per dies noctesque tres Iudaei omnes qui Susis essent a Mardochaeo convocati pro sua ipsius salute deum orarent ieiunique a cibo potuque omni abstinerent. Idem totidem per dies sese facturam cum ancillis. Tribus his supplicationis diebus interiectis, sibi esse in animo, contempto omni mortis illa ex lege periculo, invocatam ad regem accedere.* Mardochaeus quae mandata erant, perfecit (IV.).

IV. Tertio die Esthera quum ieiunii orationisque finem fecisset, vestimentis mutatis ornatuque sumpto, domus regiae atrium, ut constituerat, intravit. Assuerus, ubi primum eam timide ingredientem deinde procul stantem videt, benigne excepit, inclinatoque sceptro aureo quod manu tenebat, gratiam sese veniamque dare significavit. Haec summa cum veneratione propius accedens sceptrum regium osculata est. Rex cum magnum ex eius adventu gaudium caperet, *eam ut diceret si quid opus esset* rogat ac *dimidiam regni partem si esset petitura sese daturum* confirmat. Ad haec Esthera respondit.

Petere sese, ut rex, si placeret, cum Amane ad convivium ab ipsa paratum venire vellet. Quod cum ab eo facile impetrasset, dum coenant, iterum benignis verbis *ecquid vellet* interrogata, verecundum hoc responsum reddidit. *Si esset regis gratiam consecuta et de implenda petitione sua sperare posset, sese in beneficii loco petere, ut uterque et rex et Aman crastino die vellent ad convivium revenire. Quod si esset adepta, sese non dubitare intimum tum sui animi aperire desiderium.* Rex, quo in eam erat studio et benignitate, cum illud ei negare non posset laeto animo discessit. Aman vero, Mardochaeo hoste suo foris conspecto, vehementer offensus iratusque domum rediit, convocatoque ad se et amicorum et Zarae uxoris concilio, opum divitiarumque magnitudinem filiorumque turbam ostendit, quemadmodum summum ad honorem in civitate maiestatemque ascendisset exponit. Deinde elato tristique animo ita verba fecit. *Reginam ad illud cum rege convivium praeter se adhibuisse neminem. Ad alterum cum eodem convivium in crastinum sese unum esse invitatum. Sed ea omnia quamquam esset consecutus, nihil tamen se putare consecutum, quamdiu ante fores regias sedentem videret Mardochaeum.* Quod cum Zara et amici audivissent, Amanem adhortati sunt, *ut pararet patibulum quoddam cubitos altum quinquaginta, in eoque, regis requisita sententia et consensu, Iudaeum hostem istum suum suspendi iuberet. Quo facto, fore, ut securo animo ad convivium adesset.* Hoc consilio Aman probato patibulum faciendum curavit (V.).

Proxima nocte rex cum somnum capere non posset, annales publicos afferri sibi et legi iussit. Quos cum servi evolverent, eum ipsum in locum inciderunt qui de spadonum erat coniuratione. Quo cognito hic ex illis quaesivit, quaenam a se gratia Mardochaeo esset relata,

qui rem eam indicasset. Illi quidem negant neque ullum ei beneficium neque honorem esse tributum. Accidit autem eo ipso temporis puncto, ut Aman Mardochaei interficiendi licentiam petitum veniret. Eum rex cum atrium intrantem audiret, et quis esset per ministros cognosceret, ingredi iussit. Nullo autem ei ad dicendum id quod in animo erat tempore dato, protenus ex eo, si quem praecipuo honore habere vellet, quid esset faciendum, quaesivit. Aman, quem ornaturus esset rex se ipsum esse arbitratus, *sese putare* dixit, *hominem illum quidem oportere vestem coronamque regalem gerentem, assumpto uno ex regiis equis, per totam urbem equitare, frena tenente qui ex principibus esset primus et clamitante: illum eius esse honorem, quem honestare vellet rex.* His responsis acceptis, rex Amani imperavit, *ut honoribus illis ipsis Mardochaeum afficeret Iudaeum neve eorum, quae dixisset, quidquam praetermitteret.* Ille, ut erat imperatum, veste deprompta Mardochaeum induit, ut in equum regium ascenderet rogat, ea quae dixerat verba alta voce pronuntians per urbem ducit. Qua re confecta, ad domus regiae fores Mardochaeus rediit. Aman afflictus, ira luctuque permotus, coniugi familiaribusque quae sibi evenissent exponit. Illi quae senserunt ingenue professi sunt. *Si Mardochaeus, cui servire iam omnes coepissent, ex gente esset Iudaeorum: fieri non posse, quin idem Amanem ex altissimo dignitatis gradu deturbaret.* His rebus ita peractis, venerunt, qui Amanem, ut festinaret ad convivium, monerent (VI.).

Cum autem accubarent, Assuerus eadem qua pridie benevolentia usus ex regina, *quid esset quod sibi ab ipso dari vellet*, requirit; *vel dimidium regnum sese daturum* iterum promittit. His verbis Esthera ad petendum alacrior facta, *voluntate benefica si rex in se*

ipsa esse vellet, vitam ipsius suam, salutem hominum sese suorum deprecari ait. *Neque enim se unam, sed suos omnes ad occidendos esse traditos. Si cognatos suos servos quis redigeret, quantumvis acerbum esset, tamen hoc sibi ferendum, hoc sibi reticendum existimaret. At vero ita et referri et pertinere ad regem* docet *quidquid sui suorumque hostis faceret ferocia.* Assuerus inaudita sese audire admiratus. *Quis qua potentia,* inquit, *tam immania facere vel audet vel potest?* Esthera omni iam metu vacua hostem inimicumque deterrimum istum Amanem esse respondit. Ille detecto crimine convictus, pudore et pallore perfusus, neque regis neque reginae adspectum ferre potuit. Rex convivio sublato, primum in hortos ambulatum progressus, deinde ad reginam reversus, illum ad eius pedes proiectum in ipsoque eius lectulo collapsum offendit. Hic ea re graviter infensus, sententiaque de Mardochaeo interficiendo per ministrum cognita, furore inflammatus et ignitus, ut Aman in eodem ipse, quod isti paraverat, patibulo suspenderetur, imperavit (VII.).

Cum animo suo Assuerus ita satisfecisset, aedes Amanis Estherae, annulum Mardochaeo tradidit. Cognoverat enim illum huius esse patruum. Quibus rebus Esthera cum summum eius in se studium perspiceret, multis precibus multisque cum lacrimis sese ad eius pedes proiecit, et *quam Iudaeis Aman inferri iniuriam voluisset, ne inferri pateretur,* supplex petivit. Vbi autem sceptrum aureum conversum ad se animadvertit, surrexit et his verbis quid vellet accuratius exposuit. *Si in regis gratia esset, neque contraria voluntati eius deprecatio sua videretur, sese obsecrare, ut veteres Amanis illae de Iudaeorum pernicie litterae, datis litteris novis, irritae fierent et nullae. Internecionem enim populi sui sese ferre non posse.* Ad haec

rex his verbis respondit. *Quum Amanis domum reginae dedisset, quumque ipsum, quod manum afferre Iudaeis esset ausus, cruci affigi iussisset: non esse, cur eam Estherae Mardochaeoque facultatem negaret, ut suo ipsius nomine litteras scriberent suoque annulo consignarent.* Litterae autem ex regis nomine datae signataeque eius annulo tanta erant auctoritate, ut nemo contra aut dicere aut facere auderet.

Die igitur vigesimo tertio mensis tertii Mardochaeus, scribis regiis nuntiisque adhibitis, ad principes omnium provinciarum, ad procuratores iudicesque litteras regis nomine signoque misit, per easque Iudaeis mandavit, *ut die decimo tertio mensis duodecimi convenirent, ut vitam suam ab omni iniuria defenderent, ut hostes suos omnes cum mares tum feminas occiderent.*

Iudaei qui urbem incolebant ubi illud litterarum exemplum quod Susis propalam erat positum legunt, et eodem tempore Mardochaeum regalibus vestimentis insignibusque ornatum conspiciunt: novam sibi ortam esse lucem existimarunt, laetitiaque ad saltandum exultandumque excitati sunt. Ex epistolis autem Iudaei, qui in provinciis erant, tantum gaudium ceperunt, ut festum diem convivia commessationesque celebrarent. Quo factum est, ut ex aliis gentibus complures, quibus Iudaici nominis timor incesserat, religionem sacraque eorum susciperent.

Iudaei igitur die decimo tertio mensis duodecimi, qui dies erat ad ipsorum occisionem constitutus, sese ad hostes occidendos pararunt. Qua quidem in re duae res magno erant subsidio. Primum quidem provinciarum praetores atque iudices, cum Mardochaeum principem domus regiae summaque in regno auctoritate esse compertum haberent, Iudaeos adiuvandos existimarunt. Deinde vero Mardochaeus rem ita instituisse videtur,

ut quo die hostes interfici voluit, vel eo ipso die afferrentur litterae, vel ad eum usque diem ab hostium oculis occulerentur. Quare effecit, ut sui vel non opinantes imparatosque hostes, vel cum ipsis commessantes caperent atque necarent. Ita quidem factum est, ut Iudaei stragem caedemque horribilem dare possent. Nam Susis praeter decem Amanis filios viri occisi sunt quingenti. Quem numerum rex, cum per servos cognovisset, ad Estheram statim retulit, eique nova et plura postulandi veniam concessit. Illa igitur, venia sibi data, oravit, *ut crastino die Iudaeis et eamdem, quam illo die, interficiendi facultatem et filios Amanis suspendendi copiam vellet facere.* Quibus rebus per regem concessis et per litteras publicas promulgatis, die decimo quarto Iudaei qui in urbe habitabant viros interfecerunt trecentos. Utroque autem die a bonis diripiendis sese religiose retinuerunt. Nec minus alacres ad pugnam caedemque erant ei, qui provincias dispersi incolebant. Eorum enim qui ab omnibus Iudaeis occisi sunt censu habito, repertus est numerus milium septuaginta quinque [1]. Proximum autem post caedem diem, qui dies apud Susanos erat decimus quintus, apud reliquos decimus quartus, Iudaei festum agere, quieti gaudio epulisque dare coeperunt. Mardochaeus autem primo quidem solus post una cum Esthera, litteris de his rebus conscriptis ad omnesque missis, lege sanxit, quod iam tum consuetudo in hominum vitam induxerat, ut Iudaei utrumque et decimum quartum et decimum quintum diem mensis duodecimi festum solemnemque haberent, gaudio epulis conviviisque vacarent, cibos pauperibus distribuerent. Festos autem hos dies vocare solebant dies

1) Septuaginta: *milium quindecim.*

Phurim h. e. sortium, propterea quod ab Amane erant per sortes constituti.

Assuerus autem rex omnem terram multasque insulas vectigales sibi fecit. Est autem in regum libris Medorum Persarumque expositum et de huius fortitudine atque imperio et de dignitate maiestateque Mardochaei, et quemadmodum ille posterior proximus secundum regem et apud suos magnus acceptusque fuerit studueritque facere quae ad suorum salutem, docere quae ad pacem pertinerent.

Quae res a nobis adhuc exposita est, ea ex illo libro est, qui Hebraicis litteris conscriptus Estherae nomine appellari solet. Est autem alius quidam libellus et is quidem confectus Chaldaice, quod quasi quoddam est illius additamentum. Omnino enim constat tribus potissimum ex partibus, ex Mardochaei somnio, ex eius et ex Estherae ad deum orationibus. Quae quidem partes Graecis verbis primum redditae deinde disiunctae et septuaginta virorum interpretationi diversis locis interpositae sunt. Ex exemplis Graecis eas sumpserunt et vetus interpres Latinus et s. Hieronymus, quorum alter eas interpretationi libri Estherae ex Hebraico factae subiecit, alter eas eodem loco, quo erant a Graecis positae, reliquit. Multis demum post saeculis Assemanus, quas separatas quasdam et disiectas esse partes omnes superiores iudicaverant, unum eum et pulcherrimum esse libellum ex codice Chaldaico cognovit. Quem statim libellum hic [1]) primum, deinde is qui Danielem

1) Asseman. Catal. Mss. Bibl. Vat. I. p. 452.

secundum septuaginta ex codice Chisiano protulit, [1]) postremo De-Rossius, et is quidem bis, [2]) emittendum curaverunt. Sed haec quamquam ita sint, tamen librum illum quum et ad rem nostram aptus et ad legendum dignissimus sit, sicut Latinis verbis ab altero illo auctore diligentissime explicatus est, adiungendum existimavi.

§. 2.

De Mardochaei somnio de eius et de Estherae orationibus libellus Chaldaicus Latinis verbis redditus.

I. 1. Anno secundo regni Assueri Mardochaeus Iudaeus somniavit somnium. 2. Et ecce tremor ingens et tristitia atque perturbationis vox super faciem universae terrae, 3. et terror atque timor occupaverunt incolas eius, consternatique sunt vehementer omnes mundi habitatores. 4. Eodemque tempore visi sunt duo immanes dracones secum invicem pugnantes; et obstupuerunt omnes populi terrae ad clamorem tumultus eorum. 5. Erat autem inter hosce duos dracones populus unus exiguus, adversus quem insurrexerunt cunctae nationes terrae, ut illum devorarent delerentque memoriam ipsius super terram. 6. Et nubes et obscuritas ac tenebrae erant super faciem universae terrae. 7. Populus autem ille exiguus quam maxime angebatur clamabatque ad deum et orabat ex toto corde. 8. Interim dracones in crudelitate et furore secum invicem pugnabant et nemo poterat eos separare. 9. Vt haec intellexit Mardochaeus, ecce fons aquarum vivarum rapide inter utrumque draconem profluens

---

1) Daniel sec. Sept. ex tetr. Orig. Romae 1772. diss. III. p. 434. ss.

2) De Rossi Specimen Varr. Lectt. s. textus et Chald. Esth. additamenta. Romae 1782. Tuebing. 1783.

eos separavit et ei a pugnando cessarunt. 10. Ipseque
fons in flumen ingens vastis liminibus factus veluti mare
magnum praeterfluebat et in terra dilatabatur. 11. Et
ortus est sol et lux illuminavitque universam faciem
terrae. 12. Et crevit populus exiguus magnificatusque est
valde; populi vero excelsi ac superbi depressi sunt.
13. Et quievit universa terra, et aucta est fides, et pax
contigit habitatoribus terrae. 14. Ex illa die in posterum
servavit Mardochaeus somnium in corde suo nemini il-
lud patefaciens nisi soli Esther. 15. Quum autem eum
affligeret Aman et angustiis afficeret locutus est Mardo-
chaeus Esther reginae filiae Abichail fratris sui, dicens:
16. *Ecce evenerunt verba somnii quod narravi tibi in
diebus iuventutis tuae, et ecce tribulatio quam dixi
tibi.* 17. *Nunc igitur surge et ora coram domino deo
patrum nostrorum et praeveni eum precibus, ut det
tibi gratiam et misericordiam in corde regis Assueri.*
18. *Atque ita ingredere ad eum et siste te in conspectu
eius cum pulchritudine tua, ut erigas populum tuum
et familiam tuam.*

II. 1. Oravit igitur Mardochaeus Iudaeus ad domi-
num deum suum dicens: 2. *Quaeso, creator omnium
saeculorum domine, non est occultatum cor meum co-
ram te; neque pro superbia spiritus et cordis mei ela-
tione feci hoc, ut non adorarem Aman Amalecitam.*
3. *Verum propter timorem tuum concitatus sum in eum,
ne ipse me inclinarem, veritus enim sum faciem tuam,
deus saeculorum, ne tribuerem gloriam tuam filio ho-
minis, carni et sanguini.* 4. *Ideo renui adorare incir-
cumcisum abominandum, excepto nomine tuo magno
et sancto, quod invocatum est super nos.* 5. *Et nunc
quis ego sum et quae domus mea, ut me non sub-
mittam homini propter redemptionem Israel et auxi-
lium eorum et delambam pulverem pedum Aman, ubi*

incesserit planta pedum eius? [6] *Verum in verbo tuo confidit anima nostra et in te suspiciunt oculi nostri; tu quippe solus es noster patrumque nostrorum deus.* [7] *Quapropter deus noster libera nos de manu eius; et incidat in foveam quam fodit et capiatur in rete quod abscondit et tetendit pedibus sanctorum tuorum,* [8] *ut intelligant omnes populi, te non oblitum esse foederis, quod cum patribus nostris servis tuis statuisti neque nos in captivitatem adduxisse propter impotentiam dexterae tuae; sed solummodo propter debita nostra venditos nos esse et propter iniquitates nostras captivos factos, quia in te peccavimus.* [9] *Et nunc deus noster magne in redimendo redime nos, quaeso, de manu eius et libera nos a pravitate cogitationis eius.* [10] *Dum affligimur, clypeo nos protege.* [11] *Tu solus potes oppressos dextera erigere et nos ab insurgentibus in nos eripere.* [12] *Recordare, quod pars tua sumus. A saeculo vocasti nos populum hereditatis tuae et nos a gentibus segregasti velut oves pascuae tuae, ut tibi essemus dilecti tuaque statuta observaremus, a ceteris populis segregasti.* [13] *Nunc vero, deus noster, quare dicunt qui nos affligunt: Non habent deum qui salvet eos; et aperiunt os suum ad devorandum partem tuam et ad laudandum idola sua ac templa dicentes: Haec nobis opitulantur ut hunc populum subiiciamus.* [14] *Te igitur rogamus, deus noster, erue nos de manibus eorum et confundantur populi cum idolis suis templisque atque erroribus; et manum ori suo imponant, videntes redemptionem tuam, domine.* [15] *Miserere nunc populi tui et hereditatis tuae et non claudantur ora laudantium et confitentium nomini tuo vespere ac mane.* [16] *Converte luctum nostrum in gaudium et laetitiam; et vivemus et laudabimus te propter bonam redemptionem qua nos redemisti.* [17] Omnis quoque Israel et

Iuda simul clamaverunt ad dominum deum suum propter durissimam afflictionem, qua eos tunc afflixit Aman filius Amadath Amalecita de semine Agag.

III. 1. Seorsim quoque Esther regina clamavit et confugit precibus timens malum, ne e cogitatione prodiret. 2. Et exuit vestem regiam et ornamentum decoris sui, induitque se sacco, dispersitque capillos capitis sui eos replens pulvere ac cinere, et afflixit se ieiunio. 3. Et in abscondito humi procubuit et in faciem se prostravit oravitque dicens: 4. *Quaeso, domine deus Israel, rex super omnes reges, creator omnium, qui coelum terramque fecisti et dominaris in excelsis coelorum,* 5. *moderator et dominus terrae marium abyssi omniumque cete eorum,* 6. *rogo te, adiuva nunc ancillam tuam, quae sola sedet nullumque praeter te habet adiutorem.* 7. *Sola profecto hic fui et sola nunc sum in domo regis absque patre et matre, et sicut misera orphana quae victum ostiatim quaeritat, ita ego e fenestra in fenestram peto misericordiam et pietatem tuam in domo regis Assueri, ex quo huc adducta sum usque in praesentem diem.* 8. *Nunc vero, deus noster, ecce animam meam posui in manibus meis, ut interficiar.* 9. *Aufer eam de manibus meis, si tibi placet;* 10. *sin autem eam accipere recusas, libera modo oves gregis tui de ore horum leonum, qui aperuerunt os suum ad devorandum eas.* 11. *Audivi a patribus meis et narratum est mihi, quod tu tulisti patres nostros de manibus gentium, et eduxisti eos ex Aegypto et interfecisti omnes primogenitos Aegyptiorum propter illos* 12. *et populum tuum eduxisti e medio eorum et manum tuam fortem brachiumque tuum robustum ostendisti Aegyptiis propter populum tuum* 13. *et transire fecisti eos per aridam tamquam equum in deserto et tamquam iumentum in valle* 14. *et dedisti eis panem*

de coelo ad famem et ad sitim eduxisti eis aquam de duro silice 15. *et escam carnis volucrumque coeli ad eos saturandos collegisti e mari, ut desiderium eorum expleres.* 16. *Et cibasti eos spatio quadraginta annorum in deserto in terra inculta* 17. *et percussisti coram eis reges magnos eorumque exercitus* 18. *et hereditare fecisti eos terram eorum et dedisti eis terram laudabilem, hereditatem bonam felicitatis tuae in abundantia.* 19. *Quando autem peccaverunt patres nostri in nomen tuum magnum tradidisti eos in manum eorum, qui captivos eos duxere.* 20. *Et ecce nunc hodie in captivitate versamur.* 21. *Mihi autem narratum fuit, quod tu locutus es per Mosem servum tuum, etiam quum essent in terra inimicorum suorum dicens: Non recedam ab eis in regno Babylonis neque derelinquam eos in regno Mediae et Persidis. Non eos destruam in regno Iavan, neque irritum faciam foedus meum cum eis in regno Edom: ego sum enim dominus deus eorum in diebus Gog et Magog.* 22. *Et nunc non satis est nobis captivitas nostra, quod durissima nos opprimunt servitute; sed dicunt, quod non tu tradidisti nos in manus eorum sed idola sua laudant eaque adorant et glorificant dicentes: Vos tradidistis populum Iudaeorum in manus nostras.* 23. *Idcirco contristata est anima ancillae tuae, ut recedam ab hoc populo et odio illos habeam tamquam vestem scissam mulieris menstruatae.* 24. *Ita eos odi et abominata sum et velut immunda reieci omnia mea vestimenta pretiosa et omnia instrumenta et ornamenta magnificentiae meae et coronam regiam capitis mei.* 25. *Neque laetata sum, ex quo huc translata fui usque in praesentem diem nisi in solo verbo tuo, rex meus et deus meus.* 26. *Et tu, deus pater orphanorum, sta nunc a dextris ancillae tuae orphanae hodie, quae confidit in verbo tuo,*

in bonitate tua et in misericordia tua, [27]. *et da mihi gratiam tuam coram rege Assuero, quia ancilla tua sic eum formidat sicut hoedus timet coram leone.* [28]. *Rogo te, deus, mansuescere fac eum cum omnibus suis consiliariis, ut mansuetus sit et mitis coram ancilla tua propter venustatem gratiam splendorem et pulchritudinem quam dedisti ancillae tuae, deus meus.* [29]. *Et inspira cordi eius, ut odio habeat inimicos nostros et misereatur servorum tuorum, quoniam corda regum in manu tua sunt, deus noster gloriosus et terribilis et potens.* [30]. *Et libera me nunc a timore eius, quem timui, et ingrediar ad eum in nomine verbi tui.* [31]. *Et pone timorem tuum super eum et inclina cor eius, ut timeat te et ingrediar ad eum cum fiducia et egrediar e conspectu eius in pace.* [1]).

CAPVT ALTERVM

DE HISTORICA LIBRI ESTHERAE AVCTORITATE.

§. 3.

De eis qui hanc ei aut detrahere auctoritatem aut restituere conati sunt.

Estherae Mardochaeique memoriam non ad fabulam fictam sed ad veram rem et gestam pertinere, omnium fere est et interpretum et historicorum sententia. Huius tam singularis de re difficillima consensionis duae potis-

1) In libri fine haec sunt Chaldaice notata: *Summa versiculorum LI. Explicit oratio Mardochaei et oratio Estherae et somnia illius.*

simum videntur esse causae. Vna, quod Estherae historia et antiquitus a Iudaeis Christianisque in sacrorum librorum numero relata, et retenta postea est a Lutheri assectatoribus. Auctoritas autem utraque et canonica et historica ita videntur inter se esse coniunctae, ut, cui libro alteram negaveris, ne alteram quidem iuste possis tribuere. Quare illud quidem percommode accidit, ut cum detrahere libro Estherae auctoritatem canonicam dubitarent, fidem historicam non possent non concedere. Altera est, quod Mardochaei illum vel sortium diem solemnem semper apud omnes Iudaeos festumque fuisse constat. Locupletissimi enim huius rei testes duo sunt, alter libri II. Machabaeorum scriptor [1]), Flavius Iosephus [2]) alter. Festus autem ille dies, cum aut ex commento oriri aut ex fabula non potuerit, tantum libro Estherae lucis tantumque fidei attulit, ut haud fere quisquam esset paullo acrior, quin integram illi historiam veramque subesse intelligeret.

Cognitis his quidem causis, illud haud sane mirum est, quod ex Lutheri discipulis longe plurimi qui libros alios, ut Iudithae ut Baruchi, negarunt veros et historicos esse, hunc Estherae dixerunt; quamquam nescio an huic minus multae quam illis insint difficultates. Sed qui hunc librum aut incertae aut nullius fidei esse statuerunt, ei quidem sunt ad numerum perpauci, ad doctrinam litterarumque studium non mediocres. Sunt enim in eo quidem numero Bertholdetius [3]),

---

1) II. Mach. 15, 37. *καὶ ἐδογμάτισαν πάντες, ἔχειν ἐπίσημον τὴν τρισκαιδεκάτην τοῦ δωδεκάτου μηνὸς (Ἄδαρ λέγεται τῇ Συριακῇ φωνῇ) πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Μαρδοχαϊκῆς ἡμέρας.*

2) Fl. Ios. Antt. 11, 6.

3) Bertholdt. Einleitung in das A. und. N. T. V. p. 2433. Germanice ita: *Non possumus, quin libri Estherae argumentum speciem prae se verae historiae nullam ferre iudicemus.* Et p. 2443.

De-Wetteus [1]), Niebuhrius, alii [2]): Postremus hic, etsi vitam Estherae ad historiae fidem scriptam esse noluit, tamen miram quamdam sibi videtur rationem invenisse, quae inter Magorum illam occisionem, quam μαγοφονίαν vocant, et Iudaeorum hostium stragem intercederet [3]). Quamquam autem haud ita multi fuerunt, qui contra huius libri veritatem repugnare auderent: complures tamen ad tuendam eam et defendendam excitarunt.

Primum enim universis de veteris testamenti libris catholicorum nemo fere disputavit, quin contra illos dicere patrociniumque huius libri suscipere conaretur. Deinde vero ab eis, quos de Estherae historia dubitasse diximus, plurimi etiam ex Lutheri posteris dissenserunt, et ei quidem harum rerum non imperiti, ut Eichhornius [4]), ut Iesenius [5]), Haevernickius [6]) alii. Separatim

---

ita: *Iudaeos autem postea exstitisse et magnum hostium numerum occidisse, hoc quidem nihil aliud est, quam vel famae augmentum quoddam vel scriptoris eius, qui historiam ad poeticam quamdam venustatem redegit.*

1) De-Wette Einleitung. in die canon. und. apocryph. Buecher des A. T. VI. Ausg. p. 295. item Germanice ita: *Libri Estherae narratio multis ex difficultatibus historicis eisque rebus constat, quae sunt ne veri quidem similes; pluresque ei insunt de moribus Persarum lapsus.*

2) Praeterea cf. Augusti Einleitung. p. 274. Oeder Untersuchungen ueber den Canon des A. T. p. 12. Michaelis Orient. Biblioth. II. p. 35. ss. Corrodi Beleuchtung der Geschichte des Iuedisch. Canons II. p. 66. ss.

3) Niebuhr Geschichte der alten Voelker I. p. 158. ita: *Mira quaedam est similitudo, quae inter* μαγοφόνια h. e. *caedem illam, quam Persae Magis fecerunt, intercedit et id quod est libro Estherae relatum, concessam esse Iudaeis hostes ulciscendi licentiam. Librum Estherae non esse illum quidem pro historico habendum, his verbis palam profiteri minime dubito.*

4) Eichhorn Einleitung.

5) Iesenius Thes.

6) Haevernick Einleitung.

denique de hac re disseruerunt Kelleus [1]) et Baumgartenus [2]), quorum *de fide libri Estherae* opusculum suum alter, alter *de vindiciis Estherae* inscripsit.

De historica autem huius libri auctoritate quamvis disputata multa sint, tamen magnam quamdam difficultatum video esse vim, quam etsi tollere multi studuerunt, tamen haud scio an quisquam omnino sustulerit. Difficilibus autem rebus illis vel in medio relictis vel abditis et suppressis, dubitationes de hoc libro variaeque suspiciones numquam removeri possunt. Quae cum ita essent, novam de rebus illis et accuratam quaestionem instituendam existimavimus. Cum autem omnes fere dubitationes ex definiendo tempore oriantur: in primis nobis est quaerendum, quibusnam temporis spatiis Estherae Mardochaeique res interponendae sint.

Sed prius dicendum est, quid de Estherae aetate senserint homines alii, vel criticorum arti dediti vel historiae periti, ut quid veri ab eis, quid secus dictum inventumque sit, recte possit iudicari.

§. 4.

De Estherae tempore quid statuerint alii?

I. Antiquissima, quam quidem investigare potuimus, et vetustissima de Estherae aetate opinio quae fuerit, cognoscitur ex huius libri interpretatione Graeca. Nam qui eam confecit Lysimachus Ptolemaei filius Hierosolymitanus, quem CCXVII annis ante fuisse quam Christum probabile est [3]), regem eum, qui Estheram uxo-

1) Kelle vindiciae Esth. 1820.

2) Baumgarten de fide libri Esth. 1839.

3) Esth. 10. Ἔτους τετάρτου βασιλεύοντος Πτολεμαίου καὶ Κλεοπάτρας εἰσήνεγκε Δοσίθεος, ὃς ἔφη εἶναι ἱερεὺς καὶ Λευίτης, καὶ Πτολεμαῖος

rem assumpsit, appellat Artaxerxem. Qua quidem ex re hoc certum exploratumque habemus, Lysimachum et Iudaeos qui eius erant aequales Assuerum regem quemdam putasse Persarum; quamquam ex tribus illis, qui Artaxerxis nomine usi sunt, quem intelligi voluerint, minus est perspicuum. Cogitasse autem veteres Iudaeos de Xerxis filio quem *μακρόχειρα* nominant, ex eo perspici potest, quod Flavius Iosephus [1]) coniugem Estherae Artaxerxem illum fuisse dicit.

Iudaeorum de Assuero sententia non eiusmodi fuit, ut doctrinae Christianorum hominum subtilitatique satisfacere posset. Quare factum est, ut, quamquam nonnulli in ea requiescerent, multi tamen de ea dubitarent, diligentius quaererent, ab ea discedendum arbitrarentur.

Clemens igitur presbyter Alexandrinus [2]) temporis rationem ita instituit, ut in finem Babylonici exsilii, quo iam tempore Persas totius Asiae imperium obtinuisse putavit, Estherae aetatem incidere diceret.

Graecum interpretem omnino secutus est Origenes [3]), qui non solum Assuerum appellavit Artaxerxem, sed ne

---

ὁ υἱὸς αὐτοῦ τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν Φρουραὶ, ἣν ἔφασαν εἶναι καὶ ἡρμενευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίου τὸν ἐν Ἱερουσαλήμ. Ptolemaeum, quo quartum annum regnante Dositheus et Ptolemaeus Iudaeis Alexandrinis Estherae librum Graece confectum attulerunt, hunc fuisse Philopatorem, 221-204, duabus rationibus potest probari. Vna, quod tempus Ptolemaei Philopatoris id erat ipsum, quo libros Hebraicos litteris Graecis redditos esse constat. Altera est, quod Ptolemaeo regi illi aequalis fuit Dositheus. Cognoscimus id ex III. Macc. 1, 3. *Δοσίθεος ὁ Δριμύλου λεγόμενος τὸ γένος Ἰουδαῖος ὕστερον δὲ μεταβαλὼν τὰ νόμιμα καὶ τῶν πατρίων δογμάτων ἀπηλλοτριωμένος κτλ.* Neque vero ignoro Dositheum quemdam Ptolemaei Philometoris aequalem fuisse. Fl. Ios. c. App. 2, 5.

1) Fl. Ios. Antt. 11, 6. Chron. Pasch. ad a. m. 5038.

2) Clem. Alex. Stromm. 1, 21. edit. Potter. p. 142.

3) Orig. ep. ad Afr. 3. 13. edt. Delarue I. p. 14. et 47. Stromm. 6. I. p. 39. de Princ. 3, 4. I. p. 141.

statuere quidem conatus est, Xerxisne ille an Darei fuerit filius.

Simili autem ratione Ioannes Chrysostomus in tertia ad populum Antiochenum homilia et Athanasius [1]) in sacrae scripturae Synopsi, si quidem is liber ab eo est conscriptus, Estherae coniugem vel regem Persarum vel Artaxerxem nominantes, in communi et pervulgata septuaginta virorum sententia perstiterunt.

Eusebius vero Caesariensis [2]) relicta quidem opinione Iosephi, Graeci tamen interpretis sententiam ita amplexus est, ut Estherae maritum Artaxerxem esse vellet sed eum, qui, superato Cyro fratre minore, Iudaeis sese et maximorum praemiorum auctorem et in restituendo templo adiutorem praestitit.

Iam vero Hieronymus [3]), qui Eusebii Chronica tanti fecit, ut ea in Latinum sermonem converteret, eiusdem etiam auctoritate facile eo adductus est, ut de altero Artaxerxe Darei filio cum eo consentiret.

Augustinus [4]) denique, accurata temporis definitione neglecta, in universum Estheram non multo ante fuisse dicit quam Esdram, qui Artaxerxis Darei filii erat aequalis.

Postremo is, qui subtilem illum *de promissionibus et praedictionibus dei* librum [5]) scripsit, quamquam Assuerum vulgari Artaxerxis nomine vocavit, tamen

1) Io. Chrys. edt. B. de Montfaucon II. p. 38. Athanas. Syn. s. script. s. v. Esth. edit. Maurin. p. II. v. III. p. 168. s.

2) Euseb. Caes. Chron. Scalig. thes. tempp. p. 31. et 131. 33. et 134. Chron. Arm. edit. Ang. Mai Med. 1818. II. p. 342.

3) Hieron. in Ezec. 4, 4. ss. edt. Vallars. V. p. 40. cf. in Dan. 8. in Zach. 1. contra Pelag. 10.

4) August. de civ. dei 18, 36.

5) De promiss. et praedictt. dei liber incerti auctoris 2, 38. in opp. Prosperi Aquitani Venet. 1744. II. p. 107.

eum non Persarum sed Babyloniorum regem fuisse iudicavit.

II. Magnam scriptorum veterum dissensionem incredibilis quae apud posteriores est sententiarum varietas superavit. Tanta enim inter hos opinionum discordia, tanta est coniecturarum discrepantia, vix ut quemquam ex omni Persarum Medorumque regum numero reperias, quin sit pro Assuero habitus.

Haud ita magnus enim est eorum numerus, qui aut cum Iosepho de Longimano aut cum Eusebio de Artaxerxe Mnemone consenserint. In his prioribus quidem erant Nicephorus, Suidas, Ioannes Zonaras, Caietanus, Salianus, Menochius, Bellarminus [1], Petavius [2] Ceillierus [3] Di-Venceus [4] alii; illis autem in posterioribus Sulpitius Severus [5] Isidorus Hispalensis [6] Beda Venerabilis [7] Sixtus Senensis, Melchior Canus, Dionysius Carthusianus [8], alii.

Reliqui omnes alius alium sibi regem vel delegerunt vel sumpserunt vel etiam sortiti sunt, quem Assuerum Mardochaei Estheraeque aequalem fingerent.

Ac primum quidem, lustrato numero eorum qui praefuerunt Persis omnique eorum imperio peragrato, ad Medorum reges perventum est. Atque ex eis unum aliquem hunc esse Assuerum complures quidem voluerunt sed alium alius; veluti Astyagem Georgius Syncel-

1) Bellarmin. de verbo dei 1, 7.
2) Petav. de doctr. tempp. 12, 28 et 13 ad a. Per. Iul. 4251.
3) Ceillier hist. gen. des auteurs sacr. et eccl. chap. 9. art. 2.
4) Di Vence la sacra bibbia edit. B. Catena. Dissertazioni vol. III. p. 482. ss.
5) Sulp. Sever. h. e. 2, 17. ss.
6) Isid. Hispal. Chron. ad a. m. 4833. et de ortu et obitu patrum 62.
7) Beda presb. ven. de sex aetatt. mundi ad a. m. 3588.
8) Dion. Carth. libri Esth. expos. c. 1.

lus [1]) et eum qui secuti sunt alii [2]), Dareum Medum Cedrenus, Assuerum nescio quem Cyaxaris filium eumdemque Astyagis fratrem Harduinus [3]), Cyaxarem priorem De-Vignoleus [4]) et Iaksonius [5]), Cyaxarem alterum Marshamius [6]).

Deinde vero cum ne facto quidem illo ad Medos progressu, profici quidquam posset, una ratio visa est, ad id quod Persarum regni erat reliquum redire. Itaque ex ceteris Persarum regibus suum quisque sibi sumpsit, et primum quidem Cambysem Genebrardus [7]), alii, Dareum deinde Hystaspis filium Nicolaus Lyranus, Cornelius a Lapide, Vsserus [8]), Lancellottius, Natalis Alexander [9]) Calmetius [10]), tum Xerxem Iosephus Scaligerus [11]), Calvisius, Sikardius et praeter eos alii, Artaxerxem denique Ochum Seraris atque Gordonus [12]). Quidam etiam hanc rem omnino in medio reliquerunt, ut Estius [13]), ut Du-Pinius [14]), Bossuetius [15]).

III. Quemadmodum qui in mari navigant, tempestate coorta vel iniquissimo loco ancoras iacere quam navis

---

1) Georg. Syncell. Chronogr. p. 231.

2) Mercator Chronol. et Prideaux Connexion des A. und N. T. mit der Voelkerhistoire 1. p. 96.

3) Harduin Chronol. V. p. 101.

4) De-Vignoles Chronol. de l'histoire sainte.

5) Iakson Chronol. Alterthuemer 2, p. 306. ss.

6) Marsham Can. Chronol. 2, 15.

7) Genebrard. Chronol.

8) Iac. Vsser. annales ad a. m. 3484.

9) Nat. Alex. hist. eccl. V. T. diss. 7. art. 5. prop. 2.

10) Calmet, comm. litt. in bibl., in libr. Esth. praef., l'hist. univ. 14, 33. ss.

11) Ios. Scalig. emendat. tempp. 7. (e. c.) p. 555.

12) Serar. in Esth., Gordon Chronic.

13) Estius, annott. in libr. Esth. 1.

14) Du Pin, dissertation prélim. sur la bible 1, 3, 9.

15) Bossuet discc. sur l'hist. univ. 2, 13.

detrimentum facere malunt: sic qui nostra memoria scripserunt, cum Estherae historiam discordiarum fluctibus iactari viderent, unam aliquam sententiam arripere quam librum ipsum prodere secius putarent. Quare cum quidam existeret et is non pereruditus, qui novis haud ita firmis rationibus sententiam veterem defenderet, plerisque ut temere ad eam accederent persuasit. Quod hoc facilius perfecit, quo vehementius institerunt ei, qui Estherae historiam in fabulas proiici vellent. Erat autem ille quidem L. I. C. Iustius [1]) qui tutorem sese sententiae eorum praestitit, qui Xerxem Assuerum iudicaverant. Tot autem huius ea in re erant assectatores, quot historicae auctoritatis defensores; ex catholicis quidem Iahnius Ackermannius Scholzius Hanebergius [2]), ex Lutheri discipulis Eichhornius Iesenius Haevernickius [3]) alii [4]). Sed rationes quibus tot tantisque viris de Xerxe illud est persuasum, vel proferre iuvat vel diiudicare.

§. 5.

De eorum sententia, qui Assuerum Xerxem Persarum regem esse voluerunt, quid sit iudicandum?

Primum ille quidem Iustius, singulorum Persarum regum contentione cum Assuero facta, rem eo perducere

---

1) Iusti Versuch ueber den Koenig Ahasverus im Buch Esther. Eichhorn Repertorium 15. p. 1. ss. et Iusti Vermischte Abhandlungen.

2) Iahn Einleitung 2, p. 300. ss. — Ackermann Introd. p. 207. — Scholz. Einleitung 2. p. 518. ss. — Haneberg Geschichte der bibl. Offenbarung edit. II. p. 464. Hunc virum O. S. B. Abbatem de libris sacris bene meritum honoris causa nomino.

3) Eichhorn Einleitung 3, 508. — Iesenius thes. — Haevernick Einleitung 2, 1, 339.

4) Ex hoc numero (excipiendus) unus est Herbstius, qui hunc librum historicum dixit et eumdem ad priorem quemdam regem retulit. Einleitung edt. Welte p. 254.

conatur, ut ita statuat: *aut Xerxem Assuerum fuisse aut ex Persarum regibus omnino nullum.*

Deinde vero ex illo discrimine, in quod totam rem adduxit, eripere eam sese his rationibus posse putat.

1. *Eamdem fuisse in Assuero, quae in Xerxe, libidinum cupiditatem, eamdem utrobique luxuriam, eamdemque ferociam atque stultitiam. Vtriusque igitur ingenium si spectemus, rationem vitae, mores, animi denique perturbationes; nihil esse, cur negemus duobus nominibus illis et diversis unum significari hominem atque eumdem.* At vero mihi quidem videntur esse multa, cur conclusam hanc rem praepostere esse dicamus.

Primum enim reges Asiae fere omnes intemperantes, luxuriosos, inhumanos fuisse constat. Nam quae eis erat omnium rerum ad voluptates explendas abundantia, quanta non temperata regis sed affrenata tyranni licentia, in his aeque erat difficile neque opibus abuti neque potentia efferri. Quare si veterem vel Assyriorum vel Persarum regum memoriam repetere volueris: eamdem in eis omnibus impuritatem, eamdem effusionem saevitiamque fuisse intelliges, vix ut praeter Cyrum reperias, qui vituperationibus illis iuste possit liberari. Quotus enim quisque fuit, qui, Asiae amplissimo imperio occupato, vel a voluptatibus fruendis vel a perpetrandis atrocibus criminibus sese abstineret? Nonne haec depravationis pestis tantum processit, ut et Iudaeorum reges deo consecratos et Macedonum imperatorem ad humanitatem Graecorum institutum pariter inficeret? Quum igitur turpitudines illae quidem non sint unius propriae sed ad Asiae reges omnes aequabiliter pertineant: nescio an vera argumenta ex illis et illustria sumere quis possit. Etenim nominibus duobus hominem subesse unum, ut recte possit demonstrari, non ea quaerere debemus, quae omnibus communia, sed quae propria cuiusque

sunt et peculiaria. Hoc praecepto neglecto, omnis huius rei vacillat demonstratio. Quid enim? Assuerum si incontinentem, si luxuriosum, si crudelem fuisse damus: Xerxem eum dicemus Darei filium, an Persarum regum aliquem, an Chaldaeorum, an Medorum? Neque tamen illud ullo modo dari potest. Assuerus enim, etsi eius causa nondum neque penitus perspecta neque accurate explicata est, tamen fore puto, ut iusto iudicio ab illorum vitiorum crimine liberatus discedat. Primum enim tantum abest, ut totum sese voluptatibus dederit, ut, iusta habita et temporis et loci ratione, vel temperantiae laude affici possit haud immerito. Nam quod mulieres plures earumque et domum et custodes habuit: in eo certe a communi Asiaticorum regum consuetudine non deflexit. Iam vero quod virgines congregare instituit, non fecit id quidem ipse, sed ab eis fieri passus est, qui verebantur, ne Astim reginam in matrimonium restitueret. Praeterea ex anno tertio ab Asti disiunctus ante septimum non elegit, quam uxorem duceret. Accedit eo, quod Esthera ipsa per triginta dies ad regem sese vocatam negat. Deinde vero in luxuriae vituperationem ob eam causam Assuerus adductus est, quod praetoribus militibusque festorum feriarumque dies centum et octoginta concessisset. Quod quoniam cur ita factum esset ad nos delatum non est: iustam reprehensionem explicandi ratio eorum non effugiet, qui inhonestam eius rei causam fuisse suspicati sunt. Et profecto qui non erat nescius claras victorias omnes ab antiquis esse per dierum multorum otium celebratas, neque a Nabuchodonosore, Phraorte superato et occiso, laetitiae epulisque tributos menses quatuor [1]) ignorabat: eum in

1) Iudith. 1, 16. cf. libellum, quem scripsimus *de libro Iudithae* p. 36.

eam sententiam incidere oportebat, ut, rebus anno primo et altero ab Assuero feliciter gestis, tertii anni partem dimidiam ducibus ad convivia, militibus ad quietem datam esse putaret. Crudelitatis denique Assuerus duabus potissimum de causis accusatus est, et quod Amani Iudaeos et quod Iudaeis Amanem sociosque eius occidendos prodidisset. Quorum iniustum specie quidem utrumque, revera neutrum iudicari debet. Nam quod Iudaeos interficiendos permisit, hoc quidem alterum aut ab Amane fecit deceptus, quod iniustos eos suisque imperatis non audientes existimavit, aut, id quod probabilius est, ab eo coactus, quod sese eos ab hostium saevitia conservare posse desperavit. Alteram vero Amanis illam sociorumque occisionem si quis defendere ex iure quod dicunt talionis voluerit, non impediam; quamquam Amanis cognita cum Assuero vel ratione vel simultate fore puto, ut omnes hanc rem sese fallaci vidisse iudicio confiteantur. Sed de Assueri moribus haud alienum est audire Hieronymum, qui in Commentariis in Zachariam 1, 8. s. ita: *Tertios et quartos varios et albos Medos significari putant et Persas, quorum alii clementes fuerunt, ut Cyrus et Dareus filius Hystaspis et Assuerus, quem Graeci Artaxerxem vocant sub quo Esther impletur historia, alii crudeles, ut Cambyses et ceteri.* Postquam Assuerum neque impurum fuisse neque luxuriosum neque crudelem a nobis effectum est, si assumitur id quod Graecorum testimoniis constat, turpitudinibus illis quam maxime affectum fuisse Xerxem: non poterimus, quin Assuerum eumdem ac Xerxem fuisse negemus.

Iam vero ut de quarto illo quidem vitio paucis dicamus, stultitia [1] idcirco in Assuerum cadere visa est,

1) Iustius hanc quidem rem verbis potius quam argumentis pro-

quod numquam in solio regali non fuerit, neque cuiquam aditum ad se patere voluerit, quodque dimiserit Astim uxorem temere. Illud quidem, ut priorem mulierem repelleret, tum vino incensus fecit, tum aliorum hortationibus commotus. Quare ubi primum animi sui tranquillitatem adeptus est, eum vehementer illius rei poenituit. Quod autem in domum et tamquam in maiestatem quamdam regiam sese recepit, morem in eo consuetudinemque secutus est a maioribus acceptam. Quae cum ita sint, horum argumentorum neutrum est ad probandam stultitiam idoneum. Xerxes igitur, si quidem homo erat stultus, atque Assuerus, in quo stultitiae notam nullam calliditatis vero compluria et aperta indicia videmus, unus fuisse et idem nullo modo potest.

2. Alterum argumentorum genus est, quae Iustius ex temporis ratione sumpsit. *Assuerum enim anno tertio invitasse ad convivium omnes magistratus* ait *Xerxem eodem ipso anno tertio omnes et duces et nobiles convocasse, ut de bello Graecis inferendo deliberaret consiliumque caperet. Praeterea Assuerum Susis cum Esthera matrimonium contraxisse, idque fecisse anno septimo h. e. eo ipso in quem incideret Xerxis ex Graecia reditus.* Certissima haec argumenta Iustio ceterisque omnibus visa esse miror. Eis enim ipsis mirum est quantopere confirmetur id quod ante demonstravimus Assuerum non fuisse Xerxem.

Nam ut de priore hoc argumento dicamus, primum quidem Assuerus principes ad convivium, Xerxes ad concilium convocat; hic eo consilio ut gesto de bello una cum militibus gauderet, ille ut deliberaret de bello gerendo.

---

bare videtur. Verba haec sunt quae adhibet: *Der Thor Ahasverus, Der koenigliche Thor des Buches Esther, Der Maiestaetsgek.*

Deinde vero alter ad conventum utrosque et Medos et Persas, alter illos unos adhibet [1]). Nota autem res est et testata, cum imperium in Asia reges obtinerent Persarum, Medos tum publici consilii haudquaquam fuisse participes.

Tum autem hic per menses sex, posterior ille per paucos dies principes ad se convenire iussit.

Denique, id quod hac quidem in re maximi est momenti, Assuerus convivium tertio, Xerxes concilium iam anno altero instituit. Nam qui Xerxem illud fecisse anno tertio putarunt, his quidem Herodoti verbis in errorem inducti sunt. *Cum autem constituerat Xerxes bellum inferre Graeciae, tum altero anno post mortem Darei primum i. e. prius expeditionem contra eos fecit qui defecerant* [2]). Haec verba si recte intellexi, Xerxes Graecos ulciscendi consilium cepit duobus post annis, quam Dareus mortuus est. Prius autem cum sit contra rebelles Aegyptios profectus, ea profectio in annum primum incidat necesse est. Herodotum haec ita plane intelligi voluisse, ex alio eius loco patet. *Inde Aegypto capta Xerxes quatuor per annos integros paravit exercitum et quae exercitui erant necessaria, quinto autem anno exeunte ad bellum profectus est magna cum manu multitudinis* [3]). Quibus verbis quoniam perspicuum est, paratum esse bellum per annos quatuor, eorum autem

---

1) Herodt. 7, 8. Ξέρξης δὲ μετ' Αἰγύπτου ἅλωσιν ἔμελλε ἐς χεῖρας ἄξεσθαι τὸ στράτευμα τὸ ἐπὶ τὰς Ἀθήνας, σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων τῶν ἀρίστων ἐποιέετο.

2) Herodt. 7, 7. Ὡς δὲ ἀνεγνώσθη Ξέρξης στρατεύεσθαι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἐνταῦθα δευτέρῳ μὲν ἔτει μετὰ τὸν θάνατον τὸν Δαρείου πρῶτα στρατηίην ποιέεται ἐπὶ τοὺς ἀπεστεῶτας.

3) Herodt. 7, 20. Ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος ἐπὶ μὲν τέσσερα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τὰ πρόσφορα τῇ στρατιῇ, πέμπτῳ δὲ ἔτει ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος.

ultimum fuisse quintum: sequitur, ut incipiente anno altero bellum parari coeptum sit. Quae cum ita sint: eodem anno secundo incipiente principum concilium deliberandi causa convocatum esse intelligitur. Convivium igitur ab Assuero et concilium institutum a Xerxe, cum et aliis rationibus et tempore inter se differant, congruere et unum omnino esse nullo modo possunt.

Praeterea Xerxes si per plenos annos quatuor exercitum coegit quaeque ab bellum erant usui comparavit, illud certe facere non potuit, ut quod iam opus susceperat, anno tertio convivii causa per menses sex omnino intermitteret.

His ita explicatis, maturum etiam de altero argumento iudicium esse potest. Sexto enim anno Xerxes exercitum hiemandi causa Sardibus retinuit et primo vere in Graeciam transduxit. Incipiente autem anno septimo fusus superatusque in Asiam rediit Sardibusque diu commoratus est [1]). Eodem igitur tempore Susis adesse et Assueri partes suscipere non potuit.

Examinatis igitur duobus illis ex tempore argumentis, contra atque eorum inventores vel cogitarunt vel voluerunt, Xerxem et Assuerum homines duos fuisse et plane diversos efficitur.

3. Tertium argumentorum genus est; quod quamvis leve quoddam et parvi momenti esse videatur, tamen omnino praetermittendum non duxi.

Primum igitur Iustius quoddam quasi argumentum sumpsit ex eo, quod *Xerxem et exhaustum magnificentia expeditionis in Graeciam incredibili illa* scriberet, *et ad exigenda ampliora tributa permotum; quod idem fecisse Assuerum ex libro Estherae disceremus.*

---

1) Herodt. 9, 108.

Deinde vero in eorum numero, qui ad Thermopylas quum pugnaretur, una cum Xerxe rege adfuissent, a Ctesia quemdam haberi Hegiam; qui idem esset atque Hegeus spado is, qui libri Estherae testimonio ab Assuero esset mulieribus praefectus.

Denique eamdem fuisse in uxore Xerxis, quae in Esthera, et inhumanitatem et crudelitatem. Quarum autem mores essent eidem, eas ne ipsas quidem posse inter se differre. Quamobrem inter Amestrem illam et Estheram nominum esse non personarum differentiam. Huic argumento accidit, ut a Iosepho Scaligero inventum primo reiiceretur a Iustio, post vero a Iahnio rursus admitteretur. Iam dicendum est de tribus his argumentis breviter.

Primum igitur quod Xerxem Persarum regem post eius in Asiam reditum regionibus omnibus insulisque vel nova vectigalia vel maiora imperasse dicunt: nullo omnino ad demonstrandum utuntur certo proboque veterum scriptorum testimonio, sed incerta nituntur coniecturarum levitate. Et profecto coniecturas sequi si volumus, Xerxes cum ex Graecia reversus neque exercitum novum neque classem pararet; quid erat quo vel vetera vectigalia augere vel nova addere atque exigere cogeretur? De Xerxe igitur illud isti quidem pro suo locuti sunt arbitrio; credo, etiam de Assuero. Nam ad imperium augendum quae spectant, ad vectigalia contorserunt. Namque haec sunt verba Esth. 10, 1.: *Rex vero Assuerus omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias.* Quae certe nisi praesumptis obcaecatus opinionibus non poterit vel de aerario exhausto vel de necessariis tributis intelligere. Clara enim eorum et perspicua haec est sententia: Assuerus omnes et Asiae regiones et maris insulas sub suam potestatem ditionemque redegit, redactisque indixit vectigalia. Quoniam igitur

neuter neque Xerxes neque Assuerus nova auctaque tributa exegit, non intelligo, cur eam ob causam Xerxem Assuerum vel habeamus vel dicamus. At vero quod alter regnum a patribus acceptum amplificare studuit, alter, Cypro insula, Caria Lyciaque amissa, illud diminuit, videtur id satis esse causae, cur Xerxem Assuerum fuisse negemus.

Sed quoniam libri Estherae de augendo imperio locum illum una ex parte explicare coepimus, non alienum esse videtur, verba, *cunctis maris insulis*, quo spectent, breviter demonstrare. Vt plerique interpretes de mari interno de eiusque insulis cogitarent, duabus potissimum ex causis videtur esse factum; et quod mare illud internum, a quo proxime absumus, cognitum nobis magis est et quasi sub primo adspectu positum; et quod eius insulae ceteras fere omnes vel numero vel magnitudine vel incolarum potestate praestant. Primum autem sciendum est, *maris* verbum Hebraeos indefinite adhibuisse et ita, ut alterutrum vel internum vel rubrum (Persicûm atque Arabicum) appellarent *mare*, duo autem illa inter se coniuncta dicerent *maria*. Verbum igitur illud, quoniam hoc loco singulariter elatum est, non de duobus illis sed de eorum altero est accipiendum. De mari autem Persico ut illud intelligendum esse dicam, haec me movent. Quae insulae interno in mari sitae sunt, eae omnes numquam neque Medis neque Persis paruerunt. Quae si vera sunt, ut sunt, ne ab Assuero quidem umquam vel superatae vel vectigales factae esse possunt. At vero Persici maris insulas ab Assuero in ditionem redactas esse, non est cur negemus; quoniam sub potestate Persarum eas fuisse constat [1]). Sed haec hactenus.

---

1) Herodt. 7, 80. Τὰ δὲ νησιωτικὰ ἔθνεα τὰ ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλασ-

Alterum argumentum quam infirmum leveque esset, Iustius sensisse ipse quidem videtur; neque tamen ceteris rationibus tantum confidere se posse putavit, ut illud omnino omitteret. Cum errare solent ei, qui ex litterarum consensione et quasi concentu quodam diversarum linguarum verba vel eadem esse vel eadem ex radice nata concludunt: tum vero saepius in errores incidunt, qui nominibus propriis non admodum diversis unam continuo eamdemque personam subfuisse suspicantur. *Hegias* et *Hegeus* nomina inter se aliqua quidem ex parte consentiunt; communes enim litteras habent tres. At vero tribus ex his litteris efficere non solum eadem esse haec nomina, quorum alterum legitur apud Graecos, alterum apud Hebraeos; sed ne homines quidem, quibus illa erant data, inter se differre, audacis hominis est et res philologicas omnino ignorantis. Accedit eo, quod quid spadoni nominis fuerit, minime constat. Neque enim nisi Hebraicis nostris in libris Hegeus vel potius Hege nomen illud quidem usquam est. Scriptum est enim a septuaginta interpretibus *Gai*, ab Origene *Gogaeus*. Hunc igitur spadonum principem, relicta mulierum domo, apud Thermopylas adfuisse, hunc, cui vel Hegeo vel Gai vel Gogaeo nomen erat, a Graecis nominatum esse Hegiam, quis est, qui credat?

Reliquum est, ut de argumento tertio paucis dicamus. Qui eamdem fuisse Amestrem Xerxis atque Estheram Assueri coniugem finxerunt, ei quidem cogitasse non videntur, quales mulieres et quam diversas unam in persónam redigerent. Esthera est enim patre genita

---

σης ἑπόμενα, νήσων δὲ ἐν τῇσι τοὺς ἀνασπάστους καλεομένους κατοικίζει βασιλεύς. *Rubrum* a Graecis utrumque et Arabicum mare et Persicum vocatum esse, apparet ex Herodt. 6, 20.

Abihael, Otane Amestris. Alter matura morte decessit; expeditione contra Graecos facta, superstes Persis praefuit alter [1]). Haec est matre nata Hebraea, illa Persica et ea quidem Darei regis sorore. Altera tum Assuero tum omnibus eius servis ignota erat et aliena, altera vel ipsius mariti cognata [2]). Quam priorem diximus, ea exeunte anno septimo coniugium regium adepta est, posterior illa multo ante annum quartum. Esthera autem quamquam ab Amestre toto coelo distare vere dici potest, non longius tamen ab ea quam a Xerxe abesse Assuerus videtur.

Iam ex magno argumentorum numero ne unum quidem reliquum esse video, quod de Xerxe sententiae illi non veritatis sed ne probabilitatis quidem speciem ullam tribuere possit. Ea nimirum argumenta sibi sumpsit Iustius, quibus tamquam proprio gladio iugulari sine negotio posset ipse. Quamobrem, etsi nihil dum fecimus, quam ut quae illi pro sua opinione dixerunt, accurate diligenterque examinaremus, tamen illud iam omnes sentire iudicamus, Xerxem et Assuerum inter se mirum quantum abhorrere. Quae res cum ita se habeat, non attinet rationes eas afferre, quibus illud data opera possit demonstrari.

§. 6.

Estherae tempus qua sit ratione quaerendum?

Quemadmodum ei, qui avaritiae ardore incensi terminum de loco iusto demoverunt, ut popularis fert

---

1) Herodt. 7, 61. Καὶ ἄρχοντα παρείχοντο Ὀτάνεα τὸν Ἀμήστριος πατέρα τῆς Ξέρξεω γυναικός.

2) Herodt. 7, 82. Καὶ Σμερδομένης ὁ Ὀτάνεω, Δαρείου ἀμφότεροι οὗτοι ἀδελφεῶν παῖδες, Ξέρξῃ δὲ ἐγίνοντο ἀνεψιοί.

opinio, etiam post mortem conscientia animi agitati, atque eo qui agrum ab agro dividerat lapide onusti, iustum eius locum quaerere semperque per omnem illam regionem sine ulla quiete vagari dicuntur: sic, qui tempus Estherae investigare studuerunt, suscepto eius libro, omnem historiae campum peragrantes, iustum atque idoneum eius locum invenire numquam posse videntur. Quo enim cumque loco quis, quaerendo fessus, historiam Estherae constituit atque firmavit, eo recens alter et integris viribus successit, qui, labefactata illa et suscepta, aptiorem quidem locum eadem tamen qua ille ratione eodemque eventu quaerere denuo inciperet. Neque vero nos, quoniam Assuerum Xerxem fuisse negavimus, quaerendi illum investigandique laborem effugere aut poterimus aut volemus. Ne tamen nobis iddem illud accidat, ut prius defatigemur quam ad finem pervenerimus, ratio nobis est antea et via aperta directaque describenda. Superiores enim omnes qui ad hanc rem operam studiumque contulerunt, video rem ita instituisse, ut, singulis quasi lustratis Persarum Medorumque regibus, eorum unumquemque vel interrogarent quodam modo vel tentarent, possetne Estherae esse coniux. Hac via quod volumus assequi vel numquam vel certe non sine magno sudore poterimus. Mea autem sententia, non est primum Persarum aut Medorum historia pervestiganda; sed nihil est magis necessarium, quam vitam historiamque Estherae adire, legere, pertractare. Ab hac re profecti fieri omnino non potest, quin eam viam ingrediamur, qua certe et sine ullo erroris periculo quo tendimus perveniamus.

Itaque dicemus primum quo tempore Assuerus Medisne fuerit an Persis in Asia regnantibus, deinde quis Assuerus fuerit et Mardochaeus; tum hostes illi Iudaeorum quibus rebus potuerint a Medis, a Persis, ab aliis

gentibus dignosci quaeremus; disseremus post de natione Gagaeorum, de Amane Gagaeo, eiusque et patre Amadatha et coniuge Zara; denique de hominum septuaginta quinque milibus interfectis ecquid alii scriptores prodiderint videbimus; postremo de sortium festo die et Iudaeorum et aliarum gentium disputabimus et de eis veteris testamenti locis, qui ad hanc rem videntur esse referendi.

§. 7.

Quo tempore Assuerus Medisne fuerit an Persis in Asia regnantibus?

Assueri aetatem in spatium illud temporis incidere, quo aut Medi in Asia imperium obtinuerunt aut Persae, tam facile est ex libro Estherae perspicere, ut tanta in sententiarum varietate ad tempus aliud nemo prorsus aberraverit. Hoc igitur est unum disceptandum, Medisne ille fuerit an Persis in Asia imperantibus.

Ad hanc rem illustrandam primum quidem libri Estherae loci ei aliquid videntur posse, ex quibus apparet, Medos et Persas, Assuero regnante, coniunctos fuisse inter se et copulatos. Principio enim ex eis, qui ad convivium vocantur, nominatim Persarum afferuntur et Medorum principes. Postea septem illi, qui socii regis consiliorum esse solent, duces sunt Persarum atque Medorum. Deinde solae sunt principum Medorum Persarumque coniuges, quae verendum est ne exemplum Astis reginae sequantur. Tum in edicto scribendo promulgandoque servanda Persarum ac Medorum lex est. Post annales, in quibus Assueri regis memoria est, vocantur ei quidem regum Medorum libri ac Persarum. Ad extremum in oratione sua Esthera deum per Moysem fidem fecisse ait, neque Babylone neque Media et

Persia summam imperii obtinente, umquam futurum, ut ab ipso derelinquantur Iudaei [1]).

Neque vero ex hoc locorum numero id patet unum quod supra demonstravimus, cum Assuerus in Asia regnum obtineret, coniunctos artissimo tum inter se vinculo fuisse Medos et Persas: verum etiam illud elucet, eisdem eos inter se iuribus, eisdem fuisse conditionibus, ut in administranda republica utri utris praestarent, ne ullo quidem indicio cognosceres. Neque enim eis locis, quibus Persarum nomen prius quam Medorum positum est, tantum tribuendum videtur, ut horum imperio illos subiectos fuisse putem, praesertim quod neque desunt quibus Persis Medi antecedant, et quod ex Graecorum interpretatione exstat, quantum ad illum ipsum ordinem immutandum librariorum valuerit incuria [2]). Nam quod Medi Persis et Persae Medis anteponuntur, eo id potius significatur, quod rebus ipsis iam declarari diximus, illorum utrosque conditione inter se pari tum usos esse et aequali.

---

1) Esth. 1, 3. Assuerus fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis *fortissimis Persarum et Medorum inclytis* (LXX. καὶ τοῖς Περσῶν καὶ Μήδων ἐνδόξοις) et praefectis provinciarum coram se.

1, 14. Erant autem primi et proximi Charsena et Sethar et.... *septem duces Persarum atque Medorum* (οἱ ἄρχοντες Περσῶν καὶ Μήδων) qui videbant faciem regis et primi post eum residere soliti erant.

1, 18. Atque hoc exemplo omnes *principum* coniuges *Persarum atque Medorum* (αἱ τυραννίδες αἱ λοιπαὶ τῶν ἀρχόντων Περσῶν καὶ Μήδων) parvi pendent imperia maritorum.

1, 19. Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua et scribatur iuxta *legem Persarum atque Medorum* (κατὰ τοὺς νόμους Μήδων καὶ Περσῶν) quam praeteriri illicitum est.

10, 2. Cuius i. e. Assueri fortitudo et imperium et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochaeum, scripta sunt *in libris Medorum atque Persarum* (ἐν βιβλίῳ βασιλέων Περσῶν καὶ Μήδων.)

Orat. Esth. 21. Dicens, non recedam ab eis in regno Babylonis, neque derelinquam eos in *regno Mediae et Persidis*.

2) Cf. LXX. Esth. 1, 19. 10, 2.

Illud igitur si tenuerimus, non solos aut Medos aut Persas, sed utrosque inter se coniunctos communis iuris et consilii eiusdemque libertatis fuisse participes: id facile assequemur, ut quo tempore Assuerus fuerit, accurate et definite cognoscamus.

Primum enim aetate sua Assuerus, id quod nonnulli putabant, ad illud temporis spatium devenire non potuit, quum inde a Cyro rege totius Asiae principatum Persae obtinebant. Nam Persae, ex quo tempore victores exstiterant, Medos non sibi, sed victis reliquis populis pares semper et aequales habebant; neque propria sua et peculiaria neque praecipua eis iura ulla concedebant umquam. Etenim Medos, quos Cyrus in deditionem redegerat, in eadem potestate retinuit Cambyses [1]. Quam illi servitutem cum aegre ferrent, pristinum recuperare imperium per Smerdem Magum conati sunt [2]. Quod cum per septem menses obtinuissent, superati a Dareo, non solum publici consilii expertes, sed etiam, ut ceterae praeter Persas nationes omnes, vectigales facti sunt [3]. Hanc sibi rem ferendam non putant, a Dareo rege victore deficiunt, vi et gladio devicti ad officium redire coguntur [4]. Quibus rebus factum est, ut Xerxes Darei filius diffisus illis non Medum quemquam sed Tigranem Achaemenidem praeficeret [5]. Simili ratione reliqui Persarum reges Medos victis pares, hominibus suis inferiores esse voluerunt. Quae cum ita sint, ad horum imperii iniquitatem is detrudi nequit, qui Medis Persisque concessit iuris aequabilitatem.

---

1) Herodt. 1, 130.
2) Id. 3, 61. ss.
3) Id. 3, 92. 97.
4) Id. 1, 130.
5) Id. 7, 61.

Neque vero in antiquitatem illam regno suo Assuerus incidisse potest, cum Medi et Persae civitatis nullam dum societatem inierant. Quare longo illo temporis spatio fuisse nequit, quo Medi primi ab Assyriis desciverant ac vel regem nullum habuerunt vel paruerunt Deioci. Neque enim eorum cum Persis ulla fuit eo tempore coniunctio.

Quod probare historicis rationibus studuimus, Assuerum interfuisse Deiocem inter et Cyrum, id eius mirifice testimonio confirmatur, qui de Esthera scripta reliquit. Testantur enim in suis orationibus, quibus quam libro ipsi non minus est in historia auctoritatis, Mardochaeus et Esthera, exsules sese esse ac patria expulsos. Alter pio vero in deum ac submisso animo profitetur, *sese et omnes suos traditos illo die in exsilium esse non ob infirmitatem manus divinae, sed quasi venditos propter sua suorumque peccata et captivos propter male facta ex patria abductos* [1]. Altera, ut numen divinum ad misericordiam commoveat, eisdem fere verbis commemorat, *patres suos a deo, quum in eius excelsum nomen peccavissent, in manus traditos esse istorum, qui eos abducerent. In exsilio enim esse eos illo tempore* [2]. Et paulo post non sine magno dolore laesam dei maiestatem implorat, *non satis sibi suisque illud esse, quod in exsilium ducti hostibus servire durissime cogantur, sed istos etiam impie gloriari, populum Iudaeorum a deis esse ipsorum potestati concessum* [3]. Exsilium autem illud non Assyricum, sed Babylonicum intelligendum est multis de causis; quod Mardochaeus non solum Iudaeus, sed etiam ex

1) Orat. Mard. 8.
2) Orat. Esth. 19. 20.
3) Ibid. 22.

Beniamini genere ortus est [1], quod in exsilio esse Iudaeorum populum declaratur [2], quod Esthera sese confidere dicit deum non derelicturum gentem suam in regno Babylonis [3], quod qui Iudaeorum erat expulsor Nabuchodonosor nominatim affertur [4]. Quoniam autem exsilium illud quod diximus per septuaginta annos a Nabuchodonosoris anno primo usque ad primum regnum Cyri pertinere docuimus [5]: sequitur, ut Assuerus, qui et post inceptum et ante confectum exsilium fuit, nec ante Nabuchodonosorem nec post Cyrum fuisse possit. Quodsi ad hanc rem addimus id, quod alio loco a nobis expositum est [6], superatum occisumque a Nabuchodonosore esse Phraortem, cum alter ille annum duodecimum, vicesimum secundum regnaret alter: iddem illud efficitur, regno suo Assuerum neque antecessisse Deiocem neque ultra Cyri aetatem devenisse.

Quoniam Assuerum neque post fuisse quam Cyrum neque ante quam Deiocem demonstravimus: rem tam arctis finibus tamque angustis circumscripsimus, ut non posset ille non esse ex tribus regibus unus. Horum erat primus Phraortes, qui Deiocem in Medorum regno proxime secutus est. Is Persas, quorum erat victor idem et tutor, ita sibi adiunxit, ut neque a suo neque a filii imperio umquam discederent. Idem humana natura penitus perspecta, cum Medos et Persas vinculo ad perpetuitatem firmissimo inter se colligare vellet, eos ad bellum gerendum contra finitimas nationes ducendos

---

1) Esth. LXX. 1, 1. Vulg. 2, 5.
2) Orat. Esth. 22.
3) Ibid. 21.
4) Esth. 2, 6.
5) In opusculo, quod de libro Iudithae a nobis confectum est p. 37. ss.
6) Ibid. p. 36. ss.

existimavit. Ita utrisque adoriendi hostes erant eidem, pares suscipiendi labores, subeunda aequalia pericula, eadem denique proposita salus, eadem victoria, eadem praemia. Itaque ab alia ad aliam gentem cum exercitu victore progressus, cum omnem fere Asiam superasset [1]): Persas, quibus omnia fuerant cum Medis communia, quomodo a reipublicae, quomodò a iurum, a legum libertatisque communione potuit excludere? Quamobrem eos cum Medis ita adaequavit, ut nulla omnino inter utrosque relinqueretur differentia, nisi quod rex ex illis nasceretur, et ut inter eos necessitudo ea intercederet, quam ex libro Estherae cognitam habemus. Ex tribus illis erat alter Cyaxares, Phraortis filius, qui priores reges virtute et rei militaris gloria longe superavit [2]). Quod non intelligo quomodo fieri potuerit: nisi coniunctione illa Medorum Persarumque vel conservata vel etiam confirmata. Erat tertius denique Astyages, qui a Cyaxare patre regnum imperiumque accepit. Is tantum abfuit, ut de Persarum iuribus quidquam deminueret, ut filiam quam habuit unam Cambysi homini Persico nuptum daret. Cognita Persarum cum Medis ratione, quae erat tribus illis regibus, tantum profecimus, ut Assuerum, si vel ante Deiocem vel post Cyrum fuisse negavimus supra, recte iam et eo ipso, quod inter istorum utrumque est, intervallo fuisse et aut Phraortem eum aut Cyaxarem aut Astyagem dicere possemus. Quorum trium quis fuerit, iam quaerendum est.

---

1) Herodt. 1, 102. Φραόρτης οὐκ ἀπεχρῆτο μούνων ἄρχειν τῶν Μήδων, ἀλλὰ στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Πέρσας πρώτοισί τε τούτοισι ἐπεθήκατο καὶ πρώτους Μήδων ὑπηκόους ἐποίησε, μετὰ δὲ ἔχων δύο ταῦτα ἔθνεα καὶ ἀμφότερα ἰσχυρὰ κατεστρέφετο τὴν Ἀσίαν ἀπ᾽ ἄλλου ἐπ᾽ ἄλλο ἰὼν ἔθνος.

2) Iudith. Vulg. 1, 1. Herodt. 1, 103. Οὗτος (Κυαξάρης) λέγεται πολλὸν ἔτι γενέσθαι ἀλκιμώτερος τῶν προγόνων κτλ.

§. 8.

Assuerus Medorum Persarumque rex quis fuerit?

Quoniam regem quem quaerimus necesse est ex tribus esse unum, duplex nobis est inveniendi ratio. Vna, cum ab eo numero duos ita segregamus, ut eorum neutér Assuerus iudicari possit. Quodsi nobis ex sententia successerit, necesse erit, qui relinquatur tertius, Assuerus habeatur. Altera est, ut ostendamus certis notis atque indiciis, ex eodem illo numero unum aliquem esse eum quem investigamus. Id si fecerimus; per se quidem patebit, eorum neutrum qui reliqui sunt eum esse quem invenire volumus. Quoniam autem vel maxime in disputatione ingredienda videndum est ne quem in errorem inducamur: ea adhibenda ad hanc rem diligentia est, ut rationum illarum sequamur utramque. Hanc autem quam nobis proposuimus sive quaestionem sive argumentationem ita instituemus, ut, cum trium regum quisque sit cum Assuero comparandus, dicamus de locis quatuor: de rebus gestis, de capite regni, de nominum natura, de ratione tempóris.

1. Primum igitur ut de rebus gestis dicamus, Assuerus cum tertium annum regnaret, praeter Persarum Medorumque principes magnum satraparum numerum ad convivium convocat [1]). Vnde perspicuum est, non modo Persas sub impèrio eius fuisse illo tempore sed multas etiàm nationes alias. At vero is, qui ex tribus illis regibus primus erat, Phraortes tertio anno neque imperium in provincias distributum neque aut populum ullum praeter Medos et Persas aut ne Pérsas quidem

1) Esth. 1, 3. 4.

sub suam tum potestatem redactos habuit. Quam rem ita se habere probabile est eam ob causam, quod a gente alia ad aliam cum exercitu profectus ad Assyrios non ante accessit, quam anno vicesimo altero, qui annus eius erat supremus [1]). Quamobrem Assuerus Phraortes ille quidem fuisse haud sane potest. Ac de primo quidem eorum qui in hanc quaestionem veniunt diximus.

Iam videamus de tertio, qui ab Herodoto appellatus est Astyages. Acceptis is rebus a patre contentus nihil videtur habuisse antiquius, quam ut regnum quam diutissime posset pacatum tranquillumque retineret [2]). Neque enim memoriae prodiderunt aut bellum eum contra populos finitimos gessisse, aut protulisse imperium finesque eius usquam reddidisse latiores. Assuerus contra et terram omnem continentem et insulas, quae sunt in Persarum mari positae, imperio suo adiunxit eisque imperavit vectigalia [3]). Quoniam igitur iddem inter eos discrimen est, quod inter hominem militarem et regem pacis amantem; ne Astyages quidem et Assuerus eidem esse inter se et pares ullo modo possunt.

Detractis duobus et remotis, reliquus est unus, quem Herodotum secuti Cyaxarem vocare consuevimus. Hic, vera si usi sumus ratiocinatione, non potest esse alius quam Assuerus. Et profecto idem ipse, ubi primum regnum obtinet, Chaldaeos, ut patrem ulcisceretur, adoritur, devincit, compellitque ad urbem Ninum, quae urbs tum erat munitissima. Quam, dum omnibus cum copiis obsidet et in expugnandi spem venit, adversa quadam et subita re, cogitur relinquere [4]). Haec res

1) Herodt. 1, 102.
2) Id. 1, 107. ss.
3) Esth. 10, 1.
4) Herodt. 1, 103. Συλλέξας δὲ (Κυαξάρης) τοὺς ὑπ' ἑαυτῷ ἀρχομε-

quamquam minus feliciter ei accidit, tamen Assyriis ante quam ad urbem confugerent fusis superatisque, ipso illo anno tertio prorsus in eumdem locum eademque in iura successit, quae antea in Asia obtinuerant illi. Quae quum ita se haberent, Cyaxares et multarum iam tum provinciarum imperium assecutus est, et de victoria iure suo gloriari ac dimidiam anni partem ducibus militibusque ad quietem, ad laetitiam, ad convivium dare potuit [1]). Omnino autem Cyaxarem hominem magnanimum bellicosum et eum fuisse, quem insignem libri Estherae scriptor Assuerum suum fecit, pluribus ex rébus perspicitur, et quod multa ad rem militarem invenit nova [2]), et quod maioribus suis, teste Herodoto, longe erat fortior [3]), et quod multa ac diutina bella gessit [4]). Quamquam, haec quidem hoc loco verbis quam potuimus paucissimis explicavimus, tamen satis, ut arbitror, significavimus, eamdem prorsus in Assuero fuisse et in Cyaxare belli gerendi cupiditatem, eamdem in utrumque cadere bellicam fortunam, eamdem denique rei militaris gloriam. Itaque nomine eos inter se, non re differre iuste nobis videmur iudicare. Ac de rebus gestis diximus; iam de loco quaeramus.

2. Homines, quo loco consederunt, inhaerere eo et quasi radices agere solent. Quare agri quos columus,

---

νους πάντας ἐστρατεύετο ἐπὶ τὴν Νίνον, τιμωρέων τε τῷ πατρὶ καὶ τὴν πόλιν ταύτην θέλων ἐξελεῖν· καὶ οἱ, ὡς συμβαλὼν ἐνικήσε τοὺς Ἀσσυρίους, περικατημένῳ τὴν Νίνον ἐπῆλθε κτλ.

1) Esth. 1, 3. ss.

2) Herodt. 1, 103. Κυαξάρης πρῶτός τε ἐλόχισε κατὰ τέλεα τοὺς ἐν τῇ Ἀσίῃ καὶ πρῶτος διέταξε χωρὶς ἑκάστους εἶναι, τούς τε αἰχμοφόρους καὶ τοὺς τοξοφόρους καὶ τοὺς ἱππέας· πρὸ τοῦ δὲ ἀναμὶξ ἦν πάντα ὁμοίως ἀναπεφυρμένα.

3) Herodt. l. c.

4) Herodt. 1, 16. 73. ss. 103. 106.

hortos in quibus ambulamus, domus in quibus sumus, quasi corporis nostri quaedam videntur esse partes. Itaque si homines diverso in domicilio fuisse acceperimus, eos omnino inter se differre iudicabimus, nec id minus certe quam si eorum alius alio fuerit tempore. Itaque certum quoddam ad hanc rem argumentum ducere ex eo loco poterimus, quo ei de quibus dicimus reges suum quisque solium imperiumque constituerunt.

Primum igitur Assuerum usque ad annum duodecimum sedem habuisse Susis, ex historia Estherae facile intelligitur. Nam quidquid de illa exponitur, id factum est in urbe Persarum. Illuc tertio anno principes omnes et satrapae ad convivium convenerunt. Illic investigavit Mardochaeus spadonum coniurationem. Illic anno septimo mense decimo primum Esthera ad regem est deducta. Illic mense primo anni duodecimi regem adivit Aman. Illinc paucis post diebus nuntii cum regis decreto in provincias omnes dimittuntur. Illic Esthera utrumque ad se et regem et Amanem invitat. Illinc mense tertio iterum dantur in omnes regiones litterae. Illic denique rex adfuit mense duodecimo, cum quod per nuntium acceperat, interfectos ibi hostes Iudaeorum septingentos, cum regina statim communicaret [1]). Quibus rebus exploratum etiam illud est, remansisse semper Assuerum Susis neque pro anni tempore aliam in urbem migrare umquam consuevisse. Ille igitur rex, quoniam quo tempore vacabat Susis adfuit, ex tribus quos demonstravimus non potest alius esse quisquam nisi eadem in urbe qui domicilium suum collocavit.

Iam vero Phraortes inde a pueris quoad contra Assyrios profectus est, non Susis in Persarum finibus sed

---

1) Esth. 1, 3. 2, 16. 3, 7. 12. 8, 9. 9, 1. ss.

Ecbatanis habitabat [1]). Nam cum regiam arcem magnificam ac munitissimam haberet a Deioce conditam [2]), ipse civium tecta muris turribusque sepire coepit [3]). Quo opere perfecto, bellum Assyriis ausus est inferre. Sed illorum rex Nabuchodonosor hunc ipsum fugavit atque occidit [4]), urbem militibus ad diripiendam vastandamque tradidit [5]).

Iam autem Astyages Medorum quidem Persarumque imperium tenuit, neque tamen Ecbatanis neque Susis sedem suam sed Babylone constituit. Quam quidem novam rem et inauditam in hoc libro satis est significasse: declarare et demonstrare in alio conabimur. Quoniam igitur regnum suum Phraortes Ecbatanis, Astyages Babylone collocavit, horum neuter gerere regis eius personam potuit, quem Susis fuisse diximus. Itaque ad Cyaxarem res omnis videtur redire.

Quid vero tam admirabile, quid tam incredibile est, quam Cyaxarem illum et arcem Ecbatanorum et urbem reliquisse imperiumque suum in Persarum fines transtulisse? qui ex Medis ortus, qui Phraorte patre natus, qui Medorum rex semper est et appellatus et existimatus. Sed haec res quamvis videatur ad credendum difficilis, multa tamen efficiunt, ut nihil prorsus possit habere dubitationis. Nam Persis et Medis eiusdem inter se conditionis vinculo iunctis, sive horum sive illorum

---

1) Herodt. 1, 101. s.

2) Idem 1, 98.

3) Iudith. 1, 2. Ἀρφαξάδ, ὃς ἐβασίλευσε Μήδων ᾠκοδομήσεν ἐπ' Ἐκβατάνων καὶ κύκλῳ τείχη ἐκ λίθων λελαξευμένων κτλ.

4) Herodt. 1, 102. Iudth. 1, 13. 15.

5) Iudth. 1, 14. Καὶ ἐκυρίευσε (Ναβουχοδονόσορ) τῶν πόλεων αὐτοῦ (τοῦ Ἀρφαξάδ) καὶ ἀφίκετο ἕως Ἐκβατάνων καὶ ἐκράτησε τῶν πύργων καὶ ἐπρονόμευσε τὰς πλατείας αὐτῆς καὶ τὸν κόσμον αὐτῆς ἔθηκεν εἰς ὄνειδος αὐτῆς.

in finibus erat rex, utrobique apud suos esse videbatur. Itaque dummodo habuit, cur ab Ecbatanis patrum urbe discederet; non erat verendum, ne id si faceret vel alteris illis alteros anteponere videretur vel illorum animos ulla ratione offenderet. Sed iustissimam eius rei causam, quam praeclare nobiscum actum est, ut habeamus cognitam? Cyaxares enim, ubi reipublicae praeesse coepit, ad hanc rem primum studium operamque omnem contulit; ut ab Assyriis patris mortem vindicaret. Quapropter exercitum quam potuit maximum coegit, hostes petivit superavit inclusit. Qua victoria parta, dies statim agere triumpales constituit. Quoniam autem Ecbatana a Nabuchodonosore vastata ad illud tempus et magnam partem eversa iacebant: nonne praestitit, sedem regni Susis collocare, quam triumphum illum ad restitutam Medorum urbem differre militesque per triennium bello defessos magis etiam defatigare? Ac quod de Cyaxare coniectura assecuti sumus, id ipsum videmus de Assuero vel significatum vel expositum esse ab eo, qui de Esthera librum scripsit. Ad verbum enim is ita: *Diebus illis, cum assedit Assuerus rex in solio regni sui, quod quidem* erat *in urbe Susis, tertio anno imperii sui* [1]) etc. His verbis, cum accuratior altera temporis significatio: *tertio anno imperii sui* ad priorem: *diebus illis* vel accedat vel pertineat, hoc utrumque apparet, et usque ad tertium annum Assuerum versatum in bello dômi in sella regia non fuisse, et tum demum, cum Asiae imperium altero vel tertio anno ab Assyriis recuperasset, ad solium maiestatemque regiam ascendisse, idque non Ecbatanis sed fecisse Susis. Haec igitur teneamus quum significatione verborum Hebraicorum

1) Esth. 1, 2.

commoti, tum auctoritate Graecorum, qui ita interpretati sunt: *Diebus illis, cum ad sellam regiam elatus est Assuerus rex in urbe Susis, tertio anno* [1]) etc. Quoniam igitur hoc vere licet dicere, Cyaxarem, cum tertium annum regnaret, Ecbatanis etiam tum vastatis, imperium detulisse Susa: cum occurritur eis, qui Assuerum, quod illa in urbe fuisset, idcirco Persarum non Medorum regem fuisse statuerunt, tum vero etiam illud comprobatur, quod voluimus, nominibus istis unam subesse eamdemque personam. Sed de nominibus ipsis iam videamus.

3. Omnis humana ratio eam semper legem secuta est, ut tam rebus quam personis suum cuique nomen poneret. Quam ob causam diverso nomine nisi diversa persona signari non potest. Quodsi autem nomina *Assuerus Phraortes Astyages* audierimus, quantam sentiemus inter illa discrepantiam, tantam statim iudicabimus inter personas esse differentiam. Sed de hac re, ut arbitror, accuratius disputandum est.

Illud igitur nomen Phraortis, quod usurpare Graeci coeperunt, in libris sacris quod sciam nusquam invenitur. Sed quem nos secuti istos dicere Phraortem consuevimus, eum scriptor libri Iudithae vetere illo Arphaxadis nomine appellavit. Quod quidem ita esse, alio in libro est a nobis expositum. Quem igitur scriptores sacri dicebant Arphaxadem, eumdem certe non nominabant Assuerum. Arphaxades igitur et Assuerus, qui diversis vocati sunt nominibus, re vera et persona non possunt non differre.

Neque vero exstat apud Hebraeos alterum nomen Astyages. Est quidem in Danielis cum Beele certamine;

---

1) Ἐν αὐταῖς ταῖς ἡμέραις ὅτε ἐθρονίσθη βασιλεὺς Ἀρταξέρξης ἐν Σούσοις τῇ πολει ἐν τῷ τρίτῳ ἔτει κτλ.

sed eius rei apud Graecos tantum memoria est [1]). Quodsi autem eius, cui apud Herodotum Astyagi nomen est, litteris sacris mentionem ullam esse usquam negem, mentiar. Neque enim postquam diu multumque hac de re cogitavi, assentire possum eis, qui Astyagis nomen putarunt unius et supremi quidem Medorum regis esse proprium. Quoniam enim et Deioces, cuius quidem nomen Herodoti testimonio exploratum est, ab Abydeno Astyages, ab interprete Armenio Asdahages [2]) vocatus est, et Cyaxares, qui eodem teste Herodoto ita nominabatur, a Xenophonte [3]) item Astyages est appellatus: quid veri est similius, quam non nomen Medorum regum istud quidem esse sed cognomen? Quod quidem unde sumptum esse potest nisi a primo regis praecipuoque apud Medos munere? Deiocem vero notum est principio non regem fuisse vel tyrannum sed iudicem [4]). Neque eos, qui antiquarum rerum non nimis periti sunt, velim ignorare, multos fuisse apud Hebraeos Phoenicesque civitatis gubernatores, qui iudices se maluerint quam reges appellari. Atqui magnus est etiam imperatorum numerus, qui severitatem regis nomine iudicis temperare voluerint. Veluti apud Assyrios Tiglath, qui in Phulis locum successit, sese vocari voluit *Phul-assar* [5]) h. e. *iudex*

---

1) Dan. 12, 1. *Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀστυάγης προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ καὶ παρέλαβε Κῦρος ὁ Πέρσης τὴν βασιλείαν αὐτοῦ.*

2) Syncell. Chron. p. 210. et Euseb. Chron. Arm. edt. Ang. Mai p. 25. edt. I. B. Aucher I. p. 54.

3) Xenoph. Cyrop. 1, 5, 2.

4) Herodt. 1, 96. ss.

5) Ad explicandum Caldaicum illud אצר, assar, proficiscendum est a דניאל, *iudex dei*, quod nomen a Chaldaeis conversum est in בלטשאצר *iudex Balthis*. Coniunctum est cum Chaldaico אצר, vel quod idem est אסר, שלמנאסר, vel צר ־ַ, נבוכדרצר, Hebraicum עזר *adiuvare coram iudice, in iudicii discrimine.*

Phulis. Nominati sunt posteri *Salman-assar*, *Ennom-assar*, *Nabo-n-assar*, *Nabo-pol-assar*, *Nabo-col-assar*, *Nabo-dan* [1]), *Balth-assar* [2]), *Bal-a-dan*, *Nergel-assar* h. e. *iudex Salmanis*, *Ennomis*, *Nabonis*. *Balthis*, *Balis*, *Nergelis*. Itaque Astyages vel Asdahages, si propositam litteram א dempserimus, nihil aliud esse statuo quam שדוניא *iudex*, quod verbum eamdem ad usitatum illud דיניא, quam שדין ad דין rationem habet. Sed hoc utut est, qui Astyagis apud Herodotum cognomen habet is Dareus a Daniele dicitur [3]). Quam rem obscuram sane et ignotam vel patefacere vel illustrare, ab hoc loco alienum puto. Neque igitur Arphaxades, quem Phraortem Graeci, neque Dareus, quem Astyagem nuncuparunt, Assuerus haberi ullo modo potest.

Quare hoc unum reliquum est, ut iddem esse Assueri nomen dicamus et Cyaxaris. Quod quidem existimari aliter certis de caussis non potest.

Primum quia Dareus filius fuisse Assueri [4]), Astyages Cyaxaris [5]) traditur. Si enim, id quod supra significavimus, idem est Dareus et Astyages: patrem necesse est unum habuerit et eumdem. Habuit autem eum, qui a Graecis Cyaxares, Assuerus ab Hebraeis appellatus est. Ergo ut eadem Assueri et Cyaxaris persona, sic iddem est nomen.

Deinde vero libro ei, qui de Tobia est inscriptus, hoc apud Graecos additum videmus, qui Ninum veterem Assyriorum urbem funditus everserit, hunc fuisse

1) *Nabodan* litteris transpositis *Nabonnad*, ut Εὐιλμερδαχ; Ierem. 52, 31. Οὐλαιμαδάχαρ.

2) Cf. nomen Punicum *Assarbal* vel *Asdrubal*, i. e. *iudex Balis*.

3) Dan. 5, 31. 6, 1. ss. 9, 1.

4) Dan. 9, 1.

5) Herodt. 1, 107.

Assuerum [1]. Quid vero? quem istud perfecisse scribit Herodotus, nonne eum ipsum vocat Cyaxarem?

Sed ista nomina paria esse et plane eadem atque ex Hebraico Assuerus Graecum illud Cyaxares quasi necessitate quadam linguae natum esse, haec fugere, ut arbitror, alios poterunt, ut possum affirmare, homines nostros, quae eorum est in his rebus et industria et sagacitas, certe non poluerunt. Hupfeldium enim harum rerum cum primis peritum in eis quas de Herodoto scripsit exercitationibus haec vidisse, haec dixisse gaudeo: *Miraberis fortasse quid Assuerus nescio quis hoc loco* [2] *sibi velit. At enim in Assuero (Ahasvero) latet ipsius Cyaxaris nomen, neque huius solum, sed etiam Xerxis: cuius utriusque nomina eodem redeunt. Namque ille Ahasuerus* (אחשורוש) *ap. Esr.* 4, 6. *non alius est quam Xerxes, qui in inscriptionibus cuneatis scriptus est Kh-sch-h-â-r-sch-â. ut Burnouf. auctor est, vel, ut Lassenus vult, K's'hârs'â Ahasuerus* [3]. *A quo nomine si* א *prostheticum separaveris, restat* חשורוש, *quod cum illo quod est Khschârschâ i. e. Xerxe prope totum congruit. Ad Graeci nominis formam etiam propius accedit species nominis compendio scripti qualis invenitur libro*

---

1) Tob. 14, 15. Καὶ ἤκουσε πρὶν ἢ ἀποθανεῖν αὐτὸν τὴν ἀπώλειαν Νινευὴ, ἣν ἠχμαλώτισε Ναβουχοδονόσορ καὶ Ἀσύηρος.

2) Locus est idem ipse, quem ex Tobia adscripsimus.

3) Cf. Lassen, Altpers Keilinschr. p. 33: Der Name lautet K's'hârs'â - Ahasverus. א ist prosthetisch, statt K' steht ח, statt s' beidemal שׁ, ר fuer r. Fuer das lange â in der zweiten Sylbe ו, die Vmstellung muss sich auf eine Aussprache K's'hârâs gruenden. Auch fuer â in der ersten Sylbe steht ו, aber als ve (ουη) punctirt. Es ist schwerlich unmittelbar die Altpers. Aussprache in der Hebr., sondern die Babylon. oder Assyr., die auch die Vmstellung K's'hârâs - (a) - h (a) s'veros' erklaeren wird. Daher auch die breitere Aussprache o statt â in der sweiten Sylbe, und die Vmgestaltung von hâ in der ersten Sylbe in vê.

Esth. 10, 1. אחשׁרשׁ, *modo Graecam terminationem ης dissecueris litterasque* שׁ *et* ξ *inter se permutatas memineris* [1]). *Haec omnia si rem consideres, ad Xerxem unum pertinent, sin autem vocem spectes, simul ad Cyaxarem. Quippe Persicum nomen K's'âr's'â in inscriptionibus variis, ut dialectorum ratio fert, varias exhibet formas, e quibus una in inscriptione quae dicitur Assyriaca reperis hanc: Khsch-y-e-sch-e-r-sch*-ΚΥΑΞΑΡΗΣ, *qui vere dicendus est* Ξυαξάρης, *veluti Xisuthrus nominari debebat Xixuthrus* [2]). Haec Hupfeldius, ut dixi, praeclare [3]).

Sed quoniam rationibus quum ex litteris sacris tum ex arte grammaticorum sumptis id effecimus, quod iamdiu suspicabamur, nomina illa quidem inter se non differre omnino: non dubitamus eumdem dicere hominem, quem Hebraei nominare Assuerum solebant, et eum quem Graeci Cyaxarem.

Postquam de factis, de loco, de nominibus disputatum est; restat, ut de tempore accuratius dicatur.

Iam supra a nobis tempus ad illum finem definitum est, ut Assueri aetas eo intervallo, quum Iudaei essent in exsilio Babylonico, tamquam circumscriptione quadam contineretur. Qua quidem ex re necessario conclusum est, eum ex tribus unum, aut Phraortem fuisse aut Cyaxarem aut Astyagem. Iam vero eos qui ad Estherae Mardochaeique aetatem pertinent locos si adhibuerimus: primo eum intelligemus nisi alterutrum aut Cyaxarem aut Astyagem fuisse non posse, post vero nisi unum Cyaxarem.

---

1) Cf. Kleinert, Doerpt. Beitraege zu d. theol. Wissensch. Hamb. 1832. p. 13.

2) Cf. Kleinert. l. c.

3) Guil. Hupfeld. Exercitt. Herodott. specimen II. Rintelii 1843.

Erat enim haud ita magno spatio post tertium Assueri annum, quum in puellarum domum Esthera primum introivit. Annus erat autem septimus, quum ad regem vocata in matrimoniumque ab eo ducta est [1]). Quae quum ita se habeant; quum Assuerus septimum annum imperium obtinuit, Iudaeos iam tum fuisse in exsilio, nemo certe potest non concedere. At Phraortes, quum annum illum septimum regnavit, patria isti quidem nondum erant expulsi. Etenim cum certissimis litterarum monumentis haec quidem exstent, Phraortem usque ad annum vicesimum secundum regnum retinuisse [2]), occisum autem esse a Nabuchodonosore, quum is annum regnavit duodecimum [3]): necessaria mathematicorum ratione sequitur, ut hic tum annum regnaverit undecimum, quum ille primum. Primus autem illius annus erat ipse, ex quo, ut alio in libro diximus [4]), incepit Iudaeorum exsilium. Quem illius annum regno suo Phraortes decem annis integris antecessit. Quoniam igitur, hic quum undecimum annum regnavit, primi tum demum ex Iudaeis Babylonem migrarunt: Esthera septimo iam huius anno non potuit Susis adesse. Ergo Assuerus si quaeritur, de Phraorte quidem cogitari nequit.

Quemadmodum, uno libri Estherae loco cognito, de Phraorte iam recessimus: sic aliam temporis in eodem libro significationem si recte intellexerimus, de Astyage etiam recedendum existimabimus. Est autem ea his verbis expressa: *Erat vir Iudaeus in Susan civitate vocabulo Mardochaeus, filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini. Qui translatus fuerat de Ierusalem*

1) Esth. 2, 1. ss. 16.
2) Herodt. 1, 102.
3) Iudth. Vulg. 1, 5.
4) De libro Iudithae p. 37. ss.

eo tempore quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat. Qui fuit nutritius filiae fratris sui Edissae, quae altero nomine vocabatur Esther [1]. Quae verba incredibile est a quibus viris quamdiu et quam prave sint vel intellecta vel explicata. Nam quum essent, qui, his verbis vere proprieque acceptis, tueri suam se sententiam diutius posse desperarent: haec quidem vertere et contorquere quam de illa recedere maluerunt.

Posita est autem omnis controversia in relativo: *qui translatus fuerat*, ad Mardochaeumne illud quidem an ad aliud quoddam nomen pertineat. Qui modo commemorati sunt, ad Mardochaeum negant, aiunt ad Cis; cuius nomen ultimo loco positum proxime praecedere dicunt. At vero istos quidem eodem tempore et corporis et mentis oculis lapsos esse miror. Neque enim proxime *Cis* a pronomine abest sed *Iemini*. Si igitur normam eam esse volunt, ut relativum referatur ad id, quod proximum est; sibi habeant normam praeclaram sane et bellam; pronomen relativum: *qui translatus fuerat*, ad *Iemini*, et alterum illud: *qui fuit nutritius*, ad *Nabuchodonosorem* referant. Sed ut serio agamus, aut Iemini cum Iechonia Babylonem abductum, aut Estheram a Nabuchodonosore esse educatam, quis non videt, quantum a veritate abhorreat? At vero si ea quam sibi finxerunt norma recipienda est; relativum, quo iure cum verbo *Cis*, eodem licebit vel cum *Semei* vel cum *Iair* coniugere.

Sed ne diutius in refutanda istorum opinione versemur, *Mardochaeum* relativum sibi vindicare utrumque, plana et perspicua res est. Primum enim illud: *filius*

---

1) Esth. 2, 5. ss.

Iair filii Semei filii Cis de stirpe Iemini, nihil aliud est quam quod grammatici dicunt vel appositum vel appositionem. Quare necesse est relativum referatur aut ad verbum appositum h. e. *filius*, aut, quod iddem est, ad id cui istud appositum est, h. e. *Mardochaeus*. – Deinde vero sana interpretandi ratio postulat, ut relativum utrumque et: *qui translatus fuerat*, et: *qui fuit nutritius*, quum sint pari loco posita, eodem referantur. Spectat autem alterum illud aperte ad Mardochaeum. Quem in filiae locum Estheram adoptasse nutrivisse educasse certo scimus [1]). Ergo ne alterum quidem: *qui translatus fuerat*, alio spectare potest. – Accedit eo, quod nullam prorsus de hac re dubitationem neque haec Graecorum verba relinquunt: *et homo erat Iudaeus in Susis urbe, et nomen eius Mardochaeus, filius Iairi Semei Cisaei ex tribu Beniamin, qui erat captivus ex Hierosolymis, quam urbem captam duxit Nabuchodonosor rex Babylonis. Et erat huic* (i. e. qui erat captivus) *infans alumna, filia Aminadab fratris patris eius, et nomen ei Esther* [2]), neque illa: *somnium vidit Mardochaeus, filius Iairi Semei Cisaei ex tribu Beniamin, homo Iudaeus habitans in Susis urbe, homo magnus, serviens in atrio regis. Erat autem ex ea captivitate, quam captivam duxit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Hierosolymis cum Iechonia rege Iudaeae* [3]).

---

1) Esth. 2, 7. 20. 8, 1.

2) Esth. 2, 5. Καὶ ἄνθρωπος ἦν Ἰουδαῖος ἐν Σούσοις τῇ πόλει, καὶ ὄνομα αὐτοῦ Μαρδοχαῖος, ὁ τοῦ Ἰαΐρου τοῦ Σεμεΐου τοῦ Κισαίου ἐκ φυλῆς Βενιαμίν, ὃς ἦν αἰχμάλωτος ἐξ Ἱερουσαλήμ, ἣν ᾐχμαλώτευσε Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς Βαβυλῶνος· καὶ ἦν τούτῳ παῖς θρεπτὴ θυγάτηρ Ἀμιναδὰβ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ ὄνομα αὐτῇ Ἐσθήρ.

3) Ibid. 1. Ἐνύπνιον εἶδε Μαρδοχαῖος, ὁ τοῦ Ἰαΐρου τοῦ Σεμεΐου τοῦ Κισαίου ἐκ φυλῆς Βενιαμίν, ἄνθρωπος Ἰουδαῖος οἰκῶν ἐν Σούσοις τῇ πόλει,

His rationibus adducti negamus nisi nomen Mardochaei ullum verbum esse usquam, unde pronomen relativum pendere possit. Mardochaeum igitur esse dicimus, quem Nabuchodonosor Babylonem una cum Iechonia Iudaeorum rege migrare iussit.

Sed priusquam quod investigavimus in usum nostrum convertamus: haud alienum puto causam proferre et ostendere, cur illi, a quibus dissentimus, in errorem incidisse vel in eo perstitisse videantur. Eius interpretationis, quae nobis probata non est, inveniendae princeps ex Germanicis scriptoribus fuit Iustius [1]. Neque enim is, quum Assuerum Xerxem Persarum regem iudicaret, defendere sese ullo pacto potuit, nisi verbis, de quibus diximus, vel perversis vel remotis. Ea enim, si vere et recte intelliguntur, eiusmodi sunt, quibus haud scio an nihil eius sententiae magis possit esse contrarium. Quod quidem hac ratiocinatione facile perspicietur.

Mardochaeus cum Iechonia Babylonem profectus est Nabuchodonosoris exeunte anno octavo [2]. Estherae autem parentes iam antea videntur e vita excessisse. Quod si ita est, nata illa quidem est ante annum istum octavum. Sed illa ut, id quod minime existimamus, duobus annis post nata sit: tamen quum Cyrus regnare coepit, ad aetatis annum pervenit sexagesimum, quum Xerxes, ad centesimum tricesimum. Esthera igitur, quum a Xerxe, quem illi Assuerum esse volunt, in matrimonium ducta est, puella erat ista quidem CXXXVII

ἄνθρωπος μέγας θεραπεύων ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ βασιλέως· ἦν δὲ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, ἧς ᾐχμαλώτευσε Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐξ Ἱερουσαλὴμ μετὰ Ἰεχονίου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας.

1) Iusti l. c.

2) IV. Regg. 24, 12. II. Parall. 36, 10.

annos nata. Iam, prolata erroris ansa, propius accedamus ad id, quod nobis est propositum.

Est igitur eo libro quem de Iuditha inscripsimus a nobis expositum, Phraortem Medorum regem esse ab Assyriis occisum anno Nabuchodonosoris duodecimo; ex quo anno primum quidem Cyaxarem annos regnasse quadraginta, post vero Astyagem duodeviginti. Vnde manifestum, Nabuchodonosoris annum decimum tertium Cyaxaris fuisse primum. Haec si tenuerimus, indagare haud difficile est, Assuerus uter fuerit Astyages an Cyaxares.

Nam si ponimus id quod minus est probabile, Estheram natam esse Nabuchodonosoris anno decimo h. e. duobus annis post quam Mardochaeus Babylonem venerat: eo anno quem Astyages septimum regnavit, illa iam ad aetatis annum quadragesimum nonum processit. Quare longius iam tum aetate erat provecta, quam quae Astyagem (eum enim Assueri loco substituimus) amore pulchritudinisque admiratione tenere posset. Astyages igitur, quoniam Estheram coniugem habuisse nequit, ne Assuerus quidem iudicari potest. Phraorte et Astyage de Assueri loco reiectis, unus relinquitur Cyaxares, qui iure eum tenere possit. Atqui hic et Esthera mire quam inter se apti et aetate aequales sunt.

Nam si hoc statuerimus, quod ad veritatem quam proxime videtur accedere, Estheram natam esse paucis ante annis, quam Mardochaeus Hierosolymis exterminatus est: illa in ipso erat aetatis flore, quum et in puellarum domum recepta et in matrimonium assumpta est. Quinto enim anno ante exsilium Mardochaei si in vitam introivit: tertio anno Cyaxaris ad aetatis annum pervenit duodecimum, septimo autem, quum coniugium regium nacta est, ad decimum sextum.

Sive igitur ad res a Medorum regibus gestas, sive ad urbem totius regni animum convertimus, sive ad

naturam nominum, sive ad temporis rationem; iddem illud nobis semper vel persuadetur vel etiam inculcatur, ut Cyaxarem Medorum Persarumque regem Assuerum iudicemus atque appellemus.

§. 9.

Mardochaeus Estherae patruus quis et quo tempore fuerit?

Quoniam superioribus locis Assuerum primo quidem regem Medorum, postea vero Cyaxarem fuisse, expositum et definitum est: supervacaneum forsitan videbitur, quis Mardochaeus et quo tempore fuerit, dicere. Sed non ita se res habet. Nam quae patent per se et praesto sunt, Mardochaeum et honore secundum post regem et aetate aequalem eius fuisse, ea quidem quaerere certe propositum non est. Sed videndum est, ecquid aliud de eo traditum sit, quod ad rem et argumentationem nostram usui esse posset. Quod quidem pro factis eius et moribus iuste mihi videor sperare.

Mardochaeus enim, qui Iudaeorum populum ex interitu liberaverat, neque solum ad summum in republica honorem sed ad regiam dignitatem maiestatemque ascenderat, tanta is certe in omni Asia erat fama, tanta floruit quum apud alios tum apud suos gloria, ut nomen eius tum fere omnibus esset in ore [1]). Sed gravissima illa de Medorum regibus monumenta [2]), quibus eius laudes litteris celebratae sunt, temporis iniuria interierunt. Neque vero alia de rebus tum gestis vel Graecorum vel Hebraeorum scripta ad nos pervenerunt, in quibus eius esset memoria. Vnus tamen est liber Esdrae, in quo quum plurimorum praeclarissimorumque viro-

1) Esth. 9, 4.
2) Esth. 10, 2. s.

rum nomina inscripta videamus, tum eius mentionem esse iuste suspicari possumus. Quoniam enim Mardochaeus Nabuchodonosoris anno octavo iuvenis, talis enim tum temporis fuisse videtur, exulavit, sexaginta duobus annis post h. e. primo anno Cyri superstes esse potuit. Si tamen cui in hac quidem re nimius esse videar, eius animum ad memoriam Danielis revocaverim viri Mardochaeo aequalis, qui et primo Nabuchodonosoris anno Babylonem profectus et idem tertio Cyri anno vaticinatus est [1]). Mardochaeus igitur eo tempore, quum a Cyro libertas Iudaeis optime de eo meritis concessa reditusque quem diu multumque exoptaverant patefactus est, si nondum e vita in alteram patriam migravit: dubium non est, quin cum suis Hierosolyma quam maximis itineribus contenderit. Nam quae in eo erat et pietas in deum et caritas in suos et desiderium in patriam: ei omnino erat difficile non continuo post acceptam licentiam reverti. Neque vero de hac re nostra nos fefellit exspectatio. Sunt enim haec quidem in libro Esdrae verba: *Hi sunt autem provinciae filii, qui ascenderunt de captivitate quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem et reversi sunt in Ierusalem et Iudam, unusquisque in civitatem suam: Qui venerunt cum Zorobabel: Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana* [2]). Haec, ut dixi, ex libro Esdrae. Mardochaeum autem, qui una cum Zorobabele in patriam redivit, eum Estherae fuisse patruum, quum temporis ratio testatur, tum vero et ordo virorum illorum et natura nominis confirmat.

1) Dan. 1, 1. ss. 10, 1.
2) I. Esdr. 2, 1. s. II. Esdr. 7, 6. s. Esdr. Graec. 5, 7. s.

De tempore iam a nobis dictum est. Mardochaeum, qui Hierosolyma urbem stantem viderat, hunc usque ad primum Cyri annum in vita fuisse et ad patriam senem revertisse, probabile est.

Deinde vero ex eis, qui cum Zorobabele erant, ceterorum quidem numeri, illorum tamen virorum nomina afferuntur. Ex quo ut reliqui novem qui nominatim appellati sunt, sic etiam Mardochaeus summa apud suos auctoritate fuisse videntur. Quae quidem huic eo magis tribuenda est, quod primum locum tenet inter eos, qui non erant sacerdotali genere orti. Nam Iosuam Nehemiam Saraiam sacerdotes fuisse certo scimus, Rahelaiam, qui Mardochaeo proximus praecedit, suspicamur. Est igitur Mardochaeus hic et tempore cum vetere illo aptus, et auctoritate conveniens. Quare eumdem hunc dicere atque illum non dubitamus.

Hanc argumentationem nostram F. Iosephus locupletissimus testis magnopere confirmat atque illustrat. Exposito enim Iudaeorum numero, qui ex Babylonia in patriam reverterunt, *duces recensitae multitudinis fuisse*, ait, *Zorobabelem Salatielis filium, ex Davidis stirpe ex tribu Iudae prognatum, et Iesum Iosedecis pontificis filium. Praeter eos autem ductores fuisse ex multitudine secretos et Mardochaeum et Serebaeum, qui contulissent minas auri quidem centum, argenti vero quinque milia* [1]). Mardochaeum, qui regis dignitatem consecutus ex capitis periculo populum suum liberaverat, eum et reducere suos in patriam et ad templum

1) F. Ios. antt. 11, 3, 10. Ἡγεμὼν δὲ τῆς καθηριθμημένης πλήθυος ἦν ὁ Σαλαθιήλου παις Ζοροβάβηλος ἐκ τῶν υἱῶν ὢν τοῦ Δαυίδου, γεγονὼς ἐκ τοῦ Ἰούδα φυλῆς, καὶ Ἰησοῦς υἱὸς Ἰωσεδέκου τοῦ ἀρχιερέως. Πρὸς τούτοις δὲ καὶ Μαρδοχαῖος καὶ Σερεβαῖος ἐκ τοῦ πλήθους κεκριμένοι (alii codd. κεχρισμένοι) ἄρχοντες ἦσαν, οἳ καὶ συνεβάλλοντο μνᾶς μὲν χρυσίου ἑκατὸν, ἀργύρου δε πεντακισχιλίας.

restaurandum magnum et regale vero auri argentique pondus conferre decuit.

Multum denique ad hanc rem nomina posse puto; et eo magis, quo rarius apud veteres exstant. Mardochaei autem nomen nisi in libris Esdrae et Estherae reperimus nusquam, et id quidem certa de causa. Verbum enim Mardoch-ai (מרדכי), si litteram י, quam peregrinis nominibus Hebraei solebant addere, detraxeris, nihil aliud est nisi Mardoc (מרדך). Posterius autem illud M-a-rd-o-c iddem significavit apud Chaldaeos, quod M-ae-l-ae-c, מלך, apud Hebraeos h. e. *rex*. Id si minus ex verbis ipsis intelligitur, pluribus rationibus percipi potest. Quum enim liquidae litterae apud Semitas omnes, tum ר et ל inter se apud Chaldaeos Hebraeosque immutatae sunt. Nam quam litteram hi quidem ל scripserunt, eam illi ר, adiecta littera ד, et scripserunt et pronuntiaverunt. Quod quidem cognosci ex clarissimo Chaldaeorum nomine licet. Chaldaei enim docti illi viri, quorum Ptolemaeus canonem tradidit, Naboco-l-ossor nominant [1]), quem Ieremias et alii Naboco-dr-ossor, נבוכדראצר [2]). Deinde Baladanis filius, quum Chaldaeorum regnum arripuisset, non Baladan, sed Me-r(o)d-ac, מראדך, Baladan h. e. *rex* Baladan vocatus est [3]). Praeterea multis regum Chaldaeorum nominibus illud Mard-oc adiunctum est, ut Evil-Me-r(o)d-ac [4]) h. e. Evil *rex*, ut Mesesi-Mo-rd-ac [5]) h. e. Mesesi *rex*, ut Mard-oc-Empad [6]) h. e. *rex* Empad, aliis. Accedit, quod

1) Canon Ptolem. edt. Halma, Table chronologique des règnes. Paris 1819.

2) Ierem. 39, 1, 11. 43, 10.

3) IV. Regg. 20, 12.

4) Ibid. 25, 27.

5) Canon Ptolem.

6) Ibidem.

familiam ducit, Ieremianum illud: *Capta est Babylon confusus est Bel, victus est Me-r(o)d-ac* [1]. Ad hanc sententiam, regem commemorare admodum aptum; deum quemdam, id quod plerique putarunt, omnino alienum. Babylonis enim rex, non deus quidam vincitur. Vocabulum autem Chaldaicum Ieremias eo animo adhibuit, non ut regem quempiam significaret, sed ut ipsum Chaldaeorum regem victum iri declararet. Datum est autem Mardochaeo in circumcisione quasi signum futurae dignitatis nomen Maelaec apud filios Cis usitatum [2], quod postea, cum ille regnum consecutus esset [3], Chaldaice Mardochai et pronuntiatum et scriptum est.

Quum autem Mardochaeus alteri alter et aetate aequalis et auctoritate par sit, quumque nomen illud vel ad usum tam rarum vel ad significationem tam singulare esse videatur: eumdem prorsus iudicamus, quem Estherae libri scriptor laudavit, et eum, quem Esdras commemoravit. Quoniam igitur Mardochaeus, quum per annos sexaginta duos in Media fuisset, primo anno Cyri senex in patriam reversus est: nos vere et recte Assuerum qui illius erat aequalis Cyro aetate superiorem ipsumque Cyaxarem fuisse statuimus.

§. 10.

Hostes Iudaeorum et ceterae nationes quibus rebus potuerint inter se discerni?

Libri Estherae scriptor sibi in eo fere constat, quod Amanem Gagaeum appellat Iudaeorum hostem. Esthera enim, cuius verba ab eo propria et non mutata relata

---

1) Ierem. 50, 2.
2) I. Parall. 8, 33.
3) Esth. 8, 15.

sunt, *suum suorumque hostem esse* ait, *cuius crudelitas redundaret in regem* [1]). Ab Assuero autem interrogata, quem diceret, libere et aperte respondit, *hostem et inimicum suum suorumque pessimum istum quidem esse Amanem* [2]). Postea vero quam eius supplicium consecuta est, regem obsecrat, *ut corrigerentur novis epistolis veteres Amanis litterae, insidiatoris et hostis Iudaeorum* [3]). Praeterea is, qui Estherae historiam conscripsit ubi suis ipsius verbis utitur, Amanem vel *hostem Iudaeorum* [4]) vel *hostem adversariumque* [5]) dicere solet.

Vt Aman Iudaeorum appellatur hostis: sic eius socii, qui primum quidem Iudaeos interfecturi erant, postea vero ab eis ipsi interfecti sunt, non alio ullo nisi hostium nomine umquam notantur. Hoc nomine enim ipso per se Mardochaeus, quos occidi voluit, eos satis accurate sese Iudaeis indicasse putavit. Regis enim imperium his verbis expressit, *ut starent Iudaei pro animabus suis et omnes inimicos suos cum coniugibus ac liberis et universis domibus interficerent ac delerent* [6]) *atque ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, parati essent Iudaei ad capiendam vindictam de hostibus suis* [7]). Hoc eodem verbo

1) Esth. 7, 4.

2) Ibid. 7, 6.

3) Ibid. 8, 5.

4) Ibid. 3, 10. *Et dedit annulum Aman filio Amadathi de progenie Agag hosti Iudaeorum*, et 9, 6: *Itaque percusserunt Iudaei inimicos suos plaga magna et occiderunt eos, reddentes eis, quod sibi paraverant facere, in tantum, ut etiam in Susan quingentos viros interficerent extra decem filios Aman, Agagitae hostis Iudaeorum.*

5) Ibid. 9, 24: *Aman enim filius Amadathi stirpis Agag hostis et adversarius Iudaeorum cogitavit contra eos malum.*

6) Ibid. 8, 11.

7) Esth. 8, 13.

libri Estherae auctor tamquam nomine proprio utitur ad significandos eos qui a Iudaeis erant occisi. Is enim ita: *Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudaeis interfectio parabatur et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudaei superiores esse coeperunt et se de adversariis vindicare. Congregatique sunt per singulas civitates oppida et loca, ut extenderent manum contra inimicos et persecutores suos* [1]; et paulo post: *Itaque percusserunt Iudaei inimicos suos plaga magna* [2]) et item: *Sed et per omnes provincias, quae ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudaei interfectis hostibus et persecutoribus suis* [3]. Hanc eamdem dicendi rationem sequitur is, qui Mardochaei et Estherae orationes Chaldaice confecit. Alterum enim inducit dicentem: *Nunc vero deus noster quare dicunt oppressores nostri, non habent deum qui salvet eos* [4], et alteram: *Et inspira cordi eius i. e. Assueri, ut odio habeat inimicos nostros et ut misereatur servorum tuorum* [5].

Quemadmodum Aman Iudaeorum hostis, huius socii illorum vel hostes vel inimici vel persecutores appellarentur, diligenter a nobis expositum est, ut et de sententia quadam interpretum iudicari et de eo quod proposuimus disseri accurate posset. Omnino enim quidam negarunt, Iudaeis illud potuisse concedi, ut vel ex Medis vel ex Persis vel ceteris ex nationibus fide amicitiaque coniunctis suos ipsorum hostes eligerent, caperent, tol-

1) Esth. 9, 1. s.
2) Ibid. 9, 5.
3) Ibid. 9, 16.
4) Oratio Mard. 13.
5) Oratio Esth. 29.

lerent. Esse enim extremae immanitatis atque dementiae, parvi cuiusdam peregrinique populi odio et potentiae vel gratificari cives vel amicos prodere.

Quod equidem quum neminem umquam negavisse, tum eum certe concessurum fuisse statuo, qui Estherae libri fuit scriptor. Scilicet is videtur esse in culpa, quod quos ipse Iudaeorum hostes dixit, interpretes praeclari isti intellexerunt eos, qui hostili consilio, qui infesto essent animo. Si odium tantummodo Iudaei, si affectionem animi spectare voluerunt; qua erant oculorum acie, qua sensuum sagacitate, ut absconditam hominis partem, ut intimam mentem penitus perspicerent atque indagarent? Homines autem cupidos sui et amantes ab adversariis qua ratione secernere, qua nota potuerunt internoscere? Quo consilio prohibuerunt, quin temere hostibus pro amicis parcerent, amicos pro hostibus occiderent? Quomodo certum et exploratum habuerunt, eos a se esse interfectos, qui per omnem Asiam dispersi ipsos voluerunt interficere [1]?

Sed quid multa? Quo Iudaeorum hostes et amici inter se differrent num in animo id, num in voluntate putabitur abditum latuisse? an iudicandum est potuisse id in corporis specie cerni, in oculorum capillorumque colore, in vestibus armis lingua moribus institutis, in origine denique et natione? Quid? Iudaei, quum morti erant consecrati, quibus rebus discerni ab aliis potuerunt, non eisdem eorum hostes? Et Mardochaeus, ut hostes interimerent, quum imperaret suis: Aman peregrinisne iddem illud praeceperat, an eis, qui eadem qua ipse natione erant oriundi?

---

1) Esth. 9, 1. 5.

Et profecto, si Iudaeorum hostes ita definire volueris, ut homines certae cuiusdam nationis intelligas: non modo difficultates omnes remotas, sed sanam etiam illis locis quos adscripsimus sententiam inesse videbis. Nam si diversa ab aliis dissimilisque hostium erat natio: minime erat verendum, ne Persae, ne Medi cives regis et amici interirent. Vt enim hostes, si quod vellent consecuti essent, praeter Iudaeos occidissent neminem: sic periculum non erat, ne Iudaei praeter hostes alium quemquam interficerent. Deinde vero Iudaei, si eis rebus, quae gentis cuiusque propriae esse solent, adversarios ab amicis internoscere potuerunt, de eis interficiendis imperium facile perceperunt [1]). Praeterea de *vindicta sumenda* sermo esse potuit, si hostes cum Amane sanguine et obedientia connexi in eiusdem criminis coniunctione erant [2]). Denique hac sola ratione fieri potuisse cogitandum est, ut ei interirent ipsi, qui Iudaeis interitum pararent [3]). Quae omnia secus erant, si hostis significatio ad animum solum voluntatemque pertinebat.

Haec igitur probasse mihi videor, eis rebus hostes Iudaeorum fuisse insignes, quae cuiusque gentis propriae peculiaresque sint, eiusdemque eos vel originis vel patriae societate inter se fuisse coniunctos. Iam vero magnus ille hostium numerus cuias fuerit, si quaerimus: nihil est, cur dubitemus, quin eadem fuerit illis, quae Amani, patria, eademque origo. Erat autem hostis ille Aman ex gente, quam Hebraei Agag vocant, nos Graecos secuti Gagaeam dicamus. De ea igitur accuratius disserendum est.

---

1) Esth. 8, 17. 9, 2.
2) Ibid. 8, 13,
3) Ibid. l. c.

§. 11.

Quaenam fuerit Gagaeorum gens, Iudaeis illa quidem inimica?

In historia Estherae nonnulla esse video, quae prorsus explicari non possunt, nisi inimicitias inter Iudaeos et eorum hostes veteres ac perpetuas fuisse ponatur. Nam duae illae causae, quae afferuntur, cur Mardachaeo uni infensus fuerit Aman, non intelligo, quomodo tantum huius et commune in Iudaeos omnes odium excitare potuerint. Altera enim est, quod ille spadonum coniurationem regi enuntiaverit [1]); altera, quod Amani sese subiicere et ad pedes eius noluerit procumbere [2]). Quibus ex causis satis quidem perspici potest, cur Aman illum tollere unum voluerit; omnem tamen Iudaeorum populum cur excidere constituerit, id, mea quidem sententia, minus apparet. Quum Amanis facta, tum Zarae uxoris dictum plane indicare videntur id, quod de odiorum vetustate suspicati sumus. Illa enim de Mardochaei apud regem auctoritate certior facta, *Si de semine Iudaeorum est Mardochaeus*, inquit, *ante quem cadere coepisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius* [3]). Quibus verbis Zara illa declarare mihi videtur, de Amane coniuge suo esse actum, non quod Mardochaeus, sed quod Iudaeorum unus multum apud regem valeat. Quod quidem ita asseverare haud sane potuisset, nisi memoria tenuisset, Iudaeos veteres hominibus suis capitales fuisse inimicos. Iam vero Mardochaeus et Esthera, pii homines et religiosi, quum hostes mulieres liberos servos inter-

1) Esth. LXX. 1.
2) Ibid. 3, 2. ss.
3) Ibid. 6, 13.

fici iubent [1]), quid est, quod non aut caritatem laedere humanam, aut officere voluntati divinae arbitrentur? Neque enim ius illud talionis probandum est, ut quam inferre iniuriam alius voluerit, eam ipse inferas. Neque hoc vere licet dicere, Iudaeos necessitate quadam coactos vim vi repulisse. Nam si id unum erat propositum, ut nefarios hostium conatus reprimerent: nihil erat aliud faciendum, quam ut irritas esse et nullas litteras Amanis declararent. Quid vero? si eisdem cum inimicis iam antiquitus Iudaei non de imperio, sed de capite dimicaverint; si pro illatis sibi ante iniuriis, deo vel iubente vel iuvante, poenam repetiverint, nonne iuris omnis sublata controversia est? *Hostes* denique *Iudaeorum*, ita in universum et sine ullo adiecto verbo quinam iuste appellari potuerunt, nisi ei qui praecipui, qui veteres et pestiferi erant inimici, qui Iudaeorum populum iam saepius in capitis discrimen periculumque adduxerant?

Haec quidem praeponenda putavi, quo verius de gente Gagaea iudicari posset. Fuisse enim illam inde a primis temporibus Iudaeis inimicissimam, facile, ut arbitror, inter eos qui nostra legere volent constabit. Sed ad rem ipsam accedamus.

Verbum igitur *Agag-ai*, אגגי [2]) quod a Chaldaeis ad significandam Amanis gentem usurpatur, ab *Agag*, אגג non modo re, sed ne forma quidem nominis differt. Nam littera י, id quod iam supra in nomine *Mardoch-ai* animadvertimus, ab eis qui tunc erant Hebraeis addi solebat. Huius rei testis est etiam s. Hieronymus, qui in interpretatione Latina ubique scripsit *Agag*.

---

1) Esth. 8, 11.

2) Vt מרדכי, LXX: Μαρδοχαῖος, sic אגגי *Agagai* scribendum est. Cf. LXX: Βουγαῖος, Γαγαῖος.

Sed hoc loco quaestio oritur gravissima, Agag, cuius ex posteris erat Aman, et antiquus ille, quem Saulus devicit, coniunctine inter se fuerint an alieni. Nam si de eorum coniunctione certum quiddam investigari potuerit, quidquid de alterius genere constat, iure id et ad alterum et ad eius posterum h. e. ad Amanem referre licebit. Sed ad illam quaestionem dirimendam summi esse momenti videntur primum quidem nomina, deinde veterum testimonia, denique rationes, quae fuerunt inter Iudaeos et priscum illum Agag.

Iddem esse et unum utriusque nomen, paulo ante a nobis dictum est. Ex quo debet colligi, eidem nomini eiusdem vel personae vel gentis subiiciendam esse significationem; et id quidem eo magis, quo nomen erat a vulgari usu remotius. Neque enim illud *Agag* nisi triplicibus locis invenire usquam potuimus. Primi sunt in libro Estherae, alteri in historia Sauli, tertius in Balaamis vaticinio. In sacris autem scriptoribus tanta erat semper diligentia tantaque consensio; ut nomini eidem libro alio aliam vim tribuere extremi esset arbitrii. Iam vero Agag, quem Saulus superavit, Samuel trucidavit, rex erat Amalecitarum. Is igitur si ab eo, quem generis auctorem habuit Aman, non est sive ad personam sive ad gentem diversus: Aman necesse est ex Amalecitis originem traxerit.

Atqui quod concludendo assecuti sumus, id verum esse testatur is, qui libellum de orationibus Mardochaei et Estherae reliquit. Qui quidem tum Mardochaeum ita dicentem facit: *Quaeso, creator omnium saeculorum domine, non est occultatum cor meum coram te, neque pro superbia spiritus mei et cordis mei elatione feci hoc, quod non adorarem Aman Amalecitam* [1]), tum vero ipse his verbis rem exponit: *Omnis quoque Israel*

1) Oratio Mard. 2.

et Iuda simul clamaverunt ad dominum deum suum propter durissimam afflictionem, qua eos tunc afflixit Aman, filius Amadath, Amalecita de semine Agag [1]. Hunc Chaldaeum scriptorem secutus, Flavius Iosephus in Antiquitatum libris Amanem hostem Iudaeorum Amalecitam fuisse scribit [2]. Praeterea omnium Iudaeorum quasi per manus tradita sententia est, Amanem eiusque socios ex Amalece fuisse prognatos. Pridie enim quam sortium festum diem agunt, ieiunium servare solent, propterea quod tum Moyses iddem fecisset, tum Mardochaeus et Esthera, antequam pugnam inirent contra Amalecitas. Pueri autem quoties in Estherae libri recitatione Amanis nomen audiunt, pugnos vehementer et non sine magno strepitu complodunt, et hoc quidem propter illud: *Explodendo explodam memoriam Amalec* [3]. Denique amplissimus huius rei testis est s. Iacobus Nisibenus Syrus ex Mesopotamia ortus, cuius verba afferre iuvat: *Remanserat enim ex Amalecitis Aman*, et: *erat ipse ex gente Agag regis Amalecitarum, quem Saul ad Samuelem adduxit et Samuel propheta occidit coram deo* [4].

Sive igitur nomina spectamus, sive veteres et locupletissimos testes audimus: eadem illa cognoscimus, Amanem et cum Agage, Sauli regis adversario, consanguinitate coniunctum et ex Amalece esse progenitum. Quae quo magis illustrentur, haud alienum esse puto, vel de Amalecitarum Iudaeorumque inter se ratione paulo accuratius dicere vel originem horum resque gestas enarrare.

---

1) Oratio Mard. 17.

2) Fl. Ios. antt. 11, 6, 5.

3) Cf. Ioannis Buxtorfi Synag. Iud. c. 29.

4) Iacob. Nisib. opp. Rom. 1756. serm. 3, 8. et Galland. bibl. vett. patrr. 5, p. XXIV.

CAPVT TERTIVM

DE REBVS IDVMAICIS.

§. 12.

De Idumaeorum Amalecitarumque origine.

Isaaco patre Rebecca matre, nati sunt filii duo, gemini quidem, sed prior Esavus, qui etiam Edom, posterior Iacobus, qui idem Israel appellatur. Alter, robustus homo et pilosus, venationis amans, agriculturae studiosus fuit; alter corpore tener, animo mitis, patrem secutus vitam sibi delegit pastoralem. Matri autem iam ante partum indicatum a deo est, filii qui et quales essent futuri. *Duorum eos fore populorum parentes inde ab origine inter se dissidentium. Dominari autem populum oportere illum, qui a natu minore, servire eum, qui a maiore originem habiturus esset.* Hoc autem sive vaticinium sive praeceptum ut a matre observari iuste posset, Esavus ipse perfecit. Fessus enim ab agro domum reversus, ius suum dominatumque, quae concedi primogenitis solebant, fratri vili pretio vendidit. Itaque Isaacus, senex caecus, quum mortem sentiret appropinquare velletque filium maiorem totius familiae patrem omniumque rerum dominum nominare: ita a matre instituta res est, ut Iacobo pro Esavo subdito bona omnia faustaque precatus paternam impertiret potestatem. Quod quum Esavus resciret, patrem flens supplexque rogavit, ut fratris loco dominum se patremque familias constitueret. Ille primo id facere se posse negans, post lacrimis

precibusque commotus, *In pinguedine terrae*, inquit, *et in rore coeli desuper erit benedictio tua. Vives in gladio. Et fratri tuo servies, tempusque veniet, quum excutias et solvas iugum eius de cervicibus tuis.* At vero Edom, quum paternam benedictionem iniuste a fratre ereptam sibi crederet, non modo ipse in eum odium mortale suscepit atque ad vitae extremum retinuit, sed iddem posteris etiam quasi hereditate tradidit [1]). Eiusmodi autem iurgia inimicitiaeque, quae inter amicos vel consanguineos oriuntur, eo vehementiora acerbioraque solent esse, quo arctiore illi antea inter se vinculo erant coniuncti. Si autem a patribus tradita a filiis suscipiuntur, fit, ut nisi alterius partis interitu extingui non possint.

Iam vero ab Israele orti sunt filii duodecim, gentes tredecim; ab Edome autem filii quinque, gentes item tredecim. Patris nomine alteri vocantur Israelitae, Idumaei alteri. Sed ut de his accuratius dicatur, in terra Chanaan quum habitaret Edom, ex uxoribus tribus suscepit filios illos quinque, ex Ada, Hethaea, Eliphazem, ex Oolibama, Hevaea, Iehusem Ihelomem et Corem, ex Basemath, Ismaelitica, Rahuelem. Postea autem, relicta terra Chanaan, Seirem, Horraeum h. e. Amorraeum, bello subegit, ac montem, qui ab illo nomen cepit, cum familia sua occupavit. Ibi Eliphaz legitimos filios genuit quinque: Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez; nothum ex Thamna, Seiris filia meretrice, unum qui nominatur Amalec; Rahuel autem filios quatuor: Nahat, Zara, Samma, Meza. Erant igitur sacrorum librorum testimonio Idumaicarum gentium auctores Edomis filii tres, nepotes decem [2]).

---

1) Gen. 25, 20. ss. 27, 1. ss.
2) Gen. 36. I. Parall. 1, 35. ss.

Edome mortuo, regnum in Idumaeis Horraeisque, quantum ex libris sacris perspici potest, sibi arrogavit Amalec. Primum enim nomen haud fere quidquam recte significare potest nisi מלך h. e. regem; quod verbum ab Idumaeis aliter pronuntiatum, ab Hebraeis, proposita littera ע, scriptum est עמלק. Quoniam autem suum cuique nomen a veteribus non temere datum est, sed habita vel animi vel corporis vel muneris ratione: iuste mihi videor concludere, Amalecem non modo nominatum esse regem sed etiam fuisse. Deinde vero in Idumaicarum gentium enumeratione primo loco poni solet gens Thamnae h. e. Amalecitica [1]). Quod cur ita fieret, non modo nihil fuit; sed plura, cur non fieret. Haec enim gens non ex filio Edomis sed ex nepote, nec eo legitimo sed notho originem duxit. Quodsi igitur hanc gentem regnum a patre accepisse negamus, illam enumerandi rationem, non intelligo, quomodo vel explicare possimus vel probare. Sed res ipsa hortari videtur, ut adiungam argumentum tertium. Quid? Horraeos libenti animo suscepisse Idumaeorum imperium, patienti pertulisse putabimus? Quodsi igitur Amalec, quem ex Thamna natum tamquam suum intueri solebant, principatum appetivit: nonne illi omnibus viribus nitendum sibi existimarunt, ut regem eum constituerent, constitutum sustentarent? Sed, ut exemplo utar, in Sichemitis Gedeonis posteris nonne iddem accidit? Quum enim, patre illo, nati essent legitimi filii septuaginta, ex concubina vero unus: memoratu incredibile est, ille unus quam facile hos, adiutoribus cognatis, praeter unum omnes interfecerit regnumque sibi vindicaverit [2]). Similiter Amalec,

---

1) Gen. 36, 40. I. Parall. 1, 51.
2) Iudicc. 9, 1. ss.

prostibulo ortus, quum Horraeos cognatos sociosque haberet, Idumaeos, qui honesto loco nati erant, subegit, regnumque in eis consecutus est.

Moyses, qui enarravit Idumaeorum Amalecitarumque originem, de reliqua eorum historia usque ad illud tempus reticuit, quum Iudaeos ex Aegypto eduxit. Sunt tamen nonnulla, quae de illo intervallo vel ex re ipsa concludi vel ex dispersis apud Moysem locis colligi possunt.

Idumaei, quoniam et assumere ex aliis gentibus coniuges et in eis vicissim filias collocare suas solebant, magis etiam quam Iudaei aucti sunt. Quare factum est, ut primum quidem omnem eam regionem incolerent, quae ad montem Seir Idumaea dicitur. Postea quum etiam eos fines pro multitudine hominum armentorum gregumque angustos arbitrarentur, in patria remanserunt, qui se dederant agriculturae, emigrare coeperunt ei, qui liberam pastorum vitam degebant. Inprimis autem alias sedes quaesivisse videntur gentes Amaleciticae quaedam et Horraicae h. e. Amorraicae.

Atque Amalecitae quidem sedes collocabant in ea Arabiae parte, quae Gebalene appellata Petram circumdat. Quum autem vagari cum gregibus ac praedari quam eodem loco morari mallent, magnus eorum numerus inde exire coepit. Et primum quidem in eam regionem pervenerunt, quae ab Israelitis Galaaditis vocata est. Quam quum magnam partem occupássent, eorum alii Iordanem transgressi in terra Chanaan campos sibi delegerunt vallesque ad pascendos greges aptas [1]). Hi quidem omnes, quamquam per diversas regiones vagarentur, tamen sanguinis et unius regis societate coniuncti erant.

---

1) Numm. 14, 25. Cf. 13, 30.

Praeterea deos colebant eosdem, eadem frequentabant delubra. Nobilissima fana erant duo, alterum solis, Astartae alterum. Hoc, quod Bethsemes h. e. domus solis vocabatur, tanta celebritate fuit,ut ab eo et urbs, quae circum erat, Bethsan et omnis regio Basan denominata sit. Moysis autem tempore Amalecitae et gentes quae eis parebant Amorraicae regem habebant Ogem, hominem incredibili magnitudine. Erat is ex gente Raphaeorum qui quidem inter ceteros Amalecitas corporis vastitate tantopere excellebant, ut eorum nomen postea ad significandos gigantes adhiberetur.

§. 13.

Quae de Idumaeorum rebus gestis Moyses tradiderit?

Moyses, ut modo dictum est, ea silentio praeteriit, quae Idumaei gesserunt tum, quando Iudaei in Aegypto morabantur. Sed quibus iniuriis sui ex Aegypto profecti ab Amalecitis affecti sint, quae ipse cum ceteris Idumaeis egerit, quomodo Ogem Basanis regem vicerit, quae Idumaeus quidam et de Iudaeis et de Amalecitis vaticinatus sit, haec omnia accurate memoriae prodidit.

1. Iudaei paucis post mensibus, quam Aegypto excesserant, pervenerunt in Arabiam desertam castraque posuerunt in Amalecitarum Raphaeorum finibus. Quo loco quum aqua omnino deesset, Moyses, virga sua saxo percusso, fontem excitavit. Itaque aqua iugi viribus suorum animisque refectis, statim cum atrocissimo hoste certamen subeundum esse cognoscit. Inopinantibus enim Iudaeis, subito ex omnibus partibus advolant Amalecitae. Quum autem de capite cum illis certamen fore intelligeret, summum imperium ad Iosuam defert, ipse in montem Horeb adscendit, manibusque ad coelum primum quidem propriis viribus sublatis, post vero ab Hure et

Aarone sustentatis, deum omnipotentem vitam suorum salutemque deprecatur. Tanta autem cum acerbitate ab hostibus usque ad vesperam pugnatum est, ut nisi a deo homo tum omnium sanctissimus victoriam impetrasset, Iudaei ad unum omnes interiissent. Post pugnam huic deus imperat, ut et mandaret litteris et Iosuae inculcaret oraculum a se editum: *fore, ut ipse Amalecis memoriam sub coelo deleret.* Moyses ut fortissimo populi sui conservatori gratias ageret, altare exstruxit, eique nomen dedit: *Dominus refugium meum. Manum enim super solium domini, bellumque domini contra Amalecitas futurum esse in perpetuum* [1]).

Quae iam de Amalecitis ex vetustissimis scriptis protulimus, tantum ad ea, quae in historia Estherae minus sunt perspicua, vel explicanda vel illustranda valent, ut consistere paulisper ac commorari cogamur.

Primum quidem mirum ad modum comprobantur ea, quae supra diximus, veteres intercessisse Iudaeos inter et eorum hostes inimicitias, et hos ipsos fuisse Amalecitas. Aman enim cum non solum Mardochaeum sed cunctum eius populum delere constituit, inveterato odio et quasi hereditate accepto incitatus est, ut quod in Arabia maiores, iddem ipse in Media facere conaretur. Zara autem huius uxor, quum Iudaeos genti suae superiores iam antiquitus fuisse accepisset, de rebus suis desperasse non sine causa videtur. Mardochaeus vero, quum hostes omnes, ne liberis quidem mulieribusque exceptis, tolli iussit, illud certe persuasum habuit, iustum sese de eis et eiusmodi sumere supplicium, quod pro vetere et detestabili crimine deus statuisset ipse. Scriptor denique libri Estherae hostes vocavit eos, qui-

1) Exod. 17. Deut. 25, 17.

bus haud scio an nulli umquam in Iudaeos fuerint atrociores. Postremo perobscurum illud Mardochaei somnium omnibus ex partibus quasi collustratur. Nam quod fontis imago ad amnis magnitudinem aucti ad Estheram transfertur [1]), quid mirum? Etenim ut Iudaeorum patres, multis exantlatis laboribus, itineribus defessi, siti paene confecti, ab Amalecitis inclusi scatente aqua ex saxo conservati sunt: sic eorum posteri ab eisdem hostibus circumventi et propemodum deleti Estheram effectricem et quasi fontem habuerunt salutis.

2. Post paulo, quum Iudaei, contra ac Moyses imperaverat, ex deserto Pharan in montem ascenderent, ab Amalecitis et Chananaeis in fugam repulsi et omnes, qui in extremo agmine erant, concisi sunt [2]).

3. Iam vero dicendum est quae Moysi cum aliis Idumaeis causa fuerit. Anno igitur quadragesimo, ex quo Iudaei Aegyptum reliquerant, venerunt in desertum Sin h. e. Cades. Ibi quum sitim diutius perferre non possent, Moysem, ut de silice aquam procrearet, compulerunt. Quod quidem ille quum invitus fecisset, per fines Idumaeorum iter facere constituit [3]). A deo autem admonitus, ut Idumaeos, qui Seir montem incolebant, fratres aestimaret neve ullo maleficio afficeret, ad eorum regem Balac [4]) legatos misit, qui dicerent, *sibi esse in animo, neque agris neque vineis vastandis iter per regnum facere; rogare sese pro fraterna coniunctione, ut eius voluntate id sibi facere liceat.* Ille negavit, *se posse iter ulli per fines suos dare, et si vim facere conarentur, pro-*

---

1) Esth. LXX. 10, 3. somn. Mard. 9.
2) Numm. 14, 45. Deut. 25, 18.
3) Numm. 20, 1-14.
4) Deut. 2, 1. ss. Balac, frater Balaamis harioli. Non *Belam;* sed *Balac* scribendum est. Gen. 36, 32. s. I. Parall. 1, 43. ss. cf. LXX.

hibiturum ostendit, statimque magno cum exercitu contra Iudaeos profectus est. Quare Moyses, ne quae a deo imperata erant negligeret, proelium non commisit, sed viam campestrem ingressus magnis itineribus montem Seir vitabundus circumivit [1]).

Sin autem Amalecitas et reliquos Idumaeos inter se comparare volumus: alteri quidem a Iudaeis hostes infestissimi, alteri amici tum et consanguinei habiti et appellati sunt. Hi quidem homines innocentes iniquo loco adoriuntur; illi vineas agrosque tutandos esse statuunt. Priores re pecuaria se suosque alunt; posteriores agrorum vinetorumque culturae student. Idumaei in monte Seir sedem domiciliaque collocaverant; Amalecitae ab eis segregati ac disiuncti cum armentis gregibusque per Arabiam vagabantur.

4. Postquam Iudaei Idumaeam procul ambiverunt, dimicandum fuit cum eis gentibus, quae ex Idumaea exeuntes omnem regionem, quae trans Iordanem est, occupaverant. Emigraverant autem, ut supra diximus, quaedam gentes Amalecitarum et Horraeorum. In posteriorum numero erat fortissima Hesebonis, אשבן, gens [2]), quae civitatem eiusdem nominis, חשבון, condidit. Ea, ut ceteri Horraei, primum quidem sine dubio Amalecitis paruerat, postea vero, rege Moabitarum devicto finibusque eorum occupatis [3]), suum sibi regem constituit. Moysis aetate regnum in eis obtinuit Sehon. Is, a Iudaeis quum iter per fines suos concedere nollet, victus superatusque est [4]). Quo facto statim illis contra Ogem, regem Basanis, bellum erat parandum. Sed prius quam

1) Numm. 20, 14. ss.
2) Gen. 36, 26.
3) Numm. 21, 26. ss.
4) Ibid. 21, 21. ss.

de hoc bello dicamus, Ogem Amalecitam fuisse demonstrandum est.

Og plerumque Amorraeorum rex appellatur propterea, quod Amorraeorum maiori numero quam Amalecitarum imperabat. Eamdem ob causam, qui Numm. 14, 45. Amalecitae et Chananaei (Horraei), eidem Deut. 1, 44. Amorraei vocantur. Quodsi autem Og aeque ac Sehon ex Amorraeis ortus esset, Moyses ut illius sic huius originem exponere praetermisisset. Nunc autem, ne quis Ogem Amorraeum iudicet, eum fuisse dicit de stirpe Raphaeorum (Raphaim) [1]. Qui autem hoc loco Raphaei appellati sunt, eos Amalecitas fuisse, apparet ex eo, quod quum in Raphaeorum fines Iudaei intrarent, Amalecitae eos prohibere et expellere student [2]. Isti autem in ea pugna, quam, ut supra dictum est, ad Horeb montem tum commiserunt, praeter Ogem Raphaeos omnes occiderunt [3]. Sed est alia quaedam ratio, qua Ogem Amalecis posterum fuisse probari potest.

Omnino enim nomina Agag, Gog et Og nihil inter se differunt. Neque enim אגג quidquam aliud est, quam גוג cum proposita littera א; גוג autem prorsus iddem quod עוג. Sed haec quidem, quae grammatice facillime explicantur, non dubito, quin possint veterum interpretum auctoritate probari.

Plerisque in libri Estherae codicibus Graecis verbum Agag redditum est Βουγαῖος. Quod quidem verbum sine dubio corruptum est ex Γωγαῖος. Ita enim in eo codice ubique scriptum videmus, qui stellis virgulisque distinctus, ab Origene correctus est [4]. Vnde iuste concludi-

---

1) Deut. 3, 11.
2) Exod. 17, 1. ss.
3) Deut. l. c. Ios. 13, 12.
4) Cf. Vet. Test. edt. Holmes et Pearson.

mus, Origenem in ea sententia fuisse, ut inter Agag et Γωγ-αῖος nullam esse putaret differentiam. Praeterea quod Esthera dicit: *Neque irritum faciam foedus meum cum eis in regno Edom, ego sum enim dominus deus eorum in diebus Gog et Magog* [1]); nihil aliud indicare videtur quam Amanem et Idumaeum fuisse et Gogaeum. In Balaamis autem vaticinio verbum Hebraicum אגג septuaginta interpretes transtulerunt Γῶγ, Symmachus autem Ὢγ [2]). Ex quo perspicitur, hos quidem Agagem et Gogem, illum vero Agagem et Ogem unum eumdemque iudicasse. Habent autem tantam auctoritatem quum Symmachus et Origenes tum vero maxime septuaginta interpretes, ut temere et sine ratione ab eorum sententia numquam discedendum esse putem.

Og igitur Amalecita, ubi Iudaeos in fines suos ingredi cognoscit, contra eos exercitum ducit, sed proelio facto regnum vitamque amittit. Quanta hic fuerit corporis longitudine, incredibile memoratu est. Monstrabatur enim in Ammonitarum urbe Rabboth lectus eius, ex ferro fabricatus, cubitos latus quatuor, longus novem [3]). Duobus Amorraeorum regibus victis, ea regio omnis in Iudaeorum potestate erat, quae trans Iordanem est a mari Mortuo ad montem Hermon.

5. Sequitur ut de duobus Balaamis vaticiniis disseramus, quorum alterum ad gentem Gagaeam alterum ad universum Amalecitarum populum pertinet.

Praeclaris illis Iudaeorum victoriis perterritus Moabitarum rex Balac Sophoris filius ex Mesopotamia Balaam fratrem Balacis regis Idumaeorum haruspicem arcessivit,

---

1) Orat. Esth. 21.

2) Theodoret. in Numm. qu. 44.: ὁ Σύμμαχος οὕτως ἡρμηνεύσεν. Καὶ ὑψωθήσεται ὑπὲρ Ὢγ βασιλεὺς αὐτου'. Numm. 24, 7.

3) Numm. 21, 33. Deut. 3, 1. ss. 29, 7.

qui in illorum caput Baalis dei iram detestaretur. At vero ille per angelum dei omnipotentis timefactus non modo exsecrari Iudaeos non ausus, sed bona eis precari coactus est. Itaque in Phagor, Baalis montem, adductus hoc dei veri oraculum edidit: *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel! ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quae fixit dominus, quasi cedri iuxta aquas. Manabit aqua de situla eius et semen eius erit in aquas multas. Tolletur super Agag rex eius et exaltabitur regnum eius. Deus eduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes eius, ossaque illorum confringent sagittisque perforabunt.* Haec quidem Balaam conversus ad Iudaeos vaticinatus est; quum autem Amalecitas vidisset, ita: *Principium* (h. e. princeps) *gentium Amalec, quoad posteri eius perdentur* [1]).

Priusquam ad haec verba explicanda accedamus, notanda pauca sunt. Quod Balaam, Idumaeorum regis germanus, in Aramaea vel, ut nos dicimus, in Armenia habitabat, id quidem indicio est, gentes quasdam Idumaicas vel Horraicas iam tum, Seir monte relicto, in Syriam Mesopotamiam Armeniamque migrasse. Notatu dignum etiam illud est, hunc primum esse locum, quo Agag nomen ita scriptum reperiatur. Quum autem vates non consueverint nisi nota sibi et perspecta nomina adhibere; Balaam necesse est Agagi Amalecitarum regi aetate fuerit aequalis. Erat autem nisi Ogi aequalis Amalecitarum regi nulli. Quare nisi Ogem eumdem atque Agagem fuisse statueris, nescio an verba illa ullo modo recte possis explicare. Praeterea apparet, Agagem eum, quem

---

1) Numm. 24, 5. ss. 20.

Saulus cepit, idcirco ita vocatum esse, quia ex gente erat Gagaea.

Iam vero vaticinia, quae adscripsimus, proprium exitum et quasi perfectum habuerunt tum, quum ad regnum pervenit is, quem ipso *regis* nomine Iudaei appellare solebant. Nam verba illa quidem: *Fluet aqua de situla Israelis, et semen eius erit in aquas multas*, ut ex fonte montis Horeb quadam ratione manarunt, sic ad Estheram videntur redundare. Quod ut ita existimem, quum alia tum id maxime me movet, quod ista quidem mire quam congruunt cum his, quae ad Estheram spectare constat: *fons parvus crevit in fluvium magnum et in aquas multas* [1]. Quod autem Balaam *fore* dixit, *ut rex Iudaeus regi Gagaeo superior esset;* id Mardochaeo regi illi evenit, qui Amanem Gagaeum ex regali honore deturbavit, eumque virtute, potentia ac magnificentia longe superavit. Neque vero id quod idem ille *gentes fore* nuntiavit, *quae Iudaeorum hostes per vim e medio tollerent*, ad historiam Estherae videtur esse ineptum. Nisi enim Iudaei magistratus civesque adiutores habuissent, tantum hostium numerum haud ita facile interfecissent. – Alterum erat vaticinium, *fore ut delerentur Amalecitarum posteri*. Quod quidem Mardochaei opera factum esse, non attinet dicere. Quod autem Amalec princeps gentium vocatur, id in ea me sententia confirmat, ut primo Amalecem ipsum, deinde eius posteros in Idumaeis Horraeisque regnum obtinuisse putem. Ac quae Moyses de Amalecitis prodiderit, diximus.

---

1) Esth. LXX. 1, 0. Somn. Mard. 9. s.

§. 14.

De Idumaeorum Amalecitarumque rebus gestis (a Moysis morte ad Saulum Israelitarum regem).

Moyse mortuo, Iosue Iordanem transgressus primum eam regionem expugnat, quae ad meridiem versus montana appellatur. Deinde exercitum ducit in partem eam quae ad septentrionem spectat. In eam terram antiquitus migraverat gens Horraica Asor, אצר, de monte Seir [1]) ibique eiusdem nominis, חצור, urbem condiderat. Hi quidem Horraei, quoniam corporis viribus magnitudineque ceteris Chananaeis praestabant, finitimas gentes omnes sub potestatem suam redegerant. Praeterea Hevaeos, qui ad montem Hermon habitantes Ogi Basanis regi paruerant, post illius mortem in ditionem acceperant. Ad hoc apud Idumaeos, quorum e finibus exierant, tum quasi regiam auctoritatem obtinebant. Iabin autem, qui Horraeorum erat rex, quum ei Iudaeorum victoriae formidolosae essent, contra eos magnum ex provinciis suis exercitum coegit. Postea ad Iobabem, qui Balacem in Idumaeorum [2]) regno secutus erat, legatos mittit eique persuadet, ut auxilium sibi ferret. Quod quum ab eo impetrasset, maximo cum exercitu contra Iudaeos proficiscitur. Sed fusus fugatusque ipse cum Iobabe et reliquis satrapis occiditur. Iosue, proelio facto, urbem Asor incendio delevit, totam illam regionem subegit,

1) Gen. 36, 20. 26.

2) Gen. 36, 32. *Mortuus est autem Bela (Balac), et regnavit pro eo Iobab, filius Zarae de Bosra.* Ios. 11. 1. *Iabin rex Asor misit ad Iobab regem Madon,* מדון. Pro verbo Madon, quod Iosue 11, 1. et 12, 20. quasi ἅπαξ λεγόμενον est et a nullo dum explicatum, scribendum videtur אדום, Edom.

inter Iudaeos distribuit [1]). Hostes autem fugientes in urbes Bethsan, Ieblaan, Dor, Endor, Tenac et Mageddo sese coniecerunt, tantumque valuerunt, ut non solum hos locos defenderent, sed etiam Iudaeos ex valle Iezrael, qui campus magnus vocatur, expellerent [2]). Hi quidem Horraei, quum ipsi per se numero multum possent, tum vero eo opes suas auxisse videntur, quod Idumaeos atque Amalecitas, qui in Thamna [3]) et Bethsan habitantes amicitia et sanguine erant coniuncti, ad se congregarunt. Itaque quum per quosdam annos Iudaeis tributum solvissent, Iosue mortuo, illis vicissim imperare coeperunt. Restituta enim urbe Asor, Iabin regem creare, magnum exercitum comparare, Iudaeos vehementer opprimere. Quod quum illi per viginti annos pertulissent, Debora prophetissa primum quidem Baracem adhortatur, post vero ipsa cum eo ex finibus Zabulon et Nephthali decem milia militum colligit atque in montem Thabor adducit. Ibi pugna cum Sisara hostium duce commissa, Iudaei gloriosam victoriam reportant [4]). Eo autem proelio etiam Amalecitas interfuisse, apparet ex eo, quod Debora cecinit: *Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descenderunt et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum* [5]). Hac clade accepta, Amalecitae eo temporis spatio, quum Iudaeorum respublica a iudicibus administrata est, non sua quidem ipsi sponte sed aliorum socii bellum semel iterumque intulerunt. Primum quidem stipendia me-

---

1) Ios. 11.
2) Ibid. 17, 11. 16. Iudicc. 1, 27. 34. 36.
3) De Thamna cf. Ios. 15, 10.
4) Iudicc. 4.
5) Ibid. 5, 14.

ruerunt in exercitu Eglonis regis Moabitarum, qui hoc auxilio auctus Iudaeos superavit eosque per annos decem et octo in potestate retinuit [1]). Centum fere annis post Madianitarum in agmine fuerunt, quibuscum eos origo, lingua, vitae ratio, iddem in Iudaeos odium [2]), eiusmodi alia coniunxerunt. Per plures autem annos communes cum illis fecerunt incursiones omnesque istorum fines usque ad Gazam pervagati sunt. Eam enim sequebantur belli gerendi consuetudinem, ut haud ita multo ante messem venientes, suos secum greges ducerent, domicilia agerent, praedam undique ex agris aedificiisque raperent. Itaque Iudaeos se suaque omnia vel in montium iuga vel munitos in locos recipere coegerunt. Quod quum per septem annos fecissent, a Gedeone et electa illa trecentorum virorum manu ipsi fusi fugatique, Zebee et Salmana Madianitarum reges capti atque interfecti sunt. Gedeon autem ex hoc bello maxima spolia atque ingentis ponderis praedam domum detulit [3]). Sed haec quidem hactenus.

Iam vero illam bellandi rationem si mecum reputo, praesagire mihi videor, Amalecitas, quum, Assuero rege, Iudaeos vexarent, consimili quadam incursione facta, in Media adfuisse. Sed de hac re postea. Illud tamen hoc loco, dicendum est quamvis quiddam minutius esse videatur, camelos, quibus duo illi reges utebantur bullis (lunulis μηνίσκοις) de collo suspensis aliisque ornamentis insigniter fuisse decoratos [4]).

1) Iudicc. 3, 12. ss.

2) De Madianitis eorumque in Iudaeos inimicitiis cf. Numm. 25, 17. *Hostes vos sentiant Madianitae et percutite eos*, et 31, 7. *Cumque pugnassent Israelitae contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt .... Balaam quoque filium Beor hariolum interfecerunt gladio.*

3) Iudicc. capp. 6. 7. 8.

4) Ibid. 8, 21. 26.

His interpositis, ad Idumaeorum historiam redeamus. Enumerantur in Genesis et Paralipomenon libris reges octo, qui a Moysis aetate ad Saulum Israelitarum regem imperium in eis tenuerunt. Primus in eo numero est Balac, Balaamis harioli frater, qui Moysi per fines suos iter facere non concessit. Alter est Iobab, filius Zarae de Bosra, quem Iabini priori Asoris regi auxilium praestitisse atque a Iosue interfectum esse diximus. Hunc secutus est Hus ex Themanis gente oriundus. Quo mortuo, regnum suscepit Adad, quem propter nominis similitudinem Gagaeum duxerim. Is Madianitas in Moabitarum regione devicisse perhibetur. Qua re illi lacessiti postea vicissim Amalecitas videntur subegisse. Fecerunt enim, ut modo diximus, communes cum istis in Iudaeam incursiones. Quintus regnavit Semla de Masreca. Qui quum e vita excessisset, in eius locum suffectus est Saulus Rohobothanus. Septimus denique Balanan Achoboris filius fuisse traditur. Postremus est Adad, de quo postea dicturi sumus [1]).

§. 15.

De Amalecitarum rebus gestis
(in Iudaea regnante Saulo).

1. Saulus ubi a Samuele Israelitarum rex unctus declaratusque est, Idumaeos et Amalecitas fudit suosque a continuis eorum praedationibus liberavit [2]). Sed deus, quod regem Iudaeum regi Gagaeo superiorem fore promiserat, id quam primum perficere voluit. Itaque quum Saulum regem constituisset, Samuelem vatem ad eum misit, qui diceret, *Quoniam cum divino suo animo con-*

1) Gen. 36, 31. I. Parall. 1, 43.
2) I. Regg. 14, 47. s.

sideraret, et quae Amalecitae in Iudaeos malefacta perpetrassent, et quemadmodum illis proficiscentibus ex Aegypto restitissent: Saulo sese imperare, ut tum eos ipsos percuteret tum omnia quae possiderent bona corrumperet atque deleret. Omnino enim ex eorum facultatibus concupiscendum esse nihil. Interficiendos autem omnes, viros, mulieres, infantes, lactentes; occidendos camelos, asinos, boves, oves. Quibus mandatis acceptis, Saulus magnum exercitum coegit cum eoque in Amalecitas profectus est. Quum ad eorum civitatem pervenisset, ex Madianitis eos qui Cinaei appellantur quique suos, quum ex Aegypto iter facerent, honorifice liberaliterque tractaverant, ex hostium finibus iussit discedere. Quod quum eis, ut sine ulla mora facerent, facile persuasisset, in hostes irrupit ingentesque strages fecit. Proelio facto, qui fuga salutem petiverunt, usque ad Sur persecutus occidit. Agagi Amalecitarum regi, quem vivum comprehenderat, contra ac mandatum erat, parcere constituit; reliquos gladio trucidari iussit. Simili ratione, populo vel consentiente vel adhortante, ex gregibus, ex armentis vestibus arietibus denique ex bonis omnibus, quidquid usui fore videbatur, sibi militibusque conservari voluit; quidquid autem vile et nullius erat pretii, vel ad caedendum vel ad demoliendum tradidit.

Haec dum ita a Iudaeis aguntur, deus Samueli ostendit, *dolere quod Saulum regem constituisset, propterea quod et deficere ab ipso conatus esset, neque imperata perfecisset.* Magno ex hac re Samuel dolore affectus, totamque per noctem deum precatus, prima luce in Galgala ad regem contendit. Quem quum satisfecisse divinis praeceptis videret simulare: perceptis ipsis gregum armentorumque vocibus, neglexisse arguit. Dein et rebus et verbis convictum, graviter vituperat, *quod dicto obediens esse noluisset. Meliorem enim obedientiam esse*

ait *quam victimas, praestareque obedire quam sacrificia offerre. Propterea autem quod domini sermonem abiecisset, dominum abiecisse ipsum et ne rex esset interdixisse* docet. Postremo Agagem pinguem hominem adduci iussit, eumque manu propria ante altare dei in frusta concidit. Quo facto, a Saulo rege in perpetuum discessit [1]).

Cogitanti mihi de his rebus illud maxime considerandum videtur, deum, quum quidquam ex hac victoria lucri facere vetaret, id voluisse assequi, ut Iudaeis persuaderet, poenam, quam tanta cum severitate de hostibus exigerent, non hominum arbitrio, sed sancta sua ipsius voluntate esse constitutam. Nam Iudaei, cum tantum sanguinis, promiscua omnium generum caede, effunderent, verendum fuit, ne inhumani, ne duri crudelesque evaderent. Quod ne accideret, illud oportuit eos admoneri, non proprio, non humano iudicio bellum gerendum esse, sed iustissimo deo et iubente et adiuvante. Quod cum verbis minus posset, factis significatum et ita demonstratum est, ut ex spoliis, quae iusta ceteroquin victoribus laboris sudorisque praemia esse solent, sibi adquirere omnino quidquam vetarentur. Quam ob causam huic mandato suo deus tantum tribui auctoritatis voluit, ut neglectum cum esset, poenam statim repeteret, a regno Saulum amoveret sufficeretque illius loco Davidem. Lege illa quidem et poena cognita, Iudaei qui aetate erant posteriores, etsi Amanem non ignorarent suis concessisse praedandi licentiam [2]), tamen ipsi non iussi quidem a Mardochaeo [3]), sed pietate sua

---

1) I. Regg. 15.

2) Esth. 3, 12. s. *Et scriptum est, ut iusserat Aman, et litterae missae sunt, ut occiderent atque delerent omnes Iudaeos et bona eorum diriperent.*

3) Ibid. 8, 11. Verba: *et spolia eorum diriperent,* sunt ea qui-

timoreque dei retenti, diligentissime caverunt, ex hostium bonis ne quis quid appeteret. Hanc eorum abstinentiam sanctitatemque tanti fecit libri Estherae scriptor, ut non in universum eam laudaret, sed singulatim lectorum animis eam quasi inculcaret. Disertis enim verbis affirmat, neque Iudaeos qui Susis essent aut priore die aut altero spolii fecisse quidquam, neque eos, qui provinciarum essent incolae, occisorum bona usquam diripuisse [1]). Quod autem non uno, sed tribus in eodem capite locis Iudaeorum illam a praeda temperantiam extulit, id cur fecerit, si inter Sauli et Mardochaei facta coniunctionem esse nullam statuerimus, non poterit omnino explicari; sin autem statuerimus, ne egere quidem explicatione videbitur.

Sed admirabilem quamdam inter facta Sauli Mardochaeique esse rationem; mea quidem sententia, etiam ex eo elucet, quod eorum uterque eodem prognatus erat generis auctore [2]). Nam singularis rerum convenientia quaedam consensusque in eo cernitur, quod non modo ignominiam, quam ille divino neglecto imperio contraxit, eam hic eadem gente ortus delevit, sed etiam dignitatem regiam, quam alterius amisit peccatum, eam virtus alterius obedientiaque recuperavit. Haec res, quae quod sciam veteres fugit omnes, cognita et accurate

---

dem in editionibus quibusdam, in codicibus omnino non sunt. Cf. S. Hieronymi opera edt. Vallarsius IX. p. 1578.

1) Esth. 9, 10. *praedas de eorum substantiis tangere noluerunt;* ibid. 9, 15. *nec eorum ab illis direpta substantia est;* ibid. 9, 16. *et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.*

2) Esth. 2, 5. *Mardochaeus filius Iair filii Semei filii Cis de stirpe Iemini,* ibid. 11, 2. *Mardochaeus filius Iairi filii Semei filii Cis de tribu Beniamin.* Cf. I. Regg. 9, 1. s. *Et erat vir de Beniamin nomine Cis et filius Abiel filii Seror filii Bechorath filii Aphia filii viri Iemini fortis robore. Et erat ei filius vocabulo Saul.*

exposita est a s. Iacobo Nisibeno; hoc quidem modo: *Et deus tum iuste decrevit de Amalec, ut deleretur memoria eius per filios Rachel. Primus enim inivit contra eos pugnam certavitque Iosue filius Nave ex cognatione Ioseph; et deinde ex filiis Beniamin Saul; reliquias vero Amalecitarum contrivit et perdidit Mardochaeus ieiunio suo* [1]).

Idem sanctissimus homo veterisque testamenti peritissimus apte explicavit id, quod iam supra diximus: veterum inimicitiarum memoria ad tantam iracundiam Amanem excitatum, ulciscendique cupiditate commotum esse, ut de interimendis Iudaeis consilium caperet. Sed eius ipsius verba adscribamus. *Hac igitur capta occasione,* ait, *Aman voluit sumere vindictam de filiis populi gentis Mardochaei, ut ulcisceretur in eis Amalecitas, quia erat ipse ex gente Agag regis Amalecitarum, quem Saul ad Samuelem adduxit et Samuel propheta occidit coram deo. Et Mardochaeus erat cognatus gentis Saul ex eadem tribu Beniamin ex filiis Cis. Itaque quia Saul percussit et interfecit Amalecitas in ore gladii sui: ideo Aman voluit sumere vindictam gentis suae de filiis Israel et ulcisci mortem Agag in Mardochaeo* [2]).

Sed Amanis Samuelisque dicta vel addere hoc loco operae pretium est vel aliqua ex parte explanare. Agag igitur cum ad altare dei trucidandus adduceretur ac suspirans diceret: *Siccine separat amara mors;* a Samuele responsum accepit: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus: sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Quae Samuelis verba si quis proprie volet de ipsa Agagis matre intelligere, non impediam. Sed quoniam, quod Moyses de Amalecitis, iddem de Ga-

1) Iacob. Nisiben. l. c.
2) Idem l. c.

gaeis Samuel videtur vaticinari; equidem ea ad Thamnam totius gentis matrem referre malim.

Sed eos qui legunt ne illud quidem velim fugiat, quod pinguissimus fuisse Agag perhibetur. Quod quidem quamquam minimi momenti esse videatur, tamen nobis in ea quae de Gagaeis futura est argumentatione usui fore censeo.

2. Quum Saulus praedas facere, quam hostes occidere maluisset: non omnes Amalecitarum fines, sed eam tantum partem depopulatus est, quae ad Sur usque pertinet. Reliqua erat altera, quae in meridiem ad Aegyptum spectat. David igitur, cum a Saulo ad regem Achim profugisset et Sicelegae per quatuor menses habitaret, cruentum illud opus, quod iste inchoatum reliquerat, cum fortissima sexcentorum virorum manu perficere conatus est. Itaque, in Amalecitarum regionem quae ad meridiem vergit incursione facta, captisque duobus hostium pagis Gesuri et Gezri, incolas omnes tam viros quam mulieres occidit magnamque praedam oves boves asinos camelos vestes et eiusmodi alia inde deportat [1]). Qua re hostes lacessiti, cum illum cum rege Achi contra Iudaeos profectum domo abesse acciperent, hanc ad suos ulciscendos occasionem non praetermittendam arbitrantur. Quare cum eo ipso tempore in Iudaeorum aliarumque gentium fines praedabundi venissent, itineribus quam maximis possunt Sicelegam contendunt, urbem nullis resistentibus capiunt, diripiunt, incendunt, ingentem praedam agunt, mulieres liberos secum abire cogunt. David tertio die, ex quo illud factum est, dimissus a rege Achi domumque reversus, urbem invenit conflagratam, uxores duas ab Amalecitis

1) I. Regg. 27, 8. s.

captas audit atque deductas. Qua re vehementissimo dolore affectus, deo statim per ephod consulto, tanta cum celeritate hostes persequitur, ut, quum ad Besor torrentem venisset, tertiam exercitus partem itinere confectam relinquere cogeretur. Ipse cum ceteris quadringentis eadem cum festinatione progressus ac servum quemdam Aegyptium, quem hostes aegrotum proiecerant, certissimum ductorem nactus, primo vespere ad eum locum pervenit, quo Amalecitae proficiscendi finem fecerant. Illi de insidiis nihil opinantes, incredibili cum securitate primum quidem considere ac vires reficere, deinde sese dispergere, potare, commessari et de praedarum abundantia quasi festum agere. Viros suos David hostes silentio circumvenire imprudentesque ex omnibus partibus adoriri iussit. Quo facto per totam noctem totumque per diem ingentem stragem fecit; neque prius a caede destitit, quam hostium nihil videret esse reliquum. Totam autem rem tam caute tamque prudenter instituerat, ut ex omni numero nemo evaderet praeter quadringentos adolescentes, qui in camelos ascenderunt effugiendique potestatem nacti sunt. Tantam autem in hostium castris praedarum rapinarumque vim reperit, ut, cum ex ea sexcentis viris suum cuique quasi stipendium dedisset, magnam partem reliquam faceret. Quoniam autem aliorum spoliis suas facultates augere inhonestum duxit, eam in Iudaeam deferre et inter eos, qui sibi erant amicitia familiaritateque coniuncti, distribuere constituit. Quibus hanc rem administrandam dedit, eos verbis his dona afferre iussit: *Accipite benedictionem de praeda hostium domini* [1]). Haec quidem libri sacri.

---

1) I. Regg. 30.

In hac enarratione duo sunt, quae consideratione digna esse videantur. Alterum est Davideum illud: *Accipite de praeda hostium domini*, quo egregie confirmatur id, quod de hostium in libro Estherae appellatione diximus. Nam quos David domini hostes appellavit eos illius libri scriptor aut hostes omnino dixit aut hostes vel sanctorum vel Iudaeorum. Quemadmodum autem alter sibi persuasit, amicos *hostes* illud de Amalecitis intellecturos: sic ne alter quidem dubitare debuit, quin lectores Iudaici iddem illud de eisdem accepturi essent. Alterum autem ad eum locum pertinet, qui est de Amalecitarum vitae ratione, quemque iam supra attigimus. Patet enim etiam ex eis rebus, quas modo exposuimus, Amalecitas vivendi genus duplex et pastorale, quod *νομαδικὸν* dicunt, et praedatorium secutos esse. Etenim relictis pascuis suis, cum familiis, cum domibus gregibus armentis fines aliorum appetunt; incolis fugientibus parcunt, resistentes occidunt, hortos vineas agros vastant, ex aedificiis pagis urbibus, quidquid libet, rapiunt ac praedantur. Quae si ex animo successerint, vino et ludo, conviviis deliciisque se dare incipiunt. Denique vel in regiones sese suas recipiunt, vel ad alias demigrant. Sed haec quidem hactenus.

David hoc loco et cum consuluit deum, et cum servum Aegyptium interrogavit, eos quos persequi voluit non Amalecitas sed *latrunculos* גדוד, גדודים, appellavit. Quum autem latrunculorum facta in libris sacris multa memorentur, eaque ad res Amalecitarum pertinere videantur; haud alienum est, de eis quid sentiam aperire.

§. 16.

Quos scriptores sacri latrunculos dicere solent, eos quidem esse Amalecitas.

Si Amalecitas fuisse dicimus, quos scriptores sacri latrones vel latrunculos vocant: non ea nostra sententia est, ut quicumque illo nomine appellati sint, ex hac gente fuisse probemus. Moabitarum enim vel Arabum vel Chaldaeorum latrunculi [1]) qui dicuntur, dubium non est, quin fuerint eis ipsis nationibus oriundi. Sed ubi nomen illud ipsum per se, neque ulla addita definitione, positum est: haud fere erraveris, si referendum ad Amalecitas censueris. Sed prius de propria illius significatione dicendum est.

Nomen igitur גדוד Hebraicum, quod Amalecitis datum putamus, ductum est a verbo גדד, quod spoliandi vel praedandi vim habet. Significat autem *inordinatam et incompositam spoliatorum turbam*. Propter illam collectivam quam dicimus vim haec vox singulariter ab Hebraeis efferri solet. Neque tamen vere dici potest, eiusmodi locos omnino deesse, ubi ea elata sit pluraliter. Veluti II. Regg. 4, 2. *praedatoriarum turbarum principes*, IV. Regg. 5, 2. *praedonum turbae*, I. Parall. 7, 4. *turbae vel copiae militares*, alibi. Ex prima autem significatione facile intelligi potest, quomodo factum sit, ut varius omnis ac parum dispositus exercitus praedatoria turba, גדוד, diceretur [2]). Graeci interpretes, ut hanc vim assequerentur, diversa verba, πειρατήριον [3]),

---

1) IV. Regg. 13, 20. II. Parall. 22, 1. IV. Regg. 24, 2.
2) Cf. Iob. 25, 3. II. Parall. 25, 9. ss.
3) Gen. 49, 19. Iob. 19, 12. Ps. 17, 30.

ληστήριον [1], *πειραταὶ* [2], *λησταὶ* [3], *σύστρεμμα* [4], *μονόζωνοι* [5], *δύναμις* [6] adhibuerunt; quorum primum *piratarum*, alterum *praedonum turbam* significat. Tertium et quartum quid declaret, ex duobus primis iam perspicuum est. Quintum autem *agmen conglobatum* Latine dici potest. Sextum vero, teste Suida, iddem valet quod *incompositi milites et quasi praedones* [7]. Postremum prorsus iddem est, quod *exercitus*. Sanctus autem Hieronymus verbum Hebraicum interdum Latinis: *cuneus, turma, exercitus, milites, accincti* [8], exprimit; plerumque tamen *latrones* vel *latrunculi* interpretari solet. Ac de huius verbi significatione diximus.

Iam vero, ut ad rem ipsam veniamus, Amalecitae, qui manubiis rapinis praedationibus vitam sustentabant, qui non ornato distributoque exercitu, sed praedatoria manu cum mulieribus liberis familiis terras invadere solebant; quo verbo aptius notari poterant, quam quo et pugnandi eorum et vivendi ratio exprimeretur? Quid vero? poetae quorum est res humanas ac naturales ita describere, ut quasi oculis cerni videantur, quibus ob eam ipsam causam cum omnia nomina propria molesta, tum vero ob aliam quoque rem illud: *Amalec* odiosum invisumque fuit; quodnam verbum eligere potuerunt, quod vel ad nomen proprium vitandum facilius illo esset vel ad designandam gentem istam accommodatius?

---

1) II. Parall. 22, 1.
2) Iob. 25, 3. Ose. 6, 9.
3) Ierem. 18, 22. Ose. 7, 1.
4) II. Regg. 4, 2. III. Regg. 11, 24.
5) IV. Regg. 5, 2. 6, 23. 13, 20. s. 24, 2. I. Parall. 7, 4. Iob. 29, 25.
6) I. Parall. 12, 18. II. Parall. 29, 9. ss.
7) Suidas *ἀσύντακτοι, καὶ ὡσανεὶ λησταί.*
8) I. Regg. 30, 15. I. Parall. 12, 18. II. Parall. 25, 10. 13. Iob. 25, 3. II. Parall. 25, 9. I. Parall. 7, 4.

Coniunctum autem nomen verbo, גדד גדוד, *spoliare spoliatorum turbam*, concentum efficit, quo ad aurem nihil esse potest suavius, ad animum nihil efficacius. Quare verbum illud primum a poetis adamatum de Gagaeis Amalecitisve ita tritum est, ut cum in vulgarem historicorum usum abiret, quasi amissa significatione sua, nominis proprii vim obtineret. Sed quod iam rationibus probabile est, exemplis comprobemus.

Primum quidem Israel, totius gentis parens, alludens suaviter et eleganter, ac trium nominum similitudines secutus, *Gad (deus spoliator)*, inquit, *spoliatorum turba spoliabit eum, et ipse spoliabit extremum* (illorum) [1]. Quod quidem vaticinium ad Amalecitarum praedationes referre minime dubito. Gaditarum enim tribus, quum sedem suam trans Iordanem in pristino Horraeorum Amalecitarumque regno collocasset, illorum incursionibus latissime patebat. Sed horum fortissimi, qui eisdem, quibus praedones illi, armis sagittis et arcubus utebantur [2], cum Saulo sese et Davidi adiunxissent [3], non solum illorum extremum h. e. posteritatem superarunt sed etiam eos ex eorum finibus deturbaverunt [4].

Iam vero pater ille Iob, ut et auctoritatem suam et facultates insignes faceret, quum sua aetate Amalecitarum imperium maxime florere videret, ex eis potissimum similitudinem attulit. *Si voluissem ire ad eos,* ait, *sedebam primus; cumque sederem quasi rex in*

---

1) Gen. 49, 19. Locum difficillimum Graecus interpretatus est: Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας· sanctus vero Hieronymus ita: *Gad, accinctus proeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.*

2) I. Parall. 5, 18.

3) Ibid. 10, 11. 12, 8.

4) Cf. s. Hieron. de praedictt. Iac. patr. edt. c. III. p. 735.

spoliatorum turba (h. e. quasi rex inter Amalecitas) *eram tamen moerentium consolator* [1]).

David autem eo loco, quem iam attigimus, deum poetico sermone de Amalecitis ita consuluit: *Persequar spoliatorum turbam hanc et comprehendam eos.* Atque illum quidem servum Aegyptium de eisdem interrogans, *Potes,* inquit, *me ducere ad hanc spoliatorum turbam?* Ille vero: *Iura mihi per deum, quod non occidas me, et ducam te ad hanc spoliatorum turbam* [2]). Pronomen autem demonstrativum הגדוד verbo David adiunxit, propterea quod non omnem spoliatorum turbam, sed eam ipsam intelligi voluit, quae patriam suam diripuerat. Ex tribus his dictis apparet, quod diximus, Amalecitas, qui erant spoliatores καθ' ἐξόχην, ab Hebraeis גדוד esse vocatos.

Atque idem ille in triumphali carmine de Amalecitis ita cecinit: *In te persequar spoliatorum turbam, in domino meo transiliam murum.* Quae verba et Graecus interpres et eum qui secutus est vetus Italus loco alio aliter intellexerunt atque reddiderunt. In Regum enim libris alter ita: ὅτι ἐν σοὶ δραμοῦμαι μονόζωνος, καὶ ἐν τῷ θεῷ μου ὑπερβήσομαι τεῖχος, et alter: *In te enim curram accinctus, in domino meo transiliam murum* [3]). In Psalmis vero superior hoc modo: ὅτι ἐν σοὶ ῥυσθήσομαι ἀπὸ πειρατηρίου (a piratarum turba), καὶ ἐν τῷ θεῷ μου ὑπερβήσομαι τεῖχος, et posterior: *Quoniam in te eripiar a tentatione et in deo meo transgrediar murum* [4]). Sed ut de praedonibus priorem huius versus partem interpretemur, videtur duorum membrorum aequabilitas po-

1) Iob. 29, 25.
2) I. Regg. 30, 8. 15.
3) II. Regg. 22, 30.
4) Ps. 17, 30.

stulare, ut vero de Amalecitis, eius cum tribus illis Davidis dictis aperta coniunctio. Sed haec quidem David.

Michaeas autem, Morasthites, filiam Sion laudibus prosecutus, in Samariam contra sancta cum severitate et divino vate vero digna invectus, *Nunc spoliaris*, inquit, *filia spoliatoris: obsidionem posuerunt super nos, in virga percurtient maxillam iudicis Israel* [1]). Acerbissimo filiae Amalecis nomine eam urbem denotavit, in qua magnam apud reges auctoritatem homines habuerunt Amalecitae, cuius cives Amalecitica cum impietate adorare falsos deos non erubescebant.

Alia quidem ratione, sed eisdem cum Amalecitis Osee propheta Galaaditarum civitatem comparat. *Galaad*, ait, *civitas operantium idolum supplantata sanguine et ad insidiandum quasi vir spoliator et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem* [2]). Quare Galaaditarum civitas vel omnis potius Samaria poenas dedit per eos, quorum et impietatem in deum aequaverat et immanitatem in homines. Idem enim vates, *Cum sanare vellem Israel*, inquit, *revelata est iniquitas Ephraim et malitia Samaria, quia operati sunt mendacium; et fur ingressus est spolians: spoliatorum turba foris* [3]). Vtrumque autem et hoc: *spoliatorum turba* et illud: *vir spoliator*, spectare ad Amalecitas, vix necesse habeo dicere.

Denique voci גדוד eamdem, quam ceteri vates, significationem tribuit Ieremias. Quod enim eius est vaticinium: *Audiatur clamor de domibus eorum, adduces enim super eos spoliatorum turbam repente, quia foderunt foveam, ut caperent me, et laqueos absconde-*

---

1) Mich. 5, 1.
2) Osee 6, 8. s.
3) Ibid. 7, 1.

runt pedibus meis [1]), de quo paucis dum licuit, id quorsum spectet, solis luce clarius est. Etenim clamorem, quem ille futurum praesensit, audire mihi videor et ex Hierosolymorum expugnatione et a libri Estherae scriptore: *Statimque in Susan pependit edictum; .... cunctis Iudaeis qui in urbe erant flentibus. In omnibus quoque provinciis oppidis ac locis ad quae crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudaeos ieiunium ululatus et fletus* [2]). Gagaei autem quam improvisam quamque repentinam in Assueri regnum incursionem fecerint, alio loco exponemus. Nunc haec consideremus. Vt Iudaeorum populus, sic Ieremias promissum a deo acceperat, sese ab eo conservatum numquam interiturum [3]). Qui prophetae foveam foderunt, in eam ipsi, Hierosolymis captis, quasi in apertam perniciem incurrerunt. Similiter ei, qui Iudaeorum genti laqueum absconderunt, in eo ipsi, regnante Mardochaeo, capti atque strangulati sunt.

Postremo in adhibendo verbo גדוד consuetudinem, quam poetarum usque ab antiquis temporibus consensus firmaverat, etiam rerum secuti sunt scriptores. Qui enim Regum librum tertium reliquit, Amalecitas eos, quos superavit David, omnino vocavit spoliatores, veluti: *Razon factus est princeps spoliatorum turbae, cum interficeret eos David* [4]). Eodem modo is, qui Paralipomenon libros confecit, cum Davidis in Amalecitas expeditionem prodit, nominatim quidem istorum nullam mentionem faciens, enumeratis illius adiutoribus, ita scribit. *Hi praebuerunt auxilium David adversus spoliatorum tur-*

1) Ierem. 18, 22.
2) Esth. 3, 15. 4, 3.
3) Ierem. 1, 19.
4) III. Regg. 11, 23. s.

bam [1]). Horum autem uterque, cum quod dicerent etiam ab eis vellent intelligi, qui priores Regum libros non legissent, aperte in ea sententia fuerunt, ut גדוד illud neminem putarent non interpretaturum de Amalecitis.

Hac mora interposita, expeditius Amalecitarum historiam explicare pergemus; sed prius etiam in Sauli regis morte paucis verbis commorandum est.

§. 17.

Qui ex barbarorum exercitu Saulum regem vulnerarunt, quique omnino dicuntur viri sagittarii, fuerintne ei quoque Amalecitae?

Quamquam a nullo veterum scriptorum dictum vel declaratum est, vulneratum esse Saulum ab Amalecitis et ad mortem compulsum: tamen tanta sunt huius rei tamque certa indicia, vix ut de ea dubitari posse videatur. Sed ad illa diligentius indaganda necesse est quae de regis morte traduntur exponere.

Palaestinenses principes, quum, Davide dimisso, cum Saulo certamen inirent, victo fugatoque Israelitarum exercitu, contra regem eiusque filios acerbissime pugnarunt. Ille de victoria desperans, ut apud Samuelem scriptum in historia est, a *iaculatoribus, viris sagittariis,* vulnere affectus mortem ipse sibi conscivit. Postero die victores barbari, cum interfectos vulneratosque spoliarent, invento rege mortuo, caput praecidunt atque in Dagonis dei templo affigunt, arma detrahunt deaeque consécrant Astartae, ipsius triumque filiorum obtruncata corpora in cruce suspendunt eaque in Bethsan urbis suae muro quasi victoriae signa foeda atque terribilia exponunt. Quam regis sui ignominiam Galaaditae, qui

1) I. Parall. 12, 21.

Iabes oppidum incolebant, cum cognovissent, ferendam non putarunt. Itaque unius noctis itinere facto, ad Bethsan silentio perveniunt. Sauli filiorumque eius cadavera clam de muro ablata in urbem suam referunt. Corporibus crematis, quae ab igni relicta sunt, honorifice sepelierunt [1]). Dum haec ita aguntur, David Amalecitas eos, qui Sicelegam incenderant, persecutus atque ultus est. Tertio autem die, cum esset ex ea expeditione reversus, ad se venire videt adolescentem quemdam Amalecitam. Is, scissis vestimentis, pulvere conspersus Saulum regem sese occidisse ex eiusque castris aufugisse simulans, ad hunc illius diadema armillamque detulit. David incredibili moerore afflictus, cum Sauli Ionathaeque mortem usque ad vesperam ieiunus deplorasset, adolescentem illico trucidari iussit [2]). Ac haec quidem memoriae tradita sunt.

Primum quidem videndum est, quomodo singulare illud sacri scriptoris dictum explicemus: *Et consecuti sunt eum* (Saulum) *iaculatores, viri sagittarii; et vulneratus est vehementer*. Quod mirum in eo videtur, id est, quod *iaculatores,* verbis adiunctis: *viri sagittarii,* accuratius definiuntur [3]). Quorsum illa quidem repetitio? Auctor ille qui gravissimas res tam breviter, tam strictim explicare solet, quid est, quod non aut iaculatores aut viros sagittarios posuit? quid, quod alterutrum satisfacere sententiae suae non putavit? An illud sibi proposuit, ut altero armorum genus cohortemque militum, altero stirpem gentem nationem indicaret? Hoc, credo, ita se habere confitendum est, aut tota res omnino relinquenda. Et profecto alterum illud: *homines sagittarii,*

1) I. Regg. 31. I. Parall. 10.
2) II. Regg. 1.
3) I. Regg. 31, 3. Graecus: *οἱ ἀκοντισταὶ ἄνδρες τοξόται.*

ad significandam certam quamdam gentem mihi quidem videtur esse aptissimum. Erat enim quaedam gens, Amalecitas dico, in sagittariorum arte perfectissima, ob eamque causam et notissima omnibus Asiae populis et maxime terribilis. Hanc igitur sanctus ille scriptor, qui ex peccato poenaque Sauli vivissimum dolorem percepit, salvo veritatis officio, significare potius, quam nomine appellare maluit, ut acerbitatem rei, quantum posset, nominis lenitate mitigaret.

Praeterea quod barbari illi Sauli filiorumque cadavera in urbem Bethsan detulisse traduntur, certissimo argumento est, eos fuisse Amalecitas. Erat enim ea in horum finibus urbs nobilissima.

Postremo si res gestae quomodo enarratae sint paulo accuratius considerantur, perspicuum est, adolescentem, qui se et advenae filium esse et fugisse ex Israelitarum castris simulavit, unum fuisse ex eis, qui, quo die pugnatum est, Saulum regem persecuti sunt, postridie autem spoliaverunt mortuum. Hic cum Davidem contra Saulum proficiscentem vidisset, in eam spem adductus est, sese magna praemia accepturum [1]), si mortis nuntius cum regalibus insignibus primus ad eum gratulatum venisset. Hic igitur, qui Saulum primus offendisse videtur, quoniam, ut scriptum videmus, Amalecita fuit; reliquos sagittarios, qui una cum eo victis spolia detraxerunt, Amalecitas fuisse necesse est.

Postquam, qui Saulum regem ad mortem ursisse traduntur, Amalecitas fuisse demonstratum est: in utramque partem animum convertere considerareque et praeterita et futura decet. Si quae illius tristissimae morti antecesserunt, respicere voluerimus: non poterimus, quin iustissimam dei voluntatem neque ullis humanis

---

1) II. Regg. 4, 10.

coniecturis assequendam vel admiremur vel adoremus. Quibus enim Saulus, contra atque imperatum erat, parcendum putaverat, eis ipse a deo interficiendus traditus est. Sin quae post scelestum illud ac nefarium Sauli regis Ionathaeque suspendium acta sunt, animo pio et a praeiudicatis libero contemplati fuerimus: et divinam iustitiam, quae peccatores de iustis saepius triumphare non patitur, laudibus debebimus efferre, et Estherae naturam moresque a quorumdam vituperationibus liberare. Quum enim regina illa tradatur ab Assuero petivisse, nulla addita huius rei ratione, ut decem Amanis filios priore vindicationis die occisos, altero suspendere liceret [1]); fuerunt, qui crudelitatis inhumanitatisque notam illi inurere, quam causas rerum antecessionesque requirere mallent. Sed ut verum de hac re iudicium esse possit, sciendum est, Estheram ex Cis [2]), Amanem ex Amalecitis esse progenitum; neque ignorandum, quanta ab istis illius filius contumelia, quanta ignominia sit affectus. Quis haec secum cogitans tam caeca animi tamque effeminata mollitia esset, ut, poena Amanis filiis imposita, notam ignominiamque illam de Sauli genere sublatam esse nollet? Quid vero? Esthera mulier illa admirabilis, quae nihil antiquius habuit, quam ut maculam istam, quae Saulo uncto regi adspersa redundare in deum ipsum visa est, omnino deleret, quis est, cui non propter eximiam magnanimitatem laudanda potius quam propter severitatem vituperanda videatur?

His expositis, de reliqua Amalecitarum historia disseremus ex libris sacris haurientes.

---

1) Esth. 9, 13. s.

2) Hieron. quaestt. hebrr. in librr. Parall. ad I. Parall. 16, 6: *Domum eius (Sauli) pariter concidisse dicit, non ut non esset, de quibus fuit Mardochaeus.*

§. 18.

De Idumaeorum rebus gestis (Davide in Iudaea, Razone in Armenia regnantibus).

Ex eis, quae a nobis adhuc explicata sunt, satis apparet, omnium Idumaicarum gentium Amalecitas et fortissimos fuisse et potentissimos. Quod iddem et ex Balaamis verbis, de quibus supra diximus, intelligitur, et ex eo quod cum Edomis posteri enumerantur illi primum semper locum obtinent [1]). Quum igitur ceteris populis virtute viribus opibus praestarent, facile effecerunt, ut imperium in Idumaeos omnes consequerentur ac per temporis diuturnitatem obtinerent. Quae cum ita sint, vix dubitandum est, quin ex Amalecitis fuerint plerique eorum regum, qui in Idumaea a Moysis temporibus usque ad Saulum regnasse perhibentur [2]). Postremus eorum in Genesis Paralipomenonque libris appellatur Adad [3]). Hic, quum ad Sauli Iudaeorum regis tempus pervenisse tradatur [4]), omnino fuisse alius non potest, quam quem a Samuele interfectum, Agagem nominatum videmus. Diversa autem nominis scriptura ex eo orta est, quod iddem nomen alii Ἀδάδ vel Ἀγάγ vel etiam Ἀζάζ pronuntiare solebant. Hic autem non solum Idumaeos sed et Palaestinenses omnes et Sobaeos sub potestatem suam redegisse videtur. Quum enim a Samuele occisus filium admodum puerum reliquisset, satrapae Palaestinenses ad eum ulciscendum bellum contra

1) Gen. 36, 40. s. I. Parall. 1, 51.

2) Gen. 36, 31. ss. I. Parall. 1, 43.

3) In Parall. l. c. Adad nomen verum, in Gen. l. c. Adar corruptum.

4) Cf. Gen. l. c.: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel fuerunt hi etc.*

Israelitas susceperunt. Amalecitis igitur Idumaeis Palaestinensibusque coactis, ad montem Gelboe, ut diximus, feliciter pugnarunt, exercitum Iudaeorum in fugam, regem ad mortem compulerunt. David autem, ubi primum ad regnum pervenit, facile intellexit, pacem sese suis parere numquam posse, nisi aut regnum Amalecitarum penitus delevisset aut gentem potius radicitus excidisset. Itaque bellum, quod iam antea cum quibusdam earum gentium strenue fortiterque gesserat, iterum suscipere atque ad finem perducere constituit. Quum igitur, deo adiuvante, contra eos fortissime pugnasset, superassetque omnes Agagis regis mortui satrapas [1]): per menses sex, quidquid ex Idumaeis ortum masculini sexus inveniri potuisset, necari trucidarique iussit [2]). Neque tamen ita, quod sibi proposuit, assecutus est, ut Amalecitas omnes omnino tolleret. Quibusdam enim eorum contigit, ut una cum Adade puerulo, cui iddem, quod patri, nomen erat, ex excidio illo sese subtraherent defugerentque in Aegyptum. Ibi Adad per multos annos commoratus atque a rege summis honoribus affectus, post vero, cum et Davidem et Ioabem, ducem militum, mortuos esse cognovisset, in patriam reversus, veteres contra Iudaeos inimicitias renovavit [3]). Alii autem, qui, quo tempore reliqui caesi sunt, in latrociniis praedationibusque erant, Davide regnante per diversas Asiae regiones vagabantur. Principem autem et patriam hi quidem hoc modo nacti sunt. Erat Sobaeorum rex Adad-ezar, qui primum quidem, si nominis significationem sequi licet, ab Adad Idumaeorum rege iudex vel satrapa constitutus, post vero, cum ille esset mortuus, nomen regis

1) II. Regg. 8, 2. 12. I. Parall. 14, 9. ss.
2) III. Regg. 11, 15. s. cf. II. Regg. 3, 22.
3) III. Regg. 11, 17. ss.

potestatemque consecutus est. Hic, ut ceteri satrapae omnes, a Davide bello lacessitus victus superatusque est [1]. Erat huic servus quidam Razon, qui, cum calamitatem illam vel futuram vel factam esse videret, ab eo descivit atque ad Amalecitas praedones, qui Davidis caedem devitaverant, aufugit. Is a suis, erat enim ut arbitror Amalecita, primo libenter receptus, post princeps constitutus est [2]. Quamquam autem in continuis fere praedationibus versaretur, tamen ad tempus sese cum suis in Armeniam ad eam Amalecitarum Idumaeorumque coloniam recepit, cui iam antiquitus Balaam regis frater hariolus praefuisse videtur. Ibi cum liberum invictumque in suos principatum obtinuisset, post Davidis mortem Iudaeis Syriam eripuit regnumque Damascum transtulit [3]. Ita quidem factum est, ut Iudaei, cum Davide regnante Amalecitis paulum superiores fuissent, postea pro uno duos hostes acerbissimos nacti ab eis quasi includerentur. Erant enim a duabus partibus perpetuis eorum vexationibus expositi, a meridie quidem Adadis, qui in Idumaea, a septentrionibus vero Razonis, qui in Armenia Syriaque regni sedem collocaverat.

Sed iam, ut solemus, historiae cursum interrumpere, et, quae necessaria videntur, de hoc loco animadvertere et notare placet. Magnum et ad posteriorem Amalecitarum historiam gravissimum factum est, quod in omni Idumaea a Davide concisi sunt mares omnes. Id legerunt quidem multi; sed ad vitae institutionem quantam habuerit vim, nemo dum perpendit. Ex eo enim pro funesta illa quae ex peccato originali genus humanum

1) II. Regg. 8, 3. ss.
2) III. Regg. 11, 23. ss.
3) Loc. cit.

incessit depravatione apud virgines mulieresque mos quidam ortus, postea consuetudine invaluit, qui tam nefarius, tam immanis et ita prorsus ad pecudum modum fuit, ut, quamquam ab omni esset antiquitate traditus, tamen hominibus nostris omnino incredibilis esse videretur. Istum enim morem, istam consuetudinem dico, ut feminae in pugna sanguineque versantes nullis sese umquam maritis addicerent ad familiam constituendam, sed ad libidines potius explendas alias diversasque nationes adirent. Sed haec quidem hoc loco.

Illa porro consideranda sunt verba, quibus auctor de Adade eo, qui transfugit in Aegyptum, loquitur. Dicit enim *Adadem Idumaeum fuisse de semine regio, quod esset in Idumaea.* Ex quo intelligitur, antiquam fuisse nobilem regiamque Gagaeorum gentem, ex qua usque a vetustissimis temporibus reges sumi coepti essent. Comprobatur igitur, quod supra coniecimus, Agagem, qui quidem primus eo nomine appellatus totius gentis auctor esset, Ogem fuisse Moysis aequalem.

Praeterea hoc eodem loco verba quaedam exstant, quibus confirmari videntur ea, quae de latronibus deque Adad nomine diximus. Cum enim Razonem a latronibus principem creatum regnum constituisse Damasci expositum est, adduntur haec: *Eratque Razon adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis, et hoc est malum Adad et odium contra Israel.* Quibus verbis, nisi fallor, significantur vel potius tamquam cognita supponuntur duo; unum, Razonem latronesque fuisse Gagaeos, alterum, eos perstitisse in odiis inveteratis gentilibusque contra Israel inimicitiis.

Denique quod sedem suam Amalecitae Davidis tempore in Armeniam transtulisse traduntur, id aliquantum ad disceptandam eam quaestionem valebit, quae de eorum apud Graecos Latinosque nomine futura est.

Iudaeorum historia omnis, cum eorum civitas a Davidis posteris gubernabatur, quasi continuatio quaedam seriesque est bellorum, quae variis vicissitudinibus gesta sunt cum Amalecitis, cum Idumaeis eorumque sociis.

Apud Palaestinenses, qui Amalecitis quondam paruerant, post reditionem suam, Salomone regnante, plurimum potuit Adad. Is, ut videtur, coniunctus cum illis veteres contra Iudaeos inimicitias renovasse traditur. Quod quomodo fecerit, quae bella et quo eventu gesserit, accurate expositum non est. Sunt tamen quaedam indicia, quibus apparet eum contra Salomonem repugnasse feliciter [1]).

§. 19.

De Amalecitarum rebus
(Taberemone et Benadade regibus).

Post Salomonis mortem, cum respublica in duas partes divisa est, Iudaei et Israelitae suos utrique hostes habebant, alteri Amalecitas, qui in Idumaea, alteri eos, qui in Armenia Syriaque regnum constituerant. Qua quidem in re non possum satis dei admirari voluntatem, quod, cum Iacobi filii inter se dissidebant, eodem tempore totidem in partes Esavi posteri disiuncti sunt. Neque vero non mirum illud est, quod Iudaei, a quibus ad multorum cultum deorum seducebantur, ab eisdem semper castigati ad deum unum verumque redire cogebantur. Sed haec in universum; iam singula persequamur.

Razonem, qui in Damascenis regnum occupaverat, secutus est filius Taberemon [2]). Is totus fuisse in eo videtur, ut imperium a patre acceptum magis confirma-

1) III. Regg. 11, 25. ss. Amos LXX. 1, 6. 9.
2) III. Regg. 15, 18. pro חזיון scribendum videtur רזיון.

ret. Neque tamen, quum Israelitarum regem perpetuis cum Iudaeis dissidiis debilitatum fractumque videret, sese temperare potuit, quin, quod istis non invitis facere licuit, ei quasdam urbes eriperet eumque ad foedus vel ad ditionem potius cogeret [1]).

Hoc mortuo, regnum suscepit Benadad. Qui quum superiores bellandi cupiditate fortitudine audaciaque longe praecederet, finitimis gentibus omnibus subactis, Amalecitarum civitatem ad summam belli potentiaeque gloriam perduxit. Hic, quum a patre Samariae patrocinium accepisset, tamen ab Asa Iudaeorum rege rogatus magnoque auri argentique pondere commotus est, ut clientes suos non modo proderet sed eis etiam ipse bellum inferret. Quum enim illum aegre ferre videret, quod a Baasa Israelitarum rege Rama urbs muniretur, principes cum exercitu misit, qui tribum Nephthalis invaderent, agros depopularentur, vicos oppidaque diriperent. Quo facto, Baasam ab incepto opere desistere coegit. Asa autem ab Israelitis eorumque tutoribus ita quidem liberatus, sed ab Hanane propheta vehementer vituperatus est, *quod auxilium ab antiquissimo hoste potius, quam a deo petivisset. Evasisse enim ex eius manu exercitum regis Benadadis, futurumque esse, ut exin contra eum bella orirentur* [2]).

Benadad, cum a rege Asa, quantum in templo et in domo regia auri argentique erat, accepisset, Damascum urbem firmissimis moenibus cinxit [3]). Illud enim satis perspexit, nullum populum magnam in Asia potentiam nec assecutum nec assecuturum esse, nisi haberet urbem optime munitam. Illo opere perfecto, equos

1) III. Regg. 20, 34.
2) III. Regg. 15, 17. ss. II. Parall. 16, 1. ss.
3) Amos 1, 4. Ierem. 49, 27.

constituit coemere, exercitum cogere, currus omniaque quae ad bellum pertinebant comparare. Quae cum ab eis, quibus imperata erant, optime administrata essent, finitimarum gentium reges triginta duos deinceps adortus sub suam potestatem redegit, ita tamen, ut regalem in suos quisque potestatem retinerent, ipsi vero tamquam satrapae subiecti essent.

Deinde, satrapis convocatis, provinciis omnibus quam maximum potest militum numerum imperat, Israelitis bellum inferre constituit. Illi, ubi ingentem hostium exercitum appropinquare vident, Samariam confugiunt, milites in muris disponunt, urbem defendere conantur. Achab autem, qui tunc regnum in Israelitis obtinebat, quum cum suis resistere se posse desperaret, sese subiicere, mulieres filios aurum argentum omnia denique tradere statuit. Sed indicto senatus populique concilio, ubi omnes alacres ad pugnandum videt, sententiam commutat, atque extrema potius patienda quam uxores liberosque tradendos decernit. Quod, ut hostium regi mane renuntiatum est, suis ut urbem obsiderent imperat, ipse in tabernaculo cum satrapis potandi consuetudini indulgere coepit. Achab interim a propheta quodam divinitus confirmatus, meridie principes provinciarum cum ducentis triginta duobus militibus ex urbe progredi, reliquorum milia septem sequi iubet. Benadad temulentus suorum multitudine fretus, hostium paucitatem spernens, suis praecepit, ut illos, sive pacem petituri sive pugnaturi venirent, vivos comprehenderent. At vero Israelitae, cum fortissime pugnantes erumperent, magnum numerum occidunt, reliquos omnes in fugam dant. Benadad ipse, cum incredibile quiddam suis acridisse audiret, cum equitibus fuga salutem petivit [1]).

---

1) III. Regg. 20, 1. ss.

Proximo anno bellum renovavit, et, quoniam deos montium Israelitarum adiutores iudicaret, exercitum in campum latissimum ad Aphec deduxit. Achab, vaticinio a propheta et mandato accepto, reges, qui ab hostibus defecerant, ab exercitu amovit, ac cum eodem militum numero, quo superiore anno usus erat, ad hostium castra processit. Postquam per dies sex suos uterque in castris continuerunt, septimo die pugnam comittunt. Hoc uno die Israelitae, cum non montium sed coeli deum adiutorem sibi fore confiderent, hostium milia centum interficiunt. Hominum autem milia viginti septem, qui ex fuga sese coniecerant in urbem Aphec, corruentis muri ruina perierunt. Benadad, qui se in interiore domus parte abdiderat, primum quidem desperans, post vero a suis de Israelitarum regum misericordia admonitus, quosdam saccis indutos cinere conspersos sordidatosque multis cum lacrimis vitam salutemque deprecatum mittit. Quos supplices victor intuitus, eorumque precibus; *vivat, oro te, anima mea,* commotus, regem, si adhuc vivat, fratrem suum fore respondet. Quod responsum illi urgentes et tamquam omen accipientes Benadadi renuntiant, ut prodiret persuadent. Achab, ut eum fractum trementemque ad se accedere animadvertit, statim in currum suum suscipit, eumque, cum Israelitis sese et oppida omnia redditurum et summam in urbe Damasco potestatem concessurum diceret dataque fide confirmasset, incolumem ad suos dimittit [1]).

Quo facto, Achab, ut cuipiam videri possit, humana quadam imbecillitate in levem quemdam et ignoscendum errorem incidit. Sed hac re diligentius examinata, profitendum est, eum non imbecillitate, sed impietate nefa-

1) III. Regg. 20, 26. ss.

rium gravissimum et iddem peccatum comisisse, quod Saulus, cuius erga Agagem misericordiae servi recordati Benadadi salutis spem fecerunt. Reges enim Israelitarum, qui non hominis sed dei immortalis partes agebant, neque interficere debebant, quem conservatum ille et salvum, neque conservare, quem interfectum et ultum esse vellet. Achab igitur, quum Benadadem, hominem Amalecitam, a deo ipso capitis damnatum morte liberavit, scelesta animi elatione divinam vitae necisque potestatem sibi ipsi arrogavit. Quare aequum erat, ut, qui Sauli nefarium in se peccatum contraxisset, Sauli persolveret poenas. Condemnatio autem, ut Saulo per Samuelem, sic Achabo quoque per prophetam his verbis declarata est; *quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, et populus tuus pro populo eius* [1]).

Benadad, quod spoponderat, non fecit. Quibusdam oppidis redditis, Ramoth, quae urbs erat in Galaaditarum finibus, retinuit. Itaque tribus post annis Achab una cum Iudaeorum rege illam urbem per vim recuperare constituit. Michaeas autem tristissimum fore huius belli exitum praenuntiavit. Quare a falso propheta inhumane tractatur, a rege Amoni urbis praefecto et Ioae Amalecitae, quem ille ex Benadadis servis videtur retinuisse, custodiendus traditur. Quo facto, duo illi reges, neglecta divina voce, contra Ramoth exercitum duxerunt. Benadad, ut eos ab urbe prohiberet, aciem instruit principibusque praeceptum dat, ut omnibus viribus Israelitarum regem vel capere vel interficere contenderent. Qua re observata, illi primum Iosaphatem, quem Achabum esse putarunt, vehementer urgere coeperunt, postea vero, errore cognito, ab eo destiterunt.

---

1) III. Regg. 20, 35. ss.

Factum est autem non casu, sed consilio dei immortalis, ut hostium quidam sagittarius arcum in incertum dirigens Achabum regem gravi vulnere afficeret. Is e pugna statim, vespere e vita excessit. Iudaeorum rex felici fuga e manibus hostium evasit; milites ducibus orbati, ut a Michaea vate praenuntiatum erat, in omnes partes diffugerunt [1]).

Vix puto annotanda esse ea, quae ex superioribus locis perspicua sunt, morte dignum Benadadem a propheta declaratum esse propterea, quod genere natura moribus Amalecita esset; Achabum autem, ut Saulum, poenas dedisse per sagittarium h. e. per Amalecitam.

Interim Armenii, quum ex hoc proelio victores decessissent, continuas in Samariam incursiones fecerunt, quarum de una, data occasione, mentio est IV. Regg. 5, 2. A bello tamen publice inferendo per quoddam temporis spatium abstinuerunt, propterea quod et eorum potentia bello cum Iosaphate infeliciter gesto diminuta erat, et Naamanis apud regem plurimum valebat auctoritas. Is natione, non vita institutisque Amalecita suis salutem peperisse perhibetur. Quibus verbis designari puto, eum Armenios a Iudaeorum Israelitarumque vexationibus continuisse. Quo factum est, ut iram poenamque dei ab eis prohiberet. Itaque hic leprosus, quum homo bonus piusque esset, dignus erat, qui ab Elisaeo curaretur [2]).

Sed paucis post annis, cum ille aut mortuus esset aut suam apud regem auctoritatem amisisset, bellum ab Armeniis iterum suscipitur. Benadad igitur, magis dolo quam virtute contendere insidiisque niti coepit. At vero quoties Israelitis insidias disponere constituit, quoties

1) III. Regg. 22, 1. ss. II. Parall. 18, 1. ss.
2) IV. Regg. 5, 1. ss.

ad definitum locum pervenit, eum semper ab illis invenit occupatum. Eius rei quae causa esset miratus, primum quidem quemdam de suis consiliorum proditorem esse suspicatur. Postea sciscitandi causa servis convocatis, quidquid secreto in cubiculo intimo diceretur, cognitum habere Elisaeum regique enuntiare reperit. Itaque in oppidum Dothaim, ubi illum commorari cognoscit, quosdam de suis mittit, qui eum comprehenderent atque in castra ad se ducerent. At vero ei, quibus haec res mandata est, ubi Dothaim perveniunt, a propheta caecitate affecti in mediam urbem Samariam introducuntur. Ibi pristinam oculorum facultatem adepti, miraculo perterriti, tristissima morte periissent, nisi Elisaeo deprecatore ab hostium armis liberati essent. Licitum enim ille esse negavit, qui nec arcu nec gladio capti essent interficere. Itaque honorifice pastu potuque refecti ad regem dimittuntur ac quae sibi evenissent renuntiant [1]).

Benadad, aut Elisaei benignitate victus aut de eventu desperans, ab impugnandis Israelitis aliquantum destitit. Postea vero gloriae cupiditate adductus, redintegratis viribus, bellum eis denuo intulit. Quos cum praelio superatos Samariam compulisset, urbem obsidere nec prius decedere constituit, quam inopia rerum aut omnes confecisset aut ad ditionem coegisset. Quum in hoc consilio diutius persisteret, tanta in urbe orta est omnium rerum caritas, ut pauperum mulieres ad desperationem adductae, quod dirum est dicere, ne liberis quidem parcerent. Quod cum casu quodam Israelitarum rex comperisset, ira et indignatione incensus, Elisaeum, quem totius rei quasi auctorem habuit, eo consilio adivit, ut

1) IV. Regg. 6, 8. ss.

nisi a deo hanc calamitatem deprecaturus esset, illico eum interficeret. Ille regi ad se accedenti tantam crastino die rei frumentariae fore dixit abundantiam, ut similae singuli modii singulis stateribus, hordei vero bini eodem pretio venderentur. Acciderat autem ea quae proxima antecesserat nocte, ut Armenii, quasi multorum exercituum strepitu audito e somno excitati, et quum Hethaeos Aegyptiosque mercede conductos advenisse crederent, magnopere attoniti, omnibus rebus relictis, per crassas tenebras domum refugerent. Quae quidem res a quatuor hominibus leprosis, qui de vita desperantes relicta Samariae porta castra ingredi conati sunt, primum animadversa, post regi renuntiata est. Tanta autem in castris vini frumenti omnium denique rerum copia reperta est, ut iustus exitus vaticinio illi non deesset [1]).

Benadad, postquam multos annos regnavit, multa bella variis fortunae vicissitudinibus gessit, aegrotare coepit. Vbi autem Elisaeum Damascum venire cognoscit, cum maximis praemiis Hazaelem mittit, qui eum de salute sua consuleret. Iste quod mandatum erat faciens, a propheta responsum accipit: *Vade, dic regi: Sanaberis. Attamen ostendit mihi dominus, eum morte moriturum.* Quibus verbis quum quid animo moliretur, perspicere prophetam intelligeret, pudore perfunditur ac perturbatur. Sed quum ita alter cum altero starent, Elisaeus flere coepit. Id cur pateretur, interrogatus, *Scio,* inquit, *quae facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, iuvenes eorum interficies gladio, parvulos elides, praegnantes divides.* Iste ab eo discedens regi nuntiavit, dixisse prophetam sanitatem eum recepturum. Sed, qui vitae salutisque

1) IV. Regg. 6, 24. ss. 7, 1. ss.

nuntius ad regem intraverat, postridie auctor mortis evasit [1]).

Quoniam Amalecitarum Armeniorum historiam usque ad Benadadis finem perduximus; redeundum est ad alteros Idumaeos, qui in monte Seir habitabant. Quum mares ibi omnes a Davide interfecti essent, verisimile est, mulieres partim ad suos in Armeniam migrasse partim coepisse per Asiam vagari. Adad ex Aegypto reversus certe non magnas Idumaeorum Horraeorumque reliquias invenit. Quas etsi colligere et augere studuit, tamen ad pristinam potentiam regnum adducere non potuit. Quoniam autem ad magna ac diutina bella gerenda copias ac facultates proprias deesse vidit: alios sibi socios adsciscere conatus est. Erant autem populi duo, a quibus recte auxilium rogare potuit, Palaestinenses atque Aegyptii. Alteri vetere amicitia ac necessitudine erant coniuncti, alteris ipse maximis beneficiis obstrictus. Itaque primum quidem, ut videtur, priorum subsidio nisus, Salomoni, quantum potuit, officere perseverat. Postea autem, Salomone mortuo, ab alteris videtur auxilium petivisse. Etenim illos, Roboame regnante, Hierosolyma expugnasse ac diripuisse, memoriae traditum est; quae autem causa belli, qui auctor fuerit, non item. Mihi quidem Aegyptiorum stimulator semper visus est Adad, qui cum illorum rege et educationis societate et matrimonii vinculo erat coniunctus. Quum autem libros sacros diligentius pervolverem, ad has suspiciones certissimae res accesserunt. Vbi enim de illa expeditione sermo est, haec video scripta: *Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesach rex Aegypti in Ierusalem cum mille ducentis curribus et se-*

1) IV. Regg. 8, 7. ss.

xaginta millibus equitum; nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Aegypto, Libyes scilicet et Troglodytae et Aethiopes [1]). Quodsi Aegyptii magna ex parte Idumaeorum precibus adducti bellum susceperunt, dubium non est, quin illorum sibi copiae adiunxerint. Libyes autem et Aethiopes, qui cum his fuisse dicuntur, ab illis maxime differunt. At vero sub Troglodytarum nomine Idumaeos vel Amalecitas subesse credo. Eius sententiae, quae sint rationes, exponam.

§. 20.

Qui ab Hebraeis Sacim, ab interpretibus Graecis Troglodytae vocantur, eos fuisse Amalecitas vel Idumaeos.

Arabiam Petraeam incolebat gens, quae pro domibus cavernis in terram defossis vel speluncis a natura fabricatis uti solebat [2]). Eius gentis mulieres vitam degebant pastoralem [3]) viri venatoriam vel praedatoriam. A domiciliis autem apud Graecos nomen ceperunt Τρωγλοδύται, apud Hebraeos סכיים vel סכים, *Saccaim* vel *Sacim* [4]). Ductum est enim nomen Hebraicum a סָכַךְ *tegendi obumbrandi* verbo eosque significat, qui in cavernas sese abdentes solis calorem defugiunt. Est autem eadem prorsus verbi Graeci significatio.

Sed Sacim in sacris libris rarius commemorati sunt, propterea quod sub Horraeorum nomine latent. Nomen enim חרי ductum a חור *caverna* prorsus iddem valet, quod apud Graecos Τρωγλοδύται. Eosdem autem Sacim esse ac Horraeos, ex Moysis verbis clare elucet. Nam

---

1) II. Parall. 12, 2.
2) Cf. Flav. Ios. Antt. 1, 15.
3) Idem. Antt. 2, 11, 2.
4) Ita enim interpungendum et pronuntiandum est.

Salem urbem appellat Sacim vel Sacarum: *καὶ ἦλθεν Ἰακὼβ εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων* (שכם) [1]: et paullo post huius urbis regem dicit Horraeum: *καὶ ἴδεν αὐτὴν Συχὴμ ὁ υἱὸς Ἐμμὼρ ὁ Χορραῖος* [2]. Quoniam autem Idumaei cum Horraeis in monte Seir quasi coaluerunt, etiam ad eos Sacim nomen translatum est; idque eo magis, quod et illorum regionem incolebant, et in cavernis habitabant. Sed quod iam ad probabilitatem propensum est, perduci ad veritatis perspicuitatem locupletissimorum fide testium posse spero. Est enim a prophetis traditum, Idumaeos utrosque, et qui in patria remanserant, et qui transierant in Armeniam, e subterraneis cavernis, e specubus in montium rupibus natura incisis ad summum imperii fastigium ascendisse. Sed audiamus, qui huius rei sunt testes.

Amos igitur ita: *Numquid non ut filii Aethiopum vos estis mihi filii Israel, ait dominus? Numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, et Palaestinos de Cappadocia, et Armenios de fovea* [3]? Apud Hebraeos haec scripta sunt verba וארם מקיר, quae s. Hieronymus quidem interpretatus est: *et Syros de Cyrene*, Graecus autem, ut arbitror, verius: Καὶ τοὺς Σύρους ἐκ βόθρου. Neque enim Idumaei, priusquam in Armeniam migrarent, aut eam regionem umquam incolebant, quae in Africa, aut eam, quae in Asia superiore Cyrene appellatur. Illud enim קיר, ductum a verbo נקר ὀρύσσω *fodio*, a Graecis recte vel ὀρόφωμα traditur,

1) Gen. 33, 18.

2) Ibid. 34, 2. Graecorum scripturam hoc loco veram, Hebraeorum corruptam esse, vix est, cur rationibus demonstrem. Amorraei enim, qui sunt Horraei, etiam postea Sichem urbem incoluerunt. Gen. 48, 22. Iudicc. 1, 35.

3) Amos 9, 7.

ut II. Parall. 3, 7, vel βόϑρος *fovea, scrobs, caverna*, ut hoc loco. Amalecitae igitur, si hunc locum probe intelleximus, ex foveis, quas vel in terra vel in saxis habebant, in Armeniam a deo sunt educti. Sed erat in Arabia haud procul a mari urbs quaedam Gerra (קיר), quam hoc loco posse intelligi non negaverim. Hanc quidem urbem a subterraneis habitationibus nomen habere, certum est. Nam domus ibi fuisse ex sale factae a veteribus perhibentur. Qui autem primi hanc urbem incolebant Γέῤῥ-οι vel Γεῤῥ-αῖοι [1]) ab Assyriorum rege in Scythiam ad mare Caspium translati sunt. Ibique et duobus fluminibus Cyro Gerroque et regioni ipsi קיר, Cur, Cyrene nomina dederunt. Ea autem urbs, quam in Arabia incoluerant, tradita est Chaldaeis, quos Strabo ex Babylonia fugisse putavit.

Abdias autem de eisdem Idumaeis hoc modo loquitur: *Haec dicit dominus deus ad Edom: Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem (qui habitasti) in scissuris* [2]) *petrarum exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit dominus* [3]). Praeclare. Est enim mira quaedam discrepantia inter priores Idumaeorum sedes, quum sub terra habitabant, et alteras, quas in turribus Damasci collocabant atque in Armeniorum montium cacuminibus. Quae a propheta animadversa ac cum sancta quadam εἰρωνείᾳ expressa

1) De Gerris Herodt. 4, 53. 71. De Gerro fl. 4, 19. 47. 56. De Gerraeis et Gerra urbe Strabo Geogr. 16, 3, 3. et Ies. 22, 6.

2) Hebr.: חגוים, Graec.: ἐν ταῖς ὀπαῖς.

3) Abd. 2.

elationem animi superbiamque illorum quasi ad ridiculum detrahit.

Eodem modo atque eisdem fere verbis Ieremias: *Ad Idumaeam: Arrogantia tua decipit te et superbia cordis tui, qui habitas (habitasti) in cavernis* [1]) *petrae et apprehendere niteris altitudinem collis; cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit dominus* [2]).

Sed adscribamus duorum integerrimorum testium verba s. Hieronymi et Flavii Iosephi. Alter quidem de valle Pharan, quae in Arabia deserta sita quasi pars quaedam Idumaeae haberi solet, ita: *In valle autem Pharan cum (Simon) multas quidem laxiores fecisset speluncas, multas vero paratas invenisset, in illis thesauros suos recondebat praedasque recipiebat, quin et direptos illic fructus reponebat, multique e cohortibus suis vitam in illis agebant* [3]). Alter autem de omni Idumaea hoc modo: *Omnis australis regio Idumaeorum de Eleutheropoli usque ad Petram et Ailam, haec est enim possessio Esau, in specubus habitatiunculas habet* [4]).

His testimoniis, mea quidem sententia, efficitur, ut quod de Troglodytis statuimus ad veritatem quam proxime accedere videatur. Verum postea argumenta alia accedent. Omnis enim haec nostra de Gagaeis disputatio quasi continua quaedam conclusio est, ita comparata, ut, si loci singuli per se infirmiores sint, tamen ab universis sustineri videantur. Si igitur quis, quod de

---

1) Hebr.: ·הגוים, Graec.: τρυμαλιά.
2) Ierem. 49, 16.
3) Fl. Ios. de bell. Iud. 4, 9, 4.
4) Cf. Theodoret. comm. Ierem. 49, 8. Μέγιστα ὄρη καὶ ὑψηλὰ τῇ Ἰδουμαίᾳ παράκειται· σπήλαια τοίνυν ἐν τούτοις ὀρύττοντες εἰς ἐκεῖνα κατέφυγον, δυσμενῶν ἐπιόντων.

Troglodytis diximus, non demonstratum sed propositum quiddam et postulatum esse dicat, non impediam; modo idem, si quae ex illo necessario nascantur, vera esse cognoverit, illud quidem falsum esse non posse concedat.

Iam ad historiam ipsam accedere possemus. Ne tamen saepius orationem interrumpere cogamur, prius corrupti cuiusdam loci emendationem proferamus, qui ad alterum bellum Idumaicum pertinet.

Iosaphat una cum Achabo, ut ante dictum est, infelicem contra Armenios pugnam pugnaverat, in qua ille vulneratus, hic in summum capitis discrimen adductus est. Quoniam hostes victores exstiterunt, probabile est, eos, devictis Israelitis, etiam Iudaeis qui subsidio illis fuissent bellum intulisse. Et profecto in altero Paralipomenon libro, postquam enarratum est, quemadmodum Iudaeorum rex Achabo impio auxilium praestiterit ac, castigatione a propheta accepta, poenitens se suumque populum ad deum converterit, bellum exponitur a tribus populis contra eum susceptum. Quorum primi fuerunt Moabitae, alteri Ammonitae, tertii qui fuerint, non statim ab initio liquet. Est enim eorum nomen omnibus in libris nostris depravatum. Ita enim scriptum videmus: *Post haec congregati sunt filii Moab et filii Ammon et cum eis de Ammonitis ad Iosaphat, ut pugnarent contra eum* [1]. Quod a s. Hieronymo translatum est, מהעמונים, iddem etiam in nostris libris exstat. Quod quin corruptum sit, dubium non est [2]; quomodo ad integrum restituatur, iuste dubitari deliberarique potest. Quare primum quidem videamus, gens tertia quaenam fuerit; deinde, quo nomine appellanda.

---

1) II. Parall. 20, 1.

2) Vide de h. l. Houbigant. et De-Rossi Varr. Lectt.

Primum igitur, ut de priore loco dicamus, ad Iosaphatem nuntii ita referunt: *Venit contra te multitudo magna de his locis, quae trans mare sunt et de Armenia.* Quibus verbis quum socios belli Moabitas et Ammonitas, qui trans mare habitabant, designant, tum vero auctores Idumaeos Amalecitasque Armenios nominatim declarant. Erant igitur, qui tertii bellum intulerunt, illi quidem Amalecitae vel Idumaei. Iddem et ex regis verbis et ex hostium factis apparet. Hic enim deum precaturus, *Nunc igitur*, inquit, *ecce filii Ammon et Moab et mons Seir, per quos non concessisti Israel, ut transirent, quando egrediebantur de Aegypto, sed declinarunt ab eis et non interfecerunt illos, econtrario agunt et nituntur eiicere nos de possessione* etc. Illi autem, hostes dico, priusquam ad pugnam ventum est, ita inter se dissident, ut Amonitae et Moabitae inter se coniuncti eos interficerent, a quibus ipsi socii huius belli erant arcessiti. Qui autem interficiuntur, ei item appellantur *habitatores montis Seir.* Quibus ex rebus perspicuum est, tertios, qui belli non adiutores erant sed auctores, eos fuisse Idumaeos Amalecitasque, qui partim Armeniam partim montem Seir incolebant.

Iam, ut propositum est, quaeramus. quomodo locus ille recte emendari possit. Quodsi מהאדומים restituerimus, sententiae quidem omni ex parte satisfecisse videbimur, sed criticorum arti non item. Etenim hoc verbum tam vulgare et notum tamque et ad sententiarum coniunctionem aptum et discrepans a scriptura corrupta, si umquam hoc loco scriptum fuit, prorsus non intelligitur, quomodo ita immutari ac depravari potuerit. Quibus de causis hac coniectura reiecta, adeamus interpretem Graecum. Is, si non statim ad veritatem, tamen ad vestigium quoddam nos adducet, quod secuti ad illam perveniemus. Reddidit enim ἐκ τῶν Μι-

ναίων. Ex quo perspicuum est, eum legisse מֵהמניים, quod, mutatis litteris duabus simillimis, ortum est ex מהסכיים h. e. *de Sacim*. Quod quidem verbum, quo minus usitatum est in libris sacris, eo plures dedit tamquam ansas ad immutandum. Quomodo autem ex eo utraque scriptura, et quam in suis exemplaribus Graecus interpres habuit, et quam in nostris nos habemus, nasći potuerint, per se quidem patet. Bellum igitur intulerunt Moabitae Ammonitae et Idumaei, qui appellantur Sacim. His interpositis, historiae enarrationem quo reliquimus suscipiamus.

§. 21.

De Idumaeorum Amalecitarumque rebus gestis (Hazaele Benadade altero et Rasine regibus).

Roboame quintum annum regnante, Adad Idumaeorum rex vel eius filius Genubath Aegyptiorum regem Sesach amicum et necessarium contra Iudaeos socium et adiutorem sibi adscivit. Ille cum magno curruum numero ingentique equitatu in Iudaeam profectus, Hierosolyma expugnavit, publicum sacrumque aerarium spoliavit, clypeos aureos a Salomone confectos abstulit, regem satrapam constituit. Quo facto, in Aegyptum recessit [1]).

Hac parta victoria, Idumaei, qui in finibus suis remanserunt, per longum temporis spatium bello abstinuerunt. Postea autem non sua sponte, sed ab aliis incitati inimicitias renovarunt. Armenii enim, cum Iosaphatem Achabi socium ulcisci vellent, his persuaserunt, ut sibi auxilium praestarent. Quod quum ab eis impetrassent, ac Moabitas Ammonitasque sibi arcessivissent, in Iudaeo-

1) II. Parall. 12, 2. ss.

rum fines exercitum duxerunt. Qua re cognita, Iosaphat ad deum suum confugere, multis precibus auxilium rogare, omnem spem in eo collocare coepit. Suos, ut iddem facerent, adhortatur; ieiunium omni populo supplicationesque publicas imperat. Quae quum religiosissime peracta essent, Iahaziel divino spiritu afflatus omnium animos mirifice confirmat. *Ne hostium vel fortitudinem vel multitudinem pertimescerent*, admonet. *Quae de eisdem Amalecitis, iubente deo, Moyses dixerit, non esse Iudaeorum contra eos pugnam, sed dei*, in memoriam revocat. *Crastino die contra eos cum exercitu proficisci, a proelio tamen omnino abstinere* iubet. *Deum enim fore et propugnatorem et victorem.* Iosaphat, ut erat ei imperatum a propheta, cum exercitu per desertum Tecuam profectus, ubi hostes haud procul abesse sentit, in primis ordinibus cantores collocat, eosque consona voce carmen illud: *Confitemini* dicere iubet. Dum ita canentes deumque suum laudantes Iudaei accedunt, in hostium exercitu rebellione orta, Moabitae et Ammonitae primum quidem inter se coniuncti Amalecitas atque Idumaeos, postea vero inter se dissidentes alteri alteros interficiunt. Iudaei propius adgressi, terram omnem sanguine ac hostilibus cadaveribus opertam, dispersam omnium rerum copiam, hostium superstitem nullum repperiunt. Ita laetam atque incruentam victoriam adepti, deo adiutori ac victori gratias agentes, locum illum vel Benedictionis vel Iosaphatis vallem appellarunt [1].

Hanc gloriosam victoriam Iosaphat sine sudore et sanguine nactus, Idumaeam in provinciae formam redegit, neque novum regem pro eo, qui videtur esse in rebellione occisus, constitui concessit [2].

---

1) II. Parall. 20, 1. ss.
2) III. Regg. 22, 48. II. Parall. 21, 8.

Paucis tamen post annis, Iosaphate mortuo, ab eius filio Iorame deficientes regem sibi creant. Ab illo autem primo quidem ad montem Seir devicti, postea vero, ut videtur, ab Arabibus Palaestinensibusque adiuti non solum pares Iudaeis sed superiores esse coeperunt. Vna cum sociis istis fortissimis illorum fines populantur, urbem expugnant ac diripiunt, regis filios praeter unum omnes occidunt [1]). Regum igitur in Idumaea series quum paucis annis interrupta esset, tunc denuo continuari coepta est.

Benadadem, ut supra dictum, in Armenia secutus est Hazael. Is, homo fortis et crudelis, ut per homicidium sibi viam ad regnum patefecit, sic cruentis victoriis sanguine et maleficiis ad summam militarem gloriam tetendit.

Primum quidem ei bellum item coortum est de Galaaditarum urbe Ramoth. Eam eo minus tradere voluit, quod Idumaei et antiquissimis ante Moysem temporibus eam incoluerant, et tum a regibus suis recuperatam tenebant. Galaaditae autem eam cum per longum temporis spatium possedissent, suam esse dicentes per vim ab Armeniis repetendam statuerunt. Ea quidem urbs, quamquam in Israelitarum finibus esset, tamen propter loci vicinitatem firmitatemque etiam Iudaeorum multum interfuit, utrum in hostium, an in consanguineorum potestate esset. Itaque Ochozias Iudaeorum et Ioram Israelitarum rex, unitis viribus Hazaelem adgredi conantur. Sed, proelio facto, alter vulneratus, utrique victi recedere coguntur [2]). Armenii, ut ex hac victoria quam plurimum utilitatis caperent, primum in Israelitarum

---

1) IV. Regg. 8, 20. II. Parall. 21, 8. ss. 16. ss. 22, 1.
2) IV. Regg. 8, 28. II. Parall. 22, 5.

fines incursionem faciunt, agros vastant, urbes oppida aedificia diripiunt [1]). Deinde Geth, oppidum in Iudaeorum finibus copiosissimum, adorti expugnant ac cum victore exercitu Hierosolyma ire contendunt. Sed quantum in regis templique aerario pecuniae fuit, quum a Ioa rege accepissent, interfectis principibus omnibus, ab urbis obsidione desistunt [2]). Ex Iudaici belli manubiis, ut Benadad urbis moenia, sic Hazael domum potentissimo rege dignam exstruxit [3]).

Armenii eis rebus allecti, quarum maximam copiam in prima illa incursione ceperant, per annos sedecim, quos regnavit Ioachaz, continuas praedationes rapinasque fecerunt. Ex his perpetuis bellis Israelitarum potentia ita diminuta est, ut praeter quinquaginta equites, decem currus et milia peditum decem regi omnino nihil superesset. Quare quum verendum esset, ne, exercitu deleto, etiam regnum omnino interiret; Ioas qui Ioachazem in imperio secutus est Elisaeum prophetam adivit suppliciterque locutus flens divinum ab eo auxilium petiit. Ab illo autem per fenestram orientalem sagittas iacere iussus, ex arcu emissis tribus, iaciendi finem fecit. Quo facto a propheta vaticinium ei editum est: *Si Ioas percussisset terram quinquies vel sexies vel septies, fuisse eum Armeniam percussurum usque ad consummationem; nunc autem futurum esse, ut percuteret eam tribus vicibus* [4]).

Interim, Hazaele mortuo, ad regni gubernationem accessit eius filius Benadad. Tribus hic proeliis a Ioa

1) IV. Regg. 10, 32. ss.
2) IV. Regg. 12, 17. ss. II. Parall. 24, 23.
3) Amos 1, 4.
4) IV. Regg. 13, 3. 7. 14. ss. 22.

rege superatus, urbes quas pater eripuerat Israelitis restituere cogitur [1]).

Quum Israelitae vincunt Armenios, eodem tempore Iudaei gloriosam victoriam de Idumaeis reportant. Amasias enim, qui tunc regnum obtinebat, ex Iudaea conscripsit milia hominum triginta, ex Samaria autem exercitum mercede conduxit ad numerum centum milium. Rebus omnibus quae ad bellum usui erant comparatis, cum iam in eo esset, ut contra hostes proficisceretur, a propheta quodam admonitus, ut victoriae spem in deo solo collocaret, mercenarios milites omnes dimittit. Cum reliquo exercitu contra Idumaeos egressus, pugna in valle Salinarum [2]) commissa, decem milia hostium occidit, parem numerum in proelio captum de saxo praecipitari iubet. Sed hac victoria elatus divinique auxilii immemor, adeo in impietatem delapsus est, ut non solum Idumaeorum deos Hierosolyma transferret Pythonique [3]) delubrum dedicaret, sed etiam ad ipsum impuritatis fontem profectus in urbe Bethsamys sacrificia offerret [4]).

Interim Benadad a Ioa rege primum victus post vero victor Israelitarum regnum in extremum periculum adduxit. Sed quum iam haud procul ab eo abesset, quin illud penitus tolleret, e vita excessit [5]). Huius mors Israelitis salutem, Armeniis perniciem attulisse videtur. Mira enim eam omnium rerum consecuta commutatio est.

Rasin, qui post eum regnum suscepit, aut non nimis fortis aut admodum adolescens fuit. Accessit eo,

---

1) IV. Regg. 13, 24. s.

2) IV. Regg. 14, 7. LXX: Γεμελά.

3) Pro *Obed-Edom*, II. Parall. 25, 24. videtur esse scribendum *Oboth-Edom* (אובות).

4) IV. Regg. 14, 7. 13. II. Parall. 25, 5. ss. 23.

5) IV. Regg. 14, 26.

quod aetate sua hic in illud ipsum tempus incidit, quo Iudaei religiosum regem ac pium, Israelitae magnanimum fortemque nacti sunt. Azarias, qui tunc in Iudaea regnabat, Armeniis statim post regis mortem Aelam, Idumaeis ac Palaestinensibus Geth Iamniam Azotumque eripuit [1]). Ieroboam vero, qui regnum in Israelitis obtinebat, Armeniis devictis, Emath sibi ac Damascum ipsam ad tempus subegit. Quo factum est, ut Amalecitas Idumaeosque in Armeniam repelleret imperiumque, restitutis pristinis finibus, ab Emath ad mare deserti proferret [2]). Sed Ieroboame rege interfecto, Israelitarum respublica civilibus bellis iactata, summum in periculum delata est. Itaque Rasin, ut ab illis poenam repeteret, non modo Damascum recuperavit, sed etiam Samariam sub potestatem suam redegit [3]). Interim quum etiam Azarias mortuus, eumque Ioatham secutus esset, simul cum Phacee Israelitarum rege quotidianas fere in Iudaeam incursiones facere coepit [4]).

Haec quum Ioathame regnante impune facere potuisset, maiora conari se posse putat, quum ad Iudaicum regnum Achaz homo incredibili et impietate et ignavia accessisset. Tum primum Aelam adgreditur, recipit suisque tradit. Deinde quam maximam potest ex omni Iudaea praedam capit Damascumque deportat. Quibus rebus non contentus, arcessito Phacee Israelitarum rege, Hierosolyma accedit atque obsidione cingit. Sed urbem optime munitam brevi tempore capere difficile factu erat. Itaque Achaz temporis quoddam spatium nactus, quum se regi Assyriorum quam deo confidere

1) IV. Regg. 14, 22. II. Parall. 26, 2. 6.
2) IV. Regg. 14, 25. ss.
3) Ies. 7, 2.
4) IV. Regg. 15, 37.

mallet, ad eum cum magno auri argentique pondere legatos mittit rogatum auxilium. Theglathphalassar, qui imperium tum in Assyriis consecutus erat, hanc occasionem arripuit, ut et Iudaeos sibi beneficio obstringeret, et Armeniis, quorum vicinitas potentiaque sibi periculosa esse coepit, iusta de causa bellum indicere posset. Itaque cum magno exercitu in Syriam profectus, obsidentes ab Hierosolymis desistere se suaque defendere cogit. Sed proelio victi quum in urbem refugerent, eos obsideri iubet. Damasco urbe expugnata, Rasin regem quem vivum comprehenderat, interficit; populum omnem in Cyrenam transtulit, quae extrema erat imperii pars ultra Cyrum flumen Ponto Euxino et mari Caspio interposita [1]). Quo facto, Idumaeorum regnum firmum quidem et opulentum repentino casu corruit, postquam in Damascenorum urbe a quinque regibus administratum circiter ducentos triginta annos stetit.

Quum supra spoliatores, qui in illa urbe domicilium imperiumque constituerunt, Amalecitas fuisse diceremus, hanc sententiam argumentis muniendam putavimus. Iam vero in ipsa historiae enarratione tam multa alia argumenta accesserunt, ut adiungere nova supervacaneum videatur. Vnum tamen hoc loco addere licebit, praesertim quum eodem tempore locum quemdam a criticorum vexationibus liberare possimus.

In Regum libro quarto, ubi Rasin regem Aelam recuperasse expositum est, haec videmus addita: *et eiecit Iudaeos de Aelam, et Idumaei venerunt in Aelam et habitaverunt ibi usque in diem hanc* [2]). Ita prorsus haec verba exstant in s. Hieronymi codicibus optimis [3]).

---

1) IV. Regg. 16, 5. ss. Ies. 7, 1. ss.
2) IV. Regg. 16, 6.
3) Cf. s. Hieron. opp. edt. D. Vallarsius. Veron. 1738. tom. 9. p. 662.

Cum interprete Latino omnino consentit Graecus. Verbum autem *Idumaei* אדומים, quod in suis exemplaribus horum uterque habuit, etiam nos scriptum videmus in melioribus libris Hebraicis. Haec igitur scriptura confirmata est mira quadam omnium testium consensione. Quod quamquam ita esset, tamen quidam sese temperare non potuerunt, quin scribendum esse coniicerent ארומים, quod quidem verbum pro ארמים omnino nusquam scriptum invenitur. Mirum quidem illis visum est, quod Rasin rex urbem expugnatam Idumaeis incolendam concessit. Sed si tenebimus illud, quod saepius dictum est, Rasin regem Amalecitam, Armenios Idumaeos fuisse, quid mirum, si hic quam urbem recepit illis h. e. suis tradidit?

Alterum Idumaeorum regnum, omni fere exercitu ad viginti milium numerum ab Amasia occiso, maxime debilitatum erat. Accedebat eo, quod multa, ut videtur, cum Moabitis bella gesserunt. Quorum unum tam infelix tamque acerbum fuit, ut Moabitae victores hostium regis ossa concremarent [1]). Azaria regnante, quid Idumaeis ipsis acciderit, nobis non est traditum; Palaestinensibus autem, eorum sociis, tria potentissima oppida erepta sunt. Sed postea, cum regnabat Achaz, horum vires Iudaeorum infirmitate ita sunt auctae, ut, quemadmodum consueverant, in illorum fines novas incursiones facere ex eisque praedas agere inciperent [2]). Eodem tempore civium numero accessio quaedam videtur esse facta ex Amalecitis eis, qui, Damasco urbe capta, ex Armenia transfugerunt. Ei a suis in civitatem recepti in Seir monte domicilium sedemque posuerunt.

---

1) Amos 2, 1.
2) II. Parall. 28, 17.

Sed paullo post, Ezecia regnante, a quingentis viris de tribu Symeon fortissimis victi occisique sunt [1]). Idumaei tamen rempublicam regnumque retinuerunt, donec a Nabuchodonosore Chaldaeorum rege superati sunt atque in exsilium deducti [2]).

§. 22.

Amalecitas Idumaeosque Assyriorum in Iudaicis bellis fuisse socios.

Postquam Armenii Idumaei sub Assyriorum potestatem redacti sunt, eis, ut ceteris nationibus victis, sine dubio imperatum est, ut victoribus certum militum numerum subsidio mitterent communesque cum eis expeditiones facerent. Et in hac quidem re ei certe illis non inviti obsecuti sunt. Erant enim ita et natura facti et consuetudine affecti, ut, nisi in praedationibus proeliisque versarentur, beate feliciterque vivere non posse viderentur. Eo autem libentius Assyriorum regibus paruerunt, quod, quum in eorum exercitu disciplina militaris remissa ac soluta esset, et praedandi semper licentiam copiamque haberent, et proeliis feliciter factis gloriae manubiarumque essent participes. Assyrii contra in exercitum eos receperunt; et necessitate coacti, quod sese eos nisi belli socios facerent, in sua potestate retinere non posse intelligebant; et utilitate adducti, quod eorum arcessitis equitibus sagittariis, plurimum sese ex omnibus Asiae populis valere videbant. Ita quidem haec res et voluntati utrorumque et utilitati aeque satisfacere videbatur. Sed haec quidem ex rerum natura collegimus; videamus, quid nobis sit traditum.

---

1) I. Parall. 4, 42. s.
2) Ierem. 27, 3.

Vtrum Salmanassar Amalecitas Idumaeosque ad expeditiones adhibuerit, an non, diiudicare difficile factu est. Si sequi veritatem volumus, in libris sacris huius rei nullum est indicium; sin probabilitatem, coniecturis aliquid effici cogique potest. Nam Salmanassar quod Israelitis bellum intulit in eosque acerbissime animadvertit, Idumaeos contra in ipsorum patria regnoque reliquit; horum alterum magna ex parte Armeniorum consilio, alterum adductus eorum precibus fecisse videtur.

Iam vero in eo exercitu, cui Sannacheribus Assyriorum rex praefuit, Idumaeos haud mediocrem locum obtinuisse, id quidem in libris sacris indicatum esse video. Nam Rabsacen, quem rex ad Iudaeos legatum misit, fuisse Amalecitam, hoc, non dicam, pro certo cognosci, tamen magna cum probabilitate coniici potest. Huius rei tria videntur esse indicia, quorum primum positum est in nomine, quo ille appellatur; alterum in lingua, in qua natus educatusque est; tertium in oratione, quam ad Iudaeos habuisse traditur.

Iam igitur, ut de primo indicio dicamus, a Sannacheribo, quum Lachis urbem obsidebat, ad Iudaeorum regem missi sunt legati tres: Tharthan, Rabsarim, Rabsace. Primus quidem erat princeps Hevaeorum, qui a Salmanassare aut a superioribus regibus sub Assyriorum potestatem redacti sunt [1]. Nam quum Hevaeorum deus appelletur Tharth-ac [2], qui vocatur Tharth-dan h. e. Tharthis iudex, is illorum fuerit princeps necesse est. Alter erat Rab-sarim h. e. princeps eunuchus, qui in Asia secundum a rege locum tenere solebat. Tertius denique nominabatur Rab-Sace h. e. princeps Sacarum. Sacas (סכיים) autem Idumaeos fuisse supra demonstra-

1) IV. Regg. 17, 24.
2) Ibidem 17, 31.

tum est. Diversa nominis scriptura שקה ex diversa orta est Chaldaeorum pronuntiatione. Ac de nomine quidem diximus.

Iam, ut propositum est, disseramus de lingua, in qua natus est Sacarum princeps. Neuter, neque Hevaeorum neque spadonum princeps, Iudaice vel Hebraice potuisse videtur. At vero Sacarum dux huius linguae erat peritus [1]). Nec mirum. Idumaei enim et origine cum Iudaeis erant coniuncti, et quum in Damascenorum urbe regnarent, propter loci propinquitatem perpetua illorum consuetudine utebantur. A matre tamen acceperat linguam Armenicam. Eliacim enim, qui Ezeciae regis nomine cum Rabsace agebat, eum hortatur, ut Armenice loqui vellet, ne populus quid conferrent intelligeret. Huius enim sese linguae esse compotem [2]). Quoniam igitur Rabsace a matre didicerat sermonem Armenicum, natione erat Armenius h. e. vel Amalecita vel Idumaeus.

Denique de Rabsaces oratione breviter dicendum est. In ea populos enumerans, qui Assyriis potentia fortitudineque inferiores fuerant, *Vbi est*, inquit, *deus Emath et Arphad, ubi est deus Sepharvaim, Ana et Ava? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea* [3])? Haec quidem prudenter ille et caute. Quid est enim, quod Armenios, quod reliquas gentes Idumaicas silentio omnino praeteriit? Nonne illi Iudaeis erant multo fortiores? An potuerant illi quidem Assyriorum virtuti resistere? Sed quid multa? Rabsace, quum Amalecita esset, si Amalecitarum, si Idumaeorum calamitatem deditionemque commemorasset, quid aliud fecisset, quam ut suam suorumque proferret ignominiam? Sannacheribus contra in

1) IV. Regg. 18, 28. Ies. 36, 13.
2) IV. Regg. 18, 26. Ies. 36, 11.
3) IV. Regg. 18, 34. Ies. 36, 19.

ea epistola, quam Chaldaice ad Iudaeorum regem scripsit, primo loco Medos, altero Idumaeos posuit, tertio denique eos populos, quos Amalecitae illi placuerat enumerare. Ita enim scripsit: *Numquid liberaverunt dei gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet et Aran et Reseph et filios Eden qui erant in Thelassar? Vbi est rex Emath et rex Arphad et rex civitatis Sepharvaim, Ana et Ava* [1]? Haec epistola quoniam Chaldaice, ut scripta erat, ab auctoribus sacris est relata: non admodum facilis est ad explicandum. Sed quod de singulis nominibus investigare potuimus, proferre non dubitabimus. Primum quidem *Gozan* urbs nobilissima est in ea Mediae parte, quae ad septentrionem spectans a Romanis Atropatene appellata est. *Aran* (חרן) ab Assyriis eam regionem vocatam esse censeo, quam Iudaei Aram, nos Armeniam dicimus. Pro *Reseph* (רצף) legerunt interpretes Graeci in Regum libris Ῥαφέθ, apud Iesaiam Ῥαφεΐς. Reseph vel Rapheis (Raphanee) erat urbs Syriae, quae nomen videtur cepisse ab ea Amalecitarum gente, quae Raphaea appellata est. Pro Eden (עדן) exhibet Graeca interpretatio in Regum libro Ἐδώμ, et pro Thelassar apud Iesaiam Θαιμάν [2]). Littera ן, ut saepius apud Chaldaeos, sic in Aran et Eden pro ם posita est. Thaeman autem octava erat Idumaeorum tribus [3]). Sed utraque scriptura et Thelassar et Thaeman nata videtur ex Thamnasar, quae urbs a Iosue restaurata, postea ab Idumaeis occupata est [4]). Enumerantur igitur a Sannacheribo primum quidem Amalecitae, qui Armeniam incolebant,

1) IV. Regg. 19, 12. Ies. 37, 12.
2) Editiones: ΘΑΙΜΑΔ, scribendum est: ΘΑΙΜΑΝ.
3) Gen. 36, 11. 41.
4) Ios. 21, 42. LXX: Θαμνασαχάρ, ibid. 19, 50. Θαμνασαράχ.

deinde Idumaei, qui in urbe Reseph vel Raphanee habitabant, denique ei, qui Thaemane Eliphazis filio progeniti erant; de quibus a Rabsace mentio omnino facta est nulla. Haec autem res videtur confirmare, quod ex nomine linguaque a matre accepta conclusimus, Rabsacen fuisse Amalecitam.

Praeterea in Rabsaces verbis duo sunt, quae notatu digna videntur; unum, quod omnis oratio Amaleciticam prae se fert impietatem, alterum, quod ille imperatoris iniussu sese Aegyptum adortum esse dicit [1]). Ex hac quidem re intelligi potest, quanta fuerit Sacarum in hoc exercitu potentia, qui id sibi assumere potuerunt, ut regis iniussu Aegyptiis bellum inferrent. Sed ex eadem re aliud quiddam perspicuum est. Aegyptii Sacas Sannacheribi milites, a quibus bello lacessiti sunt, communes habuerunt cum Iudaeis hostes. Quare factum est, quum de Sannacheribi calamitate certiores fierent, ut eam non illorum deo, sed, ut ex Herodoto cognovimus [2]), Sethoni sacerdoti suo adscriberent. Quod autem ab eodem Herodoto Sannacheribus Arabum Assyriorumque rex dicitur, sub Arabum nomine videntur subesse Sacae, qui principio quidem cum ceteris Idumaeis in Arabia Petraea habitaverant. Vocantur enim Idumaei Arabes et a Stephano et a Strabone, quorum alter in libr. XVI. eos origine Arabes sive Nabataeos esse scribit, alter Vranio in quarto Arabicorum libro assentiens eos verbis ἔθνος Ἀράβιον definit [3]). Quem exitum Sannacheribi expeditio habuerit, quemadmodum ab an-

---

1) IV. Regg. 18, 25.

2) Herodt. 2, 141.

3) Steph. Ἐδουμαῖοι, ἔθνος Ἀράβιον, ὡς Οὐράνιος ἐν Ἀραβικῶν τετάρτῳ· τινὲς δὲ διὰ τοῦ ι γράφουσιν, ὡς εἴρηταί μοι ἐν τῷ ι et: Ἰδουμαῖοι, ἔθνος Ἀράβιον ἀπὸ Ἀδώμα. Ἄδωμα γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν κτλ.

gelo domini centum octoginta quinque milia militum occisi sint, satis notum est. In eo autem numero Rabsacen Sacasque fuisse, ex libris sacris perspicitur [1]).

Multis annis post, Manasse regnante, expeditionem contra Iudaeam fecerunt exercitus Assyriorum principes. Hi quidem, Iudaeis victis, expugnatisque Hierosolymis, regem catenis vinctum Babylonem deduxerunt [2]). Sed qui tum Assyriorum copiis praefuerint, litteris sacris mandatum non est. Verum ex aliis scriptoribus colligi potest, illius exercitus principem fuisse Amalecitarum Idumaeorumque regem, qui idem in ea expeditione Aegyptum invasit, ac Psammetichum, qui erat aequalis illorum temporum, per vim coegit, ut, nisi regnum suum direptum vastatumque esse vellet, magnum pretium solveret. Sed de hac quidem re postea. Nunc Amalecitarum historiam breviter ad finem perducamus.

In Nabuchodonosoris exercitu, quum apud Circesium pugnatum est, Idumaeos fuisse, probabiliter dici potest. Tribus annis post, quum ille a bello requiesceret, hi quidem (spoliatores Armenii) cum Chaldaeis aliisque sua sponte in Iudaeam incursiones facere praedasque inde agere coeperunt [3]). Iam vero eius expeditionis, quam decimo tertio Nabuchodonosoris anno contra Iudaeos fecit Holofernes, socios participesque fuisse Idumaeos, pluribus de causis verisimile est. Erant enim ad reliquum exercitum adiuncti equites sagittarii ad numerum duodecim milium [4]), qui haud fere ex alia natione, quam ex Amalecitis Idumaeisque assumi potuerunt. Sagittariorum enim equitatu Chaldaei, Medi, Persae alii

---

1) II. Parall. 32, 21.
2) Ibid. 33, 11.
3) IV. Regg. 24, 2.
4) Iudth. 2, 7.

nihil, illi soli longe plurimum valebant. Deinde vero Holofernes cum nullis hostibus tam acerbe tamque inhumane egit, quam cum Damascenis. Eorum agros igni vastat, succidit oliveta vinetaque, greges atque armenta delet, urbes diripit, iuventutem omnem interficit [1]). Idumaei autem sine dubio infestissimi hostes erant Damascenis, quod ei Theglathphalassari adiutores fuerant, quodque, ipsis expulsis, urbem receperant. Quare Holofernes Idumaicis suis militibus concessisse videtur, ut ad veteres iniurias ulciscendas Damascenorum fines vastarent ac popularentur. Apud Idumaeos contra, qui in veteribus sedibus, Gabaa et Bethsan, remanserant, tamquam apud amicos triginta dies quietem agit, exercitum colligit, quae ad bellum usui erant, comparat [2]). Hae quidem res mihi videntur significare, equites illos sagittarios, qui cum Holoferne erant, natione fuisse Idumaeos.

Iam vero Nabuchodonosori, quum postremam contra Hierosolyma expeditionem fecit, socios adiutoresque fuisse Amalecitas, id argumento est, quod urbe expugnata, in porta cum reliquis Assyriorum principibus consedit Rab-Sacim h. e. princeps Sacarum [3]). Quare illud non absurdum est, quod Idumaei templum incendisse perhibentur. Id enim exstat apud Esdram Graec. 4, 45. *Καὶ σὺ ηὔξω οἰκοδομῆσαι τὸν ναὸν* (non *λαὸν*) *ὃν ἐνεπύρισαν οἱ Ἰδουμαῖοι, ὅτε ἠρημώθη ἡ Ἰουδαία ὑπὸ τῶν Χαλδαίων*. Praeterea quum Chaldaei urbem cepissent, Idumaei praedae participes fuisse dicuntur. Nam de horum criminibus disserens propheta Abdias, *In die* inquit, *cum stares adversus eum (Iacob), quando capiebant alieni exercitum eius et extranei ingrediebantur*

1) Iudth. 2, 17. s. LXX: 2, 27.
2) Iudth. 3, 15. LXX: 3, 10.
3) Ierem. 39, 3.

portas eius et super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis [1]. Denique Idumaei vel Sacae fuisse traduntur, qui Chaldaeos ad urbem radicitus delendam concitarent; quod sanctorum patrum sententia ex his verbis elucet: *Memor esto, domine filiorum Edom in die Ierusalem qui dicunt: Exinanite exinanite usque ad fundamentum in ea* [2]. Postremo coniunctos fuisse Chaldaeorum et Armeniorum i. e. Idumaeorum exercitus, clarissimum apud Ieremiam testimonium exstat. Rechabitae enim illustrissimi illi homines ita: *Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: venite et ingrediamur Ierusalem a facie exercitus Chaldaeorum et a facie exercitus Syriae i. e. Armeniae; et mansimus in Ierusalem* [3].

Idumaeorum Amalecitarumque historiam iam ad aetatem Estherae perduximus. Quinto enim anno post Hierosolyma capta ea evenerunt, quae illius libro perscripta sunt. Quare hoc loco paullum insistere decet, ut ad totam rerum seriem respicientes omnia uno quasi oculorum obtutu contemplemur. Quodsi fecerimus, difficile videbitur, quae animo sentimus, aptioribus verbis exprimere, quam quibus de Idumaeis usus est Isaacus: *Vives in gladio. Et fratri tuo servies tempusque veniet, quum excutias et solvas iugum eius de cervicibus tuis.* Vt enim Edom iam ante, quam natus esset, Israeli obfuit: sic officere ei per totum vitae cursum perseveravit. Huius autem vitae ratio omnis et via quasi fore portendit, ut posteri paterno et capitali in Israe-

1) Abdias 11.

2) Ps. 136, 7. cf. Hieron. comm. Abd. 15, 16. Iacob. Nisib. serm. 2, 12.

3) Ierem. 35, 11.

litas odio stimulati eadem via progrederentur, inimicitias easdem sequerentur, eadem perpetrarent facinora. Nam Semiticis populis eam natura ingeneravit constantiam, ut apud omnem posteritatem in bonis rebus atque in malis patris aeque valeat exemplum. Edom victum partim elaboravit aratro partim arcu et sagittis quaesivit: Idumaei partim agriculturae se dederunt, partim venationi et bello. Familiam quidem in his posterioribus duxerunt Amalecitae, qui ea in re adeo sibi constiterunt, ut, quo plures clades acciperent, eo alacriores ad bellum renovandum esse viderentur. Ac haud scio an nullus populus aut plura pertinacioraque bella gesserit, aut graviores calamitates perpeti potuerit. Hoc pro certo possum affirmare, minoribus opibus maiora nullum umquam conatum esse. Itaque venit quem utriusque gentis parens providerat dies, quum Idumaei iugum a se excussum Iudaeis imponere conarentur. Et profecto hoc iugo illi oppressi forent, nisi deum alteri habuissent adversarium, alteri socium atque adiutorem.

Sed in Idumaicis rebus enarrandis illa mihi videor assecutus, ut et Amanem Amalecitam fuisse demonstrarem et ut aliqua indagarem, quae nobis in posterum profutura sperare possem. Praeterea hanc disputationem quibusdam libri Estherae locis et eis difficillimis lucem attulisse crediderim. Ad hoc iam nunc suspicari sentireque potueris, libro Estherae non modo esse aliquam in historia auctoritatem concedendam, quam concedere quidam voluerunt nullam, verum etiam illum ei in libris sacris locum vindicandum, quem Iudaei semper secundum a Moysis scriptis tribuerunt. Sed haec quidem hactenus.

Quamquam ab Estherae historia, ut diximus, non absumus quinque annis amplius, tamen quam oculis iam cernere, statim assequi atque arripere non possumus.

Iddem enim nobis accidit disputantibus, quod usu venire iter facientibus solet, quum e planitie in montem egressi ad flumen sese pervenisse animadvertunt, ut alteram ripam conspicere quidem possint, attingere non item. Postquam enim Hebraicos scriptores quos habemus sacros percurrimus: ad finem quemdam pervenimus, ultra quem si progredi volumus, ad Graecos Latinosque transire necesse est. Transitum autem ad eos tutum ac securum, non intelligo quomodo parare possimus, nisi novum disputandi initium faciamus, eumque qui de Scythis iam futurus est locum tamquam pontem interponamus.

CAPVT QVARTVM

IDVMAEOS A GRAECIS VOCATOS ESSE SCYTHAS.

---

§. 23.

Assuerus et Mardochaeus quo tempore et qui fuerint, quomodo Idumaeorum hostes a ceteris nationibus potuerint dignosci, unde orta sit gens Gagaea, quaenam Idumaeos inter et Iudaeos ratio coniunctioque intercesserit; ex libris sacris satis, ut arbitror, expositum est. Reliqui autem loci, qui de Amane sunt, de Amadatha, de Zara, de sortium festo die propositi, nisi ex aliorum scriptorum libris explicari recte non possunt. Est enim admirabile quoddam dei consilium in eo, quod rerum scriptores, quum apud Hebraeos deficerent, statim apud Graecos exstiterunt. Nam Persis in Asia regnantibus, quum illi non modo alia sed ne sua quidem accurate scriberent, deus omnium rerum auctor histo-

riae apud Graecos excitavit patrem, qui miro quodam discendi sciendi percontandi studio stimulatus Asiam peragraret, ac quae ipse videret, quae ab aliis audiret, quid quaque de re iudicaret, pari et rerum fide et verborum suavitate enarraret. Quoniam autem ipso Persarum tempore scribendi studium ab Hebraeis Graeci susceperunt, factum est, ut historia Mardochaica inter utrosque quasi in medio posita esset ad eamque alteri videndo devenirent alteri audiendo quodam modo ascenderent. Sed Graeci de hac re testes admitti non poterunt, nisi prius de Idumaeorum nomine apud eos et appellatione constiterit. Nam quod hi de Scythis Sacisque memoriae prodiderunt, ad Amalecitas Idumaeosque videtur haud inepte posse referri. Quare Scythae et Amalecitae, videndum est, nomine an revera inter se differant. Sed in hoc quaestionum genere, quum doctissimos et sagacissimos homines probabilitatis quadam specie deceptos viderem, res ipsa hortata est, ut viribus meis diffisus diligenter caute omni studio curaque in eo versarer. Quapropter quae Graeci de Scythis scripserunt, ea omnia conferenda sunt cum his, quae Hebraei de Amalecitis. Quae si inter se omnia conveniunt, non possumus, quin Amalecitas Idumaeosque Scythas esse dicamus. Quod si, omni adhibita diligentia, falso dixerimus, inviti certe et incredibili rerum consensione delusi erravimus. Itaque Scythas Idumaeosque inter se comparantes, primum quidem dicemus de nominibus, deinde de sedibus, tum de corporis proprietatibus natura et indole, disseremus post de vitae genere institutis moribus, denique videbimus de religione et ceremoniis deque diversis gentibus, postremo de lingua disputabimus.

§. 24.

De Scytharum nominibus (Sagittarii, Sacae, Spoliatores).

Idumaeis tria apud Hebraeos nomina fuisse: *Sagittariis, Sacis, Spoliatoribus*, supra demonstratum est. Quodsi autem contigerit, ut ostendatur Scythas eisdem esse nominibus appellatos; haec res magno argumento erit, eosdem esse Idumaeos ac Scythas.

Scytharum nomen alii aliunde ducere aliterque explicare conati sunt. Sed illud nihil aliud significare quam *sagittarium*, quam *hominem arcu armatum* (Schuetzen), probavit nuper Iacobus Grimm in eo libro, quem de nostrae linguae historia docte sane et subtiliter scriptum iterum edidit [1]). Verum quod ille linguarum Indo-Germanicarum peritus coniiciendo conferendoque investigavit, iddem me ex Hebraica lingua assequi posse puto. Est enim communis omnium gentium consuetudo, ut ab exteris cum rebus novis nova nomina et aliena recipiant. Velut nostra memoria hoc et nostros homines et alios saepius fecisse video. Eiusmodi nomina primum quidem quo potuerunt accuratissime pronuntiarunt, postea ad suam quisque linguam, ad eius naturam indolemque magis accomodarunt. Arcui igitur sine dubio nomen dederunt ei, qui eius inveniendi erant principes; reliqui ab his una cum telo nomen acceperunt. Si autem arcus principes et fecisse et adhibuisse Semitas dico, in errore me esse non crediderim. Quod si ita est, Iaphethitae vel Indo-Germani, non dubito, quin et rem ab illis et nomen appellationemque assumpserint. Arcum

1) Iac. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache, 2. Aufl. s. v. Scythen p. 220. ss.

autem dicere solent Hebraei קשת, sagittarium קַשָּׁת. Quod verbum quum Graecis et ad audiendum alienum et ad pronuntiandum difficilius videretur, transpositis litteris primis, pro Κσυϑ dixerunt Σκυϑ, Σκύϑης. Quoniam autem arcus unum et praecipuum erat armorum genus, verbo illi postea a Romanis ea vis tributa est, ut significaret id, quod ad corpus tegendum idoneum esset. Quare quod ad se tuendos adhibuerunt, illi vocaverunt *scut-um* (Schutz). Cui hoc minus probabile videtur, is meminerit velim, quomodo notio verbi nostri *Gewehr* primo latissime patens postea in unum telorum genus arctissime contracta sit. Hoc igitur mihi quidem probatum est, ab arcubus eam gentem nomen accepisse, quae optimos in Asia et Europa et exercitatissimos ferebat sagittarios, quaeque omnis sagittis et pharetra parata atque ornata erat. Et pluribus quidem rationibus antea a nobis expositum est, Amalecitas ab Hebraeis interdum omnino sagittarios esse dictos. Ex quo facile intelligitur, illos, ubi primum a Graecis conspicerentur, statim iddem apud eos Scytharum h. e. sagittariorum nomen invenisse. Magnum sane huius rei et manifestum testimonium in eo cernitur, quod, qui arcum primus vel ab Hercule accepit vel ipse invenit, Scythes Herculis vel Iovis filius fuisse traditur [1]). Alios autem ab Hebraeis, alios a Graecis uno eodemque Scytharum sagittariorumque nomine vocatos esse, dici certe probabiliter non potest.

De Sacarum nomine variae doctissimorum hominum et discrepantes sententiae sunt. Fuerunt, qui nomen *Sac Sacc* a potandi verbo ducendum esse crederent. Quidam, quod hanc gentem sagittis et pharetra armatam fuisse legerent, nomen a Shakhaa h. e. pharetra sum-

1) Herodt. 4, 10. Plin. h. n. 7, 56.

ptum esse putarunt. Alii, qui Sacas apud Asianos in honore fuisse negarunt, eos a Ssagh h. e. cane cognomen apud Persas traxisse dixerunt. Neque defuerunt, qui nihil omnino interesse inter veteres Sacas et aut Turcos, qui Ssakalibet vocarentur, aut Saxones nostros censerent [1]). Sed has sententias omnes futiles commenticiasque esse, vel ex discrepantia earum apparet. Quid nos de nomine Sacarum et gente sentiremus, iam supra significavimus. Sacae (סכב vel שׁכם) et Horraei (חרי) ab Hebraeis proprie appellati sunt Amorraei, qui Troglodytarum more specubus cavernisque pro domibus utebantur. Quoniam autem Amalecitae cum Horraeis et cognatione et societate civili coniuncti erant, Sacarum nomen cum ad eos tum ad alios Idumaeos translatum est. Haec et quibusdam rationibus supra probavimus et aliis postea probaturi sumus. Cum Hebraeis autem in hac re totam Asiam consensisse, perspicuum est ex Herodoto. Sacas enim in Asia proprie Scythas vocari ait Amyrgios h. e. Amorraicos; a Persis autem Scythas ita appellari omnes [2]). Sed quod ille de Scytharum apud Persas appellatione dicit, haud scio an multo latius pateat. Neque enim suam ipsorum in hac re sed Chaldaeorum consuetudinem Persae videntur esse secuti. Nam deorum cultus, ceremonias, vestimenta regia, linguam ut Medi a Chaldaeis, sic a Medis Persae acceperunt atque in domum regiam induxerunt. Huius sententiae certissima sunt apud veteres scriptores indicia, quae hoc loco afferre longum est. Quod igitur de solis Persis memoriae traditum est, id latius manare altiusque repetendum esse statuo. Quocirca a Chaldaeis, a Medis Persis aliis primo Amorraeos

1) De his et aliis sententiis v. Baehr Ctesiae Cnidii opp. reliquiae p. 96. s.

2) Herodt. 7, 64.

postea Scythas omnes nominatos esse Sacas, pro certo dicere audeo; idque eo magis, quod etiam aliis in rebus cum Hebraeis Persas in consensione esse video. Velut Palaestinos ex Cappadocia ortos scribit Amos [1]); Syros quosdam a Persis dictos esse Cappadoces ait Herodotus [2]). Sed quod diximus Scythas Sacarum in Asia nomen habuisse, id non unius Herodoti sed quasi totius antiquitatis testimoniis nititur. Iddem enim sentiunt ac confirmant Arrianus, Strabo, Diodorus Siculus, Plinius, Suidas, alii [3]). Quum autem non possint inter se differre ei, quibus apud Persas, et ei, quibus apud Hebraeos unum iddemque Sacarum nomen fuit, quumque hi quidem Sacae ab Hebraeis proprie et distincte Amalecitae Idumaeique, a Graecis autem Scythae dicti sint: necesse est Idumaeos ac Scythas prorsus fuisse eosdem.

Amalecitas apud Hebraeos interdum Spoliatorum nomine notatos esse, alio loco diximus. Aperte autem, teste Herodoto, professi sunt Scythae ipsi, commune sibi cognomen esse σκολόταις [4]). Haec quidem vox aliis alias ad coniecturas ansas dedit. Plerique, et ei quidem Graecae linguae non nimis periti, vocem illam Scythicam esse voluerunt; in quo non viderunt, neque σκολότης verbum Scythicum ullum esse posse, neque verba apud Herodotum esse multa, quae posteriorum consuetudo reiecerit. Quamquam autem σκολ-ό-της verbum hoc solo loco exstet et ex Scytharum ore profectum esse videatur: tamen illud Scythicum esse et a Graecorum lingua alienum dicere non possum. Nam Herodotus, quum

1) Amos 9, 7. Deut. 2, 23.
2) Herodt. 7, 72.
3) Arrian. Exped. Alex. 3, 8, 3. Strabo Geogr. 11, 6, 2. Diod. Sic. bibl. 2, 43. Plin. h. n. 6, 17. Suid. s. v. Σάκαι. Steph. Byz.
4) Herodt. 4, 6.

reliqua verba Scythica numquam neque mutare neque ad Graecorum aures accommodare soleat, quid est, quod in illo a sua consuetudine defecerit? Etenim syllabarum coniunctionem ο et exitum της Scythica iudicare qui possumus? Sed quid multa? Vt a τόξος vocabula τοξεύω τοξότης, sic a σκῦλον (σκύλος) nata sunt σκυλεύω σκυλότης. Pro σκυλότης autem σκολότης scripsit Herodotus, quemadmodum pro ὤνυμα (in ἀνώνυμος, διώνυμος, δυσώνυμος, ἐπώνυμος) ὄνομα dicere solebant. Valet autem verbum Graecum σκολότης iddem prorsus, quod Latinum *spoliator* h. e. qui exuviis hostem privat. Potest autem etiam ea ei tribui vis, ut significet non solum qui arma aut vestimenta hostibus, sed qui cutem (δέρμα) ipsam detrahit [1]). Nomen autem negotiumque spoliatorum nihil apud antiquos habuisse ignominiae, nihil turpitudinis, id neminem censeo praeterivisse, quin sit veteris historiae omnino imperitus [2]). Quoniam igitur, ut saepius dictum est, Amalecitae vel Idumaei apud Hebraeos spoliatorum nomen habuerunt, Scythae autem ipsi Herodoti testimonio illud sibi nomen vindicarunt: Idumaeos a Graecis vocatos Scythas esse confitendum est. Nomina igitur: *Sagittarii Sacae Spoliatores,* in Idumaeos aeque atque in Scythas cadunt. Quae res quanti sit momenti, is iuste iudicabit, qui quam religiosa veteribus in nominibus dandis conservandisque cura fuerit, cognitum habet. Sed videamus de sedibus.

---

1) Stephan. thes. s. v. σκύλος, σκυλοδέψης.

2) Egregie de hac re scriptum est in libro: Explications de plusieurs textes difficiles de l'ecriture. Par le R. P. Dom..... Religieux Bénédictin. Paris 1730. I. part. p. 98. ss.

§. 25.

De Scytharum sedibus (in Arabia, in Armenia, in Scythia).

Ex Arabia Amalecitae tam antiquis temporibus migraverant, vix ut huius rei Graeci ullam notitiam habere possent. Aegyptii vero hanc retinuisse memoriam videntur. Nam Sacas, qui Rabsace duce in Aegyptum incursionem fecerunt, ab eis vocatos esse Arabes, ex eo intelligitur, quod, ut apud Herodotum scriptum in historia est, Sannacheribum Arabum regem Assyriorumque appellabant. De primis autem Scytharum sedibus mentionem aliam apud Graecos, credo, frustra quaesiveris. Sed quaedam sunt huius populi instituta ac ceremoniae, quae mihi videntur esse testes summae auctoritatis, quae pristinae eius sedes ubi fuerint certissime ostendunt. Sed de eis dicemus postea.

Deinde Amalecitae domicilia, ut diximus, in Armenia, Damasci regnum constituerunt. Qua de re Herodotum nihil omnino compertum habuisse miror, quum praesertim de Scythis diligentissime et quaesiverit et scripserit. Ea autem et a Strabone satis indicata est et a posteriore scriptore Latino qui multa volumina ex veteribus hauriendo conscripsit. Strabo enim optimam Armeniae partem a Sacis et occupatam fuisse et nomen habere dicit [1]). Plinius autem in historia naturali de Scythis haec prodidit sane haud absurda: *Vltra sunt Scytharum populi, Persae illos Sacas in universum appellavere a*

---

1) Strabo 11, 8, 4. Σάκαι μέντοι παραπλησίας ἐφόδους ἐποιήσαντο τοῖς Κιμμερίοις καὶ Τρήρεσι τὰς μὲν μακροτέρας τὰς δὲ καὶ ἐγγύθεν· καὶ γὰρ τὴν Βακτριανὴν κατέσχον καὶ τῆς Ἀρμενίας κατεκτήσαντο τὴν ἀρίστην γῆν κτλ.

proxima gente, antiqui Aramaeos [1]. Scythae autem, si a veteribus Aramaei vel Armenii vocati sunt, in Armenia necesse est per longum temporis spatium habitaverint. At vero Amalecitas Idumaeosque in Armeniam migrasse atque amplius ducentis annis in urbe Damasco regnasse, vocatosque esse a scriptoribus sacris Armenios, supra a nobis effectum est. Quoniam autem Idumaei appellati sunt Armenii, Armenii autem postea Scythae: sequitur, ut eidem sint Idumaei ac Scythae.

Iam dicendum est de tertiis huius populi sedibus. Idumaei, qui Damasci regnarunt, a Theglathphalassare, Assyriorum rege, superati et in Cir vel Cyrenam traducti esse perhibentur. Regionem Cir F. Iosephus ita definit, ut eam dicat esse *τὴν ἄνω Μηδίαν*, Mediam superiorem [2]. Plerisque autem ea non ipsa Media videtur esse, sed quae Mediae parti superiori finitima ad Cyrum flumen posita sit, quae eadem ab Armeniis Cur dicatur. Iam vero Scythas ea ipsa loca incoluisse, indeque in Cimmeriam transiisse, plures et consentientes apud Herodotum testes sunt. Magna autem dissensio est, a Massagetis an ab Issidonibus coacti sint, ut finibus suis exirent. Herodoti vero sententia est, eos Araxe flumine transiecto, Cimmeriisque pulsis, in ea loca demigrasse, quae in utraque Borysthenis fluvii ripa sita Pontum Euxinum attingunt a Scythisque nomen ceperunt [3]. His sententiis illud certe verum subest, Scythas primum vel Armeniam vel regionem vicinam incoluisse, transiectis deinde Araxe et Tanai fluminibus, in Scythiam devenisse. Sive igitur Idumaei Armenii primum ad Cyrum flumen,

---

1) Plin. h. n. 6, 19.
2) F. Ios. Antt. 9, 12, 3.
3) Herodt. 4, 11. ss.

sive statim trans Tanaim ad Gerrum et Borysthenem ab Assyriis translati sunt, illud constat, eos in eadem regione habitasse, quam incoluisse Scythae traduntur. Quoniam autem Amalecitarum Scytharumque vestigia secuti eos ex Arabia in Armeniam, ex Armenia in loca septentrionalia unum prorsus iddemque iter fecisse videmus, non possumus dubitare, quin Scythae et Amalecitae inter se minime differant.

§. 26.

De Scytharum urbe (Bethsamys, Bethsan, Basan, Scythopolis, Nysa).

De Scytharum urbe, quamquam diximus breviter antea, tamen nunc quaerendum esse accuratius videtur. Primum quidem ei, qui de rebus geographicis scripserunt, non modo aliam urbem Bethsamys ac Bethsan volunt esse, sed plures etiam urbes Palaestinenses hoc eodem nomine fuisse dicunt. Quidam enim Bethsamys fuisse duas statuunt, quarum una in tribu Iuda sita esset, altera in Issachar. Fuerunt etiam, qui adiungendam tertiam putarent eamque in Nephthali finibus collocandam. Sed sacrorum librorum consideratis locis omnibus diligenterque inter se comparatis, non modo ponere plures urbes Bethsamys et diversas, sed ne separare quidem hanc potui a Bethsan. Scienda sunt enim ea, quae supra exposuimus, expugnatam a Iudaeis, quum Palaestinam occuparent, hanc urbem non esse, remansisse in ea veteres incolas Amalecitas atque Amorraeos, eosque in potestate sua non modo urbem retinuisse sed etiam campum, qui ad Iezrael oppidum magnus dicitur. Itaque factum est, ut et Bethsamys urbs et ager urbanus inter Iudaeorum Israelitarumque fines in medio relinquere-

tur. Neque vero debemus ignorare, hanc urbem in duas partes fuisse divisam, quarum altera erat sacra, altera profana. Haec, in qua templum erat, a sacerdote videtur esse gubernata; illa autem optime munita in regis vel magistratus potestate fuisse perhibetur. In eiusmodi enim partes duas omnes fere distributae fuisse urbes traduntur dei cuiusdam cultu celebres, ut Tyrus, ut Ephesus aliae. Quum autem harum urbium partes non modo inter se disiunctae essent, sed saepius vehementer inter se dissiderent interdum etiam a diversis gentibus incolerentur; eae a veteribus scriptoribus diligenter distingui diversisque nominibus appellari solent. Hinc nomina ἡ παλαιὰ Τύρος vel ἡ πάλαι Τύρος, ἡ παλαιὰ Ἔφεσος. Hinc etiam Bethsamys, quo nomine proprie dei templum urbisque pars sacra, et Bethsan, quo arx et pars profana designatur.

His praepositis iam argumenta quaerenda sunt, Bethsamys et Bethsan urbem fuisse unam, quae minus accurate tum hoc tum illo vocabulo nuncupata sit. Primum quidem inter nomina Bethsamys, Bethsam et Bethsan nihil omnino interest. Quum Bethsamys ad pronuntiandum longum esset, Hebraei, ultima-syllaba abiecta, Βαιθσὰμ vel Βηθσὰμ et dixerunt et scripserunt. Haec enim scriptura in Graecis codicibus saepius exstat, ex Hebraicis editionibus omnino sublata est. Idumaei autem, ut postea videbimus, pro littera ם posita ן, enuntiare solebant ביתשנש, בישנש, vel reiecta syllaba ultima ביתשן, בישן. Eorum consuetudinem, ut in scribendo nomine Og, sic in hoc vocabulo secuti sunt Hebraei. Philologiae igitur ratione habita, dubium non est, quin differentia inter Bethsamys Bethsam et Bethsan omnino nulla sit. Sed aliam rationem praebent loci duo sententiis congruentes. In Iosuae enim libro in earum numero urbium, quae in Chananaeorum potestate relictae sunt,

Bethsan tantummodo refertur [1]). In eo vero libro, qui est de Iudicibus [2]), in eodem numero et Bethsan et Bethsamys commemorantur. Ex quo intelligitur, priori loco totam urbem nominatam esse Bethsan, altero autem duas urbis partes esse distinctas. Sed haec res etiam geographicis rationibus effici potest. Iudam ex Galaad cum exercitu profectum Iordanem transiisse et adversum Bethsan in campum magnum intrasse scribunt F. Iosephus et primi Maccabaeorum libri auctor [3]). Qui igitur ex Galaad Iordanem transgressus in agri magni partem orientalem venit, ex adverso in altera occidentali parte Bethsan urbem in colle quasi ante oculos positam habuit. Quare ei quidem erraverunt, qui vel ad Tiberiadis lacum hanc urbem proximam vel haud ita multum a Iordane remotam fuisse censuerunt. Erat enim inter flumen et urbem tantum spatii, quantum campi magni longitudo patebat. In maximo autem errore eorum sententia est, qui vel trans Iordanem urbem sitam fuisse volunt. Bethsamys autem huic urbi proximam et, ut ita dicam, eodem ipso loco positam fuisse, ex F. Iosepho facile constat. Nam ubi boves arcam dei agentes Accarone Palaestinensium urbe profectas recta processisse exponit, haec subiungit: *Est autem vicus quidam in tribu Iudae nomine Bethsama, ad eum devenerunt boves, et ubi eas, si processissent, campus magnus (et pulcher) excepisset, progredi desinunt sistentes illic plaustrum* [4]). Qui

---

1) Ios. 17, 11.

2) Iudicc. 1, 20. ss.

3) I. Macc. 5, 52. Καὶ διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς τὸ πεδίον τὸ μέγα κατὰ πρόσωπον Βαιθσάν. Ios. Antt. 12, 8, 5. Διεβάντες δὲ τὸν Ἰορδάνην ἦκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βηθσάνη καλουμένη πρὸς Ἑλλήνων Σκυθόπολις.

4) F. Ios. Antt. 6, 1. 3.

ergo ab occidentali parte Iordanem versus iter faciebat, primum deveniebat in urbis partem Bethsamys, inde in alteram Bethsan, tum in campum magnum descendebat. Bethsamys igitur in eadem, qua Bethsan, campi magni parte collocanda est. Quod autem Iosephus Bethsamys non urbem sed vicum quemdam appellat, sciendum est, ex vico isto quidem homines Amaleciticos et Amorraicos arca divina non minus qninquaginta milibus esse interemptos [1]).

Iam vero in libris sacris duae urbis partes diligenter disiungi discernique solent. Altera, quae deo sacra Bethsamys dicitur, a Iosue addicta est tribui Nephthali [2]). Quare in Iudicum libro haec tribus vituperata est, quod eius incolas non interfecissent [3]). Ob eamque causam Debora Nephthalitas cohortatur, ut Iabin regi, qui etiam illam urbem obtinuerat, bellum inferrent [4]). Attingebat autem Bethsamys, quum non expugnata sed in medio relicta esset, a septentrione tribum Issachar [5]) a meridie autem Iudam [6]). Quamobcausam haec eadem urbs nondum capta, sed quo certius caperetur, et tribui Manasse adscribitur et a tribubus Iuda et Symeon Levitis hominibus fortissimis tribuitur [7]). Haec eadem causa erat, cur filii Beniamin Levitis Gabaon urbem expugnandam traderent. Iam manifestum esse credo, cur Bethsamys modo Nephthali tribui modo Iudae addicta esse videatur. Quodsi autem quis ob eam causam duas Bethsamys statuendas existimet, idem, si sibi constare velit, duas

1) I. Regg. 6, 19.
2) Ios. 19, 38.
3) Iudicc. 1, 33.
4) Ibid. 4, 6.
5) Ios. 19, 21.
6) Ibid. 15, 10,
7) Ibid. 21, 16.

urbes Hierosolyma, unam in tribu Iuda, alteram in Beniamin statuat necesse est.

Altera autem urbis pars, quam moenibus cinctam et Bethsan appellatam esse diximus, in finibus erat Manassis [1]). Quocirca illa tribus eos, qui in hac parte habitabant, non delevisse traduntur [2]). Erat autem huic haud mediocris in campo magno ager urbanus, qui *iuxta Sartana subter Iezrahel a Bethsan pertinebat usque Abelmehula e regione Iecmam* [3]). Is quidem tanta erat magnitudine, ut, Salomone regnante, una cum urbe, adiunctis Tanach et Mageddo oppidis, unam ex duodecim provinciis conficeret [4]). Bethsamys autem cum quatuor urbibus alii provinciae adscripta erat [5]).

Sequitur, ut de dicendi ratione observata in libris sacris paullo accuratius dicamus. Scriptores sacri templum Samys h. e. solis, si intelligi volunt, Bethsamys dicere solent. Palaestinenses, ut hoc exemplo utar, arca divina graviter afflicti, quum Iudaeorum deum verum cum Idumaeorum sole confunderent, illam arcam sequuntur observantes, utrum viam ad Bethsamys h. e. fanum solis, an aliam boves ingrederentur. Amasias Iudaeorum rex, quum, Idumaeis devictis, Bethsan arcem et templum obtinuisset, falso Idumaeorum deo sacrificavit, fuitque Bethsamys h. e. in ipso solis templo, quum ab Israelitarum rege comprehenderetur. Templo autem circumiecta erant sacerdotum eunuchorum civiumque aedificia, qui vicus eodem, quo templum, nomine appellabatur. — Bethsan vero scriptores sancti

---

1) Ios. 17, 11.
2) Iudicc. 1, 27.
3) III. Regg. 4, 12.
4) Loc. cit.
5) III. Regg. 4, 8.

urbem profanam arcemque nominare solent; cuius quasi vicus erat is, in quo solis templum situm erat. In moenibus Bethsan h. e. arcis Amalecitae suspenderunt Saulum. Neque vero arx solum, sed omnis ager urbanus cum aedificiis oppidisque hoc eodem nomine appellatur [1]. — Basan denique, quod iddem prorsus est nomen, eam potissimum vim habet, ut regionem significet trans Iordanem positam; neque id sine causa. Og enim, qui sedem suam in urbe Bethsan collocaverat, Amalecitis Amorraeisque imperabat, qui magnam partem in altera fluvii ripa habitabant. Maxima igitur regni eius pars sita erat trans Iordanem. Rege illo superato et occiso, altera regni pars, quae trans Iordanem erat, in Iudaeorum, altera in regis Iabin potestatem venit. Ita quidem explicari potest, cur libri sacri urbis Basan nullam usquam mentionem faciant, quum Og regem urbis, non regionis fuisse constet. Caput totius regni erat Bethsan, urbes in altera parte maximae Esdrai et Astharoth [2]. Quodsi autem harum urbium alterutra regni fuisset arx: Ogem non Basanis sed aut Esdrai regem aut Astharoth vocassent. Quum autem Amalecitae Raphaei Amorraeique, clade accepta, ad urbem Bethsan confugissent, factum est, ut etiam haec regio cis Iordanem sita Basan vel terra Raphaim nuncuparetur. Nam de finium angustia querentibus filiis Ephraim et Manasse a Iosue consilium datum est, ut silvas in terra Raphaim h. e. in monte, ad cuius pedem erat urbs Bethsan, exciderent. Illi se id posse negarunt, quod mediam vallem h. e. campum magnum obtineret Iezrael, *in campestribus* autem esset Bethsan [3]. Quapropter eum locum, ubi

---

1) III. Regg. 4, 12.
2) Ios. 13, 12.
3) Ibid. 17, 16.

Iesaias de quercubus Basan loquitur, revocandum ad silvestria montium iuga existimo, quae super urbem Bethsan eminebant. Ea silva deo videtur fuisse sacra. Eam ne post Babylonicum quidem exsilium excisam fuisse, ex eo patet, quod F. Iosephus eam commemorat in eo libro, quem de bello Iudaico inscripsit, in eaque per duos dies tredecim milia Iudaeorum dicit esse commoratos [1]).

Vbi autem Bethsan quaerenda sit, accuratissime definiri potest. Haec urbs et Samaria Galileae a meridie erant termini [2]). Inter Accaron autem et Gabes Galaad quasi in medio posita ab utroque oppido paullo amplius unius diei itinere distabat [3]), ab Hierosolymis autem stadios sexcentos [4]), a Tiberiade centum et viginti [5]).

Iam veniamus ad eam rem, cuius causa haec tota suscepta disputatio est. Ab Hebraeis, quum et Graece loqui et hellenissare inciperent, Bethsan urbs ex incolis nominata est Σκυθῶν πόλις vel Σκυθόπολις. De hac nominis mutatione, ut Eusebium, Georgium Syncellum, Cedrenum, Tzetzem, alios omittamus [6]), testes sunt Graecus interpres, qui ad Iudicc. 1, 27. Βαιθσὰν adscripsit ἥ ἐστι Σκυθῶν πόλις, et F. Iosephus [7]). Veterem igitur urbem novum illud nomen habuisse, inter omnes constat; unde acceperit, in disceptatione versatur. Syncellus Scythas in Iudaeam invadentes Basan urbem occupasse

---

1) F. Ios. d. bell. Iud. 2, 18, 3.

2) Ibid. 3, 3, 1.

3) I. Regg. 6, 12. 31, 12.

4) II. Macc. 12, 29.

5) F. Ios. vita 65.

6) Euseb. de sit. et nomm. locc. Hebrr. de Iudicc. libr. s. v. Βηθσάν. Syncell. p. 214. Cedr. p. 18.

7) F. Ios. Antt. 5, 1, 22. Ἐπὶ Βηθσάνων, ἣ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται, ibid. 13, 6, 1. Βηθσάνην .... τὴν καλουμένην ὑφ' Ἑλλήνων Σκυθόπολις, alibi.

nomenque ei dedisse arbitratur [1]. Quae sententia, quamquam testimonio nullo probari potest, tamen haud temere aut inconsulte excogitata et ficta est, quod iddem de aliorum opinionibus dici nequit. Bochartus enim a spinarum quodam genere [2]. Relandus a *Socoth* [3]) sibi visi sunt nomen recte deduxisse. Sed nos hanc rem breviter expedire possumus. Bethsan Ogis prisci Amalecitarum regis erat urbs, et postea semper ab Amalecitis Idumaeis Amorraeisque incolebatur. Erat igitur, ut paucis dicam, urbs Amelecitarum. Quoniam autem a Iudaeis, postquam Graecorum linguam dicendique genus assumpserunt, Scytharum urbs nominata est; ex eo necesse est intelligi, Amalecitas Idumaeos Amorraeosque a Graecis vocatos esse Scythas. Hoc firmissimum quoddam est nostrae sententiae argumentum tantumque valet, ut nostrae de nominibus sedibusque disputationi non iam probabilitatis speciem, sed certissimum veritatis signum tribuat. Ex Graecorum igitur more Hebraei, quum Amalecitas ab illis dici Scythas acciperent, abiecto vetere nomine et contempto, nomina nova Σκυθῶν πόλις et Σκυθόπολις fabricati sunt. Notandum est etiam, quod dicit Iosephus, Bethsan πρὸς Ἑλλήνων h. e. ex Graecorum more vocatam esse Scythopolim.

Neque vero animum Graecorum Hebraei in hoc nomine inveniendo omnino assecuti sunt. Illi enim, novo nomine improbato, non ex incolis sed ut videtur ex deo qui ibi colebatur urbem Nysam nominandam existimarunt. Cuius rei testes habemus Plinium et Stephanum B., quorum alter haec prodidit: Σκυθόπολις, Παλαιστίνης

1) Syncell. l. c. Σκύθαι τὴν Παλαιστίνην κατέδραμον καὶ τὴν Βασὰν κατέσχον τὴν ἐξ αὐτῶν κληθεῖσαν Σκυθόπολιν.

2) Boch. Hieroz. 2, 31.

3) Reland. Pal. Illustr. p. 993.

πόλις, ἡ Νύσσα κοίλης Συρίας, Σκυθῶν πόλις πρότερον λεγομένη Βαίσων ὑπὸ τῶν βαρβάρων, alter autem: *Scythopolim, antea Nysam, a Libero patre, sepulta nutrice ibi Scythis deductis.* [1]). Ad hanc ipsam urbem referendum puto Ciceronianum illud: *Dionysos multos habemus, primum Iove et Proserpina natum, secundum Nilo, qui Nysam dicitur condidisse* [2]). Ex Nili vicinitate hanc urbem ab explicatoribus translatam in Indiam esse video. Haec quidem Amalecitarum urbs Graecis, quibus minima Asiae pars nota erat, ad varios errores ansas dedit. Alii sitam eam esse dicant in Aethiopia, alii in India. Herodotus quidem hanc urbem, quae in Dionysi fabula a Graecis celebrata erat, ultra Aegyptum in Aethiopiam removet. Quod autem hos Aethiopes dicit domicilia habere subterranea subiectosque Persis fuisse, id in Amorraeos omnino quadrat [3]). Herodotum secutus est Aristoteles, qui Nysam Libycam urbem ab eodem homine bis inveniri posse negavit, ob eamque causam ab Apollodoro vituperatus est. Posteriores scriptores, quum Nysam in Libya ne semel quidem inveniri posse viderent, omnino non habuerunt, quo Sophoclis illa:

"Οθεν κατεῖδον τὴν βεβακχιωμένην
Βροτοῖσι κλεινὴν Νύσσαν, ἣν ὁ Βουκέρως
Ἴακχος αὑτῷ μαῖαν ἡδίστην νέμει,
"Οπου τίς ὄρνις οὐχὶ κλαγγάνει.

et. altera de Lycurgo Edono dicta:

"Ος ποτε μαινομένοιο Διωνύσσοιο τιθήνας
Σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσσήϊον.

apte referre possent [4]). Quare Nysam urbem quamdam

1) Steph. B. s. v. Σκυθόπολις. Plin. h. n. 5, 16.
2) Cic. de nat. deorr. 3, 23.
3) Herodt. 2, 146. 3, 97.
4) Strabo Geogr. 7, 3, 6. 15, 1, 7.

in India esse finxerunt. Quod autem montem, quem Merum vocant, supra urbem exstare dicunt, id ad veram urbem Nysam haud absurdum est [1]). Non ignota quidem haec opinio Plinio fuit, nec tamen probata, ut haec eius verba indicant: *Necnon et Nysam urbem plerique Indiae adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum, unde origo fabulae Iovis semine editi.* Sed haec quidem hactenus.

Iam autem oritur quaestio perdifficilis, quomodo ex vetere nomine Bethsan novum illud Nysa nasci potuerit. Quamquam non ignoro, qui Graeca ex Hebraicis ducere conarentur, eos in magnos saepe incidisse errores: tamen de hac re si quid sentiam dicendum est, non possum, quin iddem errandi subeam periculum. Nomen Nysa ex Dionyso deo manasse, ex scriptoribus supra citatis patet. Duabus autem formis: Διόνυσος et Διόνυσσος duplex respondet nomen urbis: Νύσα et Νύσσα. Ad Dionysi igitur nominis originem videtur omnis haec quaestio nostra redire. Hebraicum igitur huius urbis nomen בּיתשׁמשׁ interpretes litteris Graecis scribere solent Βηθσαμύς, ex quo certum est, υ ultimae syllabae fuisse vocalem [2]). Apud Idumaeos autem usitatum urbis nomen erat בּיתשׁן vel בּיתשׁאן [3]) h. e. Βηθσιών, quod apud Iosephum recte scriptum videmus [4]). Erat autem hoc nihil quidem aliud nisi mutilatum בּיתשׁאנשׁ Βηθ-σιωνύς. Qui autem secum reputaverit, Idumaeos pro שׁן et שׁאן etiam תן et תאן enuntiasse, ei mirum non videbitur, quod Graeci non Σιωνὺς vel Ξιωνὺς nec Θιωνὺς vel Τιωνὺς

1) Strabo Georg. 15, 1, 8.

2) Iudicc. 1, 33. I. Regg. 6, 12. III. Regg. 4, 9. IV. Regg. 14, 11. I. Parall. 6, 59.

3) Ios. 17, 11. 16. Iudicc. 1, 27. I. Parall. 7, 29. alibi.

4) F. Ios. Antt. 6, 14, 8. Codd. Big. Lamb. Vat.

dixerunt sed quod ad eorum linguam aptius erat Διωνύσος vel Διονύσος vel etiam Διονύσσος. Hunc autem deum apud Idumaeos solem fuisse, duabus de causis concedendum est, et quod Graeci Bethsamys πόλιν ἡλίου interpretantur [1]) et quod שמש verbum omnino solis vim habet. Quodsi autem ponimus, Graecos a Chananaeis hunc deum accepisse; negare non possumus, alieno cum deo alienum eos etiam nomen assumpsisse. Sed illud iam non ut dubium quidquam attinet poni: sed ut certum potest demonstrari. Nam Graecorum de Dionyso fabulae, quae omnes ad hanc Chananaicam urbem vetustissimam pertinent, quid aliud indicant, quam ex his locis deum illum profectum esse ad Graecos? Quid, quod a Iove femore insutus Dionysus ad hanc urbem delatus esse traditur? Quid, quod in ea nutricem suam dicitur sepelivisse, eamdemque urbem condidisse? Quid haec et similia omnia demonstrant nisi hanc Nysam Dionysi esse patriam? Eum quidem in Graecia fuisse peregrinum, multa sunt, quae apertissime doceant. Eum autem ex hac ipsa regione illuc migrasse, constans testatur Graecorum memoria. Herodotus enim Dionysi nomen cultum sacrificia pompam Graecos dicit didicisse a Melampode, qui simul cum Cadmo ex Phoenicia in Graeciam venerat. Quod autem et Melampodem huius dei ceremonias et Graecos omnia numina ab Aegyptiis accepisse putat, magno in errore versatur [2]). Sed illud de Dionyso ad Graecos Europaeos revocandum censeo, quoniam Asiani iam pridem videntur hunc deum coluisse. Ac de Dionyso hoc loco satis dictum est.

---

1) Ios. 15, 10.
2) Herodt. 2, 49.

§. 27.

De Scytharum corporis natura et proprietatibus.

Quodsi ea quam proposuimus sententia vera est: eadem omnino Scythis, quae Idumaeis, propria fuerint ac peculiaria necesse est. Placet igitur primum de natura corporis ita disputare, ut quae de utraque gente a veteribus tradita sunt, breviter inter se conferamus.

Erant igitur quum omnes Idumaei tum vero maxime Amalecitae mira quadam ac singulari corporis pinguitudine. Hac corporis affectione non modo a Iudaeis sed a ceteris Asiae populis omnibus plurimum differebant. Paternum illud: *In pinguedine terrae erit benedictio tua,* tantam vim tamque magnam habuit efficaciam, ut non tantum pecudibus opibus divitiis bonis omnibus abundarent, sed pinguibus etiam opimisque corporibus quodam modo diffluerent. Priscus ille Og memoratu incredibile est, quanta fuerit corporis longitudine. Neque omnino degenerasse videtur gens Raphaica, quae ex illo Ogaea vet Gagaea nominata est. Agag certe is, quem Samuel trucidavit, homo fuisse pinguissimus traditur. Plurimum ad nostram sententiam valent prophetae, qui similitudines, quae sunt inter homines et ceteros animantes, et animi sagacitate admirabili indagare et describere orationis subtilitate solent, quique faciunt, ut veteres populos eorumque proprietates facultatesque videamus. Hi autem Amalecitas Idumaeosque cum pinguibus bobus saginatisque pecoribus comparare solent. Amos enim ita scribens: *Audite verbum hoc vaccae pingues Basanitidis, quae estis in monte Samariae, quae dicitis dominis vestris: Afferte et bibemus* [1]), mulieres

1) Amos 4, 1. LXX. δαμάλεις τῆς Βασανίτιδος. Notandum est, a

Amaleciticas propter adipis abundantiam vaccis similes fuisse significat, easque et ipsas vino deditas et coniuges suos ad bibendum admonuisse docet. Quoniam autem numquam nimii sunt in reprehendendo prophetae, numquam iniqui: immoderatam in his mulieribus ad potandum libidinem adipisque vim immensam fastidiosamque fuisse dicendum est. Iesaias autem loquens de Idumaeis Armeniis: *Et erit*, inquit, *in die illa, attenuabitur gloria Iacob, et pinguedo carnis eius (Domasci Esavi) marcescet*. Haec ille quidem praeclare ut omnia. Israel, quum ei dominus, Isaaco vate et deprecatore, solem iustitiae lumenque sempiternum promisisset, statim iam splendorem summum gloriamque acceperat; Edom contra ex patris promisso adipe pinguedineque donatus est. Sed die illo, ait propheta, huius gloria, ut sol, obstante luna, deficiet; illius vero adeps omnino marcescet. *Neque enim tu, Edom, Damasce, melior es filiis Israel* [1])! Idem alio loco haec vaticinatus est: *Ecce super Idumaeam gladius meus descendet et super populum interfectionis meae ad iudicium. Gladius domini repletus est sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom. Et descendent unicornes cum eis et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine et eorum adipe pingium* [2]). Quorum uxores vaccas pingues vocavit Amos, eos ipsos Iesaias appellat arietes medullatos, unicornes atque tauros.

---

correctoribus, qui etiam urbem Basan vocari ignorarunt, hoc verbum ex libris Hebraicis deletum esse. Amaleciticas autem mulieres designatas esse, vix attinet dicere.

1) Ies. 17, 3. ss. *Οὐ γὰρ σὺ βελτίων εἶ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ καὶ τῆς δόξης αὐτῶν· τάδε λέγει Κύριος Σαβαώθ, Ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔκλειψις τῆς δόξης Ἰακώβ, καὶ τὰ πίονα τῆς δόξης αὐτοῦ σεισθήσεται.*

2) Ies. 34, 5. ss.

Significant autem, mea quidem sententia, agni hirci arietes cives in universum, unicornes autem reges ac principes, tauri vero sacerdotes atque eunuchos. Tanta autem in his omnibus tamque immensa sanguinis adipisque vis est, ut eam in viscera sua terra vix nec sine ebrietatis timore recipere possit. Id igitur ex libris sacris constat, Idumaeis Amalecitisque ex omnibus gentibus plurimum fuisse adipis. Huius rei causam fuisse puto ebriositatem vitaeque per plures menses tranquillitatem atque ignaviam. Eorum autem iuventutem corporis viribus membrorumque facultate fuisse insignem, ex eorum rebus gestis satis elucet.

In Scythis vero eamdem fuisse corporis virtutem dexteritatem velocitatem, ex eorum historia exploratum habemus [1]). De reliqua autem corporis affectione doctum audiamus hominem et qui harum rerum rite se peritum esse profitetur Hippocratem. Is primum quidem de Sauromatis loquitur, deinde de eis qui proprie vereque Scythae appellantur. *Hos quidem posteriores omnes inter se esse similes* ait, *a reliquis autem hominibus maxime diversos, quod iddem cadat in Aegyptios.* Nec mirum, quoniam Idumaei omnes uno patre nati gentem suam puram integramque conservaverant. Quae res quantum valeat, etiam nostra aetate ex Iudaeis conspici potest. Qua quidem in gente neque locorum coelique varietas, neque temporum longitudo communem omnibus corporis formam facieique lineamenta delere potuit. Quod autem ex Hippocratis verbis discimus, iddem ex antiquae artis operibus oculis possumus percipere. Nam Amazonum simulacra, quae nobis sunt servata, omnia inter se tam similia sunt quam ovo ovum. *Scythas autem*

---

1) Iustin. hist. 2, 3: Gens et laboribus et bellis aspera; vires corporum immensae.

esse ait, *ut Aegyptios, corpore compressos; hos quidem magna vi frigoris, illos vero caloris.* Hippocrates maximam animadvertit esse inter Scythas et Aegyptios similitudinem, quam ipse quidem frigori, nos autem et cognationi cum Aegyptiis et pristinarum sedum vicinitati tribuendam censemus. Nam Amorraei, ex quibus Amalecitae et matrem et primas uxores habebant, Aegyptiis consanguinitate coniuncti erant. Rei verae falsam supposuit causam. Quod iddem ei accidit, quum dicit, *colore eos esse valde fulvo propter frigus ingens, quum solis ardor ad eos non accedat, frigoris autem vi evanescere colorem album ac flavescere.* Neque enim dubito, quin coloris fulvi, qui in Scythis erat, eaedem causae fuerint quas diximus, coelum calidum, sub quo primum habitaverant, eorumque cum Chananaeis coniunctio. Haec fere Hippocrates de Scythis in universum, de eis autem qui Nomades vocantur hoc modo loquitur: *Eorum corpora esse crassa ac carnosa. Humidos ac pingues quum universos esse ventriculos tum vero maxime inferiores alvos. Adipe ac pinguedine effici, ut formae inter se omnes sint similes, masculorum masculis, feminarum feminis. Quum autem adipe iuncturae humectae sint et invalidae, plerosque exurere manus brachia humeros pectora coxas atque lumbos, ut eis membris humorem adipemque detrahant. Neque enim arcus eos posse intendere, neque tela torquere; propterea quod humeri sint adipis abundantia impotentes. Membris autem exustis detractoque humore, corpora evadere validiora magisque ad articulorum usum potentia. Mulierum autem formae figuraeque, mirandum esse; quam sint pingues atque fluxae.* His quidem ab Hippocrate dictis non habeo, quae addam; quoniam Scytharum adeps copiosius accuratius distinctius describi non potuit nisi vel rebus eis expositis, quae ex eius

abundantia nascerentur, vel remediis, quibus ista tolleretur. Erant igitur etiam hac in re Idumaei et Scythae inter se quam maxime pares atque aequales; neque immerito eorum feminae vaccae pingues, mares autem vel arietes saginati vel tauri appellati sunt.

§. 28.

De Scytharum ingenio animìque cultu.

Postquam de Scytharum corporibus dictum est, sequitur, ut de altera hominis parte de animo quaeramus. Quod ita faciemus, ut de Idumaeis Scythisque disseramus et utrosque inter se comparemus.

Vt recte exponatur, quid ingenii Idumaeis, quaeque humanitas fuerit, ad eorum parentes Chaldaeos redeundum est. Chaldaeorum doctrina ac sapientia ab omni antiquitate celebrata est. Primi enim omnium gentium Chaldaei stellarum cursus observarunt, spatium anni accurate definiverunt, solis lunaeque defectiones notarunt ac praedixerunt, omne denique coeli dimetiendi studium ad doctrinae rationem redegerunt. Qui autem tantos in astrologia progressus fecerunt, in eis mirum esset, nisi etiam magna omnium humanarum naturaliumque rerum scientia, nisi aequalis etiam cultus, humanitas atque urbanitas fuisset. Idumaei autem, qui eruditionem humanam a maioribus suis, aliquam autem institutionem divinam a parentibus Abrahamo eiusque filio acceperant, ceteris certe Chaldaeis non erant inferiores. Quare facile effecerunt, ut sapientiae laudem etiam apud Iudaeos consequerentur. A Moyse nobis tradita sunt Balaamis vaticinia, quem Idumaeum regisque fratrem diximus. Ea, quamquam divinitus edita sunt, tamen et vatem ipsum et eius populum haud mediocri ingenio eximiaque doctrina fuisse testantur. Prophetae autem, qui multo post fue-

runt, Idumaeorum sapientiam, quum nullam fore dicunt, esse certe aliquam indicant. Abdias enim ita: *Numquid in die illa dicit dominus perdam sapientes de Idumaea et prudentiam de monte Esau* [1]? Ieremias autem *ad Idumaeam* conversus, *Haec*, inquit, *dicit dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Thaeman? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum* [2]. Quum autem Iudaei omnes tum vero vates ei erant, qui rite possent de humano civilique cultu aestimare.

Vetus opinio est, a quibusdam rerum scriptoribus primum ficta, deinde ab historiae magistris tradita ac divulgata, Scythas fuisse sic immanitate efferatos, ut apud eos nulla suspicio humanitatis ac litterarum esset. Sed haec opinio, quae inde videtur orta, quod Scythae cum Getis aliisque barbaris commutati sunt, quodque victum corporisque cultum neglexerunt [3], iam a veteribus improbata ac refutata est. Equidem certe non negaverim, in hac gente detestabilem fuisse et in hostes crudelitatem et in exteros saevitiam et omnium morum feritatem. Neque tamen ex moribus aequum iudicium de ingenio esse posse credo. Quid enim? David, fortis gentis fortissimus, qui in conficiendis dei imperiis tam constans tamque strenuus fuit, ut eius facta, quae nobis videntur esse divina, mollioribus quibusdam hominibus non nimis visa sint humana, nonne animo erat tenerrimo ingenioque elegantissimo? Fortis certe animus, etiamsi paullum ad atrocitatem inclinat, et ingenium poeticum in eodem homine esse potest. Ac mea qui-

---

1) Abd. 1, 8.

2) Ier. 49, 7.

3) Thucid. 2, 97. De Scythis universis: οὐ μὴν οὐδ' ἐς τὴν ἄλλην εὐβουλίαν καὶ ξύνεσιν περὶ τῶν παρόντων ἐς τὸν βίον ἄλλοις ὁμοιοῦνται.

dem sententia Horatius, poeta egregius, si fortiori fuisset animo, magis etiam in poetarum arte excelluisset. Ignavia enim ad turpitudinem propensa est, fortitudo haud facile ab honestate deficit. Est autem mira quaedam honesti et pulchri quod dicunt coniunctio, qua fit, ut alterum qui deserit, ne alterum quidem assequi possit. Scythas igitur, ut redeat oratio unde deflexit, etiamsi saevi crudeles immanes fuerint, tamen eos haud continuo litterarum rudes ab omnique humanitate alienos dixerim. Quin etiam liberalibus artibus eidem adeo videntur fuisse instructi, ut antiquis temporibus etiam cum Graecis contenderent. Haec res, nisi fallor, indicata est certamine Graeci Apollinis cum Marsya, quem ille superatum ex Scytharum more cute spoliavit. Sed quid fabulas sequimur, quum certissimis argumentis abundemus? Nam Anacharsis, Scytha, exteram sapientiam professus neque discendi causa sed docendi peregrinatus, nonne tantam totius Graeciae laudem est assecutus, ut inter septem sapientes haberetur? Graeci autem aut ab hoc sapientiam aut a ceteris Scythis tam multas ceremonias religionesque recepissent, nisi aliquam illi prae se speciem humanitatis tulissent? Sin autem illiterati omnino ac rudes fuerunt, qui Graecorum tantum interfuit de Scythicis rebus certi quid scire, ut Herodotus de eis diligentissime scriberet? Sed hunc quidem ipsum iam audiamus. Primum Cyaxarem ait tradidisse Scythis Medorum pueros, ut ab eis et linguam et sagittariorum artem discerent [1]). Ex quo coniici potest, illos scripta omniaque ea habuisse quae ad vitae honestatem pertinent eosque Medis educatione ac disciplina praestitisse. Deinde vero de Ponticis populis dicens,

1) Herodt. 1, 73.

Pontus Euxinus, inquit, *in quem expeditionem fecit Dareus, regionum omnium fert, excepta Scythica, gentes ineruditissimas. Neque enim gentem Ponticam ullam possumus proferre sapientiae ergo, neque hominem doctum scimus fuisse praeter Scythicam gentem et Anacharsidem. A Scythico autem genere humanarum rerum una maxima, quod nos quidem scimus, omnium sapientissime inventa est; neque enim cetera admiror* [1]). Herodotus certe non sacerdotes Scythicos aut principes sed mercatores tantummodo conveniendi facultatem habuit. Attamen illi huius animum tantopere arripuerunt, ut ex eis de universa gente iudicaret, Scythicis rebus magnam libri quarti partem tribueret, ex eisque quaereret de ceteris nationibus. Satis autem ex eius verbis apparet, Scythas non modo tam indoctos, quam quidam volunt, tamque rudes, sed ne alienos quidem fuisse a philosophia. Quod autem se Herodotus dicit cetera non mirari, ad Graecos Graecum scribere sciamus. Quid enim apud barbaros inveniri potuit, quod Graecis liceret admirari, qui sapientiam sibi solis vindicarent, quique liberales artes doctrinasque omnes se ad perfectionem perduxisse scirent? Quod igitur Herodotus Scythas sapientes litteratos eruditosque fuisse dicit, ex eo haud mediocrem eorum fuisse sapientiam iudicandum est. Quoniam autem apud eos sacerdotes vel eunuchi litteris vacabant, haud sane mirum est, quod a sacris scriptoribus fuisse in Idumaeis sapientes traduntur, quodque philosophi e Scythia in Graeciam venisse dicuntur. Neque igitur in hac quidem re est, quod differat inter Scythas et Idumaeos.

---

1) Herodt. 4, 46.

§. 29.

De vitae genere moribusque Scytharum.

Idumaei, ut supra dictum est, generis sui auctorem secuti, hortos vineta oliveta agrosque colebant. Quidam autem, quorum in numero erant Amalecitae, victum quaerebant ex gregibus atque armentis. In re militari multum studium operamque collocabant, eratque in eis, qui cum gregibus vagabantur, praedandi maxima cupido. Mutatis autem sedibus, vita quoque mutanda erat novisque locis accommodanda. Veluti quum Arabiam incolebant, ad eas quas in Iudaeam fecerunt incursiones camelis utebantur. Quum autem in Armeniam Syriamque migrassent, pro camelis habere equos coeperunt. Quamquam enim illis ibi non omnino carebant [1], tamen hos ad bellum gerendum viderunt esse praeferendos. Ceterum eamdem in Armenia vel nomadum vel agricolarum vitam retinere poterant. Ad septentrionem autem recedere quum cogerentur, non modo camelos asinosve [2] sed ne omnes quidem pecudes coelum frigidum perferre cognoverunt. Itaque pro camelis pro domibus tabernaculisque uti plaustris coeperunt, quibus a mulieribus liberisque ventos pluvias frigora prohiberent. Amalecitae igitur eamdem pastorum vitam secuti, semper vagi; qua nox coegit, sedes habebant [3]. Praeterea quum in expeditionibus, ut consueverant, greges secum agere non possent, illud invenerunt, ut equas mulge-

---

1) IV. Regg. 8, 9.

1) De Scythico gelu v. Aristot. Probll. 20, 21. Plutarch. vitt. parr. edt. Sintenis. I. p. 1. De asinis Aristot. hist. animm. 8, 25. 8, 28, 9. et de gen. animm. 2, 8, 14.

3) Herodt. 4. Hippocr. l. c. Iustin. 2, 2. Lucian. Icar. 16. alii.

rent, earumque lacte caseoque, quem ἱππάκην Graeci vocarunt, vescerentur [1]). His rebus contenti incredibili virtute non solum multorum dierum itinera fecerunt [2]), sed etiam pugnarum interdum labores sustinuerunt. Eam ob causam ad expeditiones potissimum equas et eas etiam gravidas adhibere solebant, quae equites et ferrent et nutrirent [3]). Equos autem, ut obedientiores haberent, castrabant, quam consuetudinem Scythis Sauromatisque peculiarem dicit esse Strabo [4]). Videtur igitur ad has gentes respectum habuisse Moyses, quum Iudaeis legem ferret *ne domino animal offerrent, quod vel contritis vel tonsis esset vel sectis ablatisque testiculis, neve hoc omnino in terra sua facerent* [5]). Sed etiam aliis in rebus omnibus Scythae et Idumaei inter se pares sunt atque aequales. Est enim eadem in eis vitae ratio, quum alii rei pecuariae alii agricularae studerent, eadem praedas agendi cupido [6]), telorum genus iddem, eadem in arte sagittandi facultas [7]), eadem et corporis fortitudo [8]) et animi iracundia ac constantia [9]),

---

1) Herodt. 4, 2. Hippocr. de morb. 4, 25. Dioscor. de caseo 2, 80. Plin. h. n. 25, 44.

2) Radice dulci et hippace vescentes usque ad undecimum diem famem sitimque tolerabant. Theophrast. hist. plantt. 9, 3, 2.

3) Plin. l. c. 8, 66. Aristot. hist. animm. 6, 22, 7.

4) Strab. Geogr. 7, 4, 8.

5) Levit. 22, 24.

6) De Scythis Tauriis Diod. Sic. bibl. 20, 25.

7) Tanta erat eorum dexteritas, ut non modo sinistra agerent arcum, et dextera sagittam depromerent, sed ut utraque ad utrumque uterentur. Plat. Legg. 7, 795. A. Eosdem arcuum usu inter omnes excellere testatur Xenoph. Comm. 3, 9, 2. cf. Lucian. Herm. 33. Tox. 8.

8) Plat. Lach. 191, A. pugnare eos dicit quum persequentes tum vero etiam fugientes. Recedere eos pugnantes Plutarch. vitt. parr. edt. c. III. p. 68.

9) De eorum iracundia Plat. de rep. 4, 435, E. Propter calorem fortitudinemque eos vini cupidos dicit Aristot. Probll. 3, 7.

eadem denique aetatem in armis belloque agendi perseverantia [1]).

Sed de moribus Scytharum res postulare videtur, ut paullo accuratius dicatur. Primum quidem ad ebriositatem, ad intemperantiam incontinentiamque Idumaei Scythaeque, mares ac feminae aeque erant propensi. Amalecitas epulantes, potantes voluptateque gestientes David improviso oppressit. Postea eorum rex Benadad principes ad vinum excitavit ebriusque ex Israelitarum manibus aufugit. Amaleciticae autem mulieres in vinum tam erant pronae, ut etiam maritos ad potandum adhortarentur. Ac suspicor, etiam Mardochaei aetate hanc gentem in epulis magnam partem captam iugulatamque esse. Hinc factum est, ut in primis Liberum patrem divinis honoribus prosequerentur. Cadere autem hoc iddem intemperantiae vitium in Scythas, factis testimoniisque probari potest. Plato in Legum libro primo eos ita moratos esse ait, ut mares feminaeque si vino intemperanter uterentur atque in vestes defunderent, honestum sese quiddam beatumque facere arbitrarentur [2]). Aristoteles, quid esset, cur Scythae vino se obruere solerent, inquirendum putavit [3]). Plutarchus eos scribit solitos, quum ebrii essent, arcuum tangere nervos, quasi dissolutum voluptate animum revocare vellent [4]). Dio Cassius autem eos omnes dicit esse ad ebriositatem propensos eosque a Crasso in Asia vino oneratos ac superatos [5]). Sed quid testes? quum Graecorum verbum σκυθοπιεῖν hanc rem magis diserte quam testes indicare

1) De invicta eorum potentia testantur Thucidides l. c. et Isocrates orat. 4, 67. de perpetuis eorum bellis Lucian. Tox. 36.

2) Plat. Legg. 1, 637, D.

3) Aristot. Probll. l. c.

4) Plutarch. vitt. parr. IV. p. 310. edt. c.

5) Dio Cass. h. R. 2, p. 461.

videatur. Ex hoc vitio et corporis adeps et effusa nata est in omni intemperantia libido. Idumaei enim et plures unusquisque uxores et praeterea earum pellices habere consueverunt. Ad hoc omnia impuritatis genera terrae deae et lunae virgini sacra erant. De Scythis autem omnino iddem traditum est. Nam ancillae, teste Hippocrate, apud eos pellices erant herorum [1]). Quod etiam ex eo concludi potest, quod Scilurus, Scytharum rex, quinquaginta vel octoginta filios habuisse traditur [2]).

Sed horum mores eo maxime infamati sunt, quod quidam scriptores aliorum barbarorum instituta factaque falso ad eos transtulerunt. Nam quum Scytharum nomen tam late pateret, ut Massagetae septentrionalesque populi omnes ita appellarentur: quae illis propria erat immanitas his promiscue tributa est. Magnae certe crudelitatis est, servos excaecare, hostiles homines peregrinosque summo supplicio mactare, sepeliendis regibus quinquagenos iugulare ministros. Haec quidem omnia adscribuntur Scytharum moribus ab Herodoto, sed crimina crudeliora ab aliis scriptoribus. Eiusmodi sunt, quod incredibili diritate parentes interficere, quod carne humana paternaque vesci traduntur. Origenes enim contra Celsum disputans, *Dicas velim*, inquit, *rectene se habeant Scytharum leges de interimendis patribus* [3]). Tertullianus autem in Apolog.: *Aiunt apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi.* Iddem illud Lucianus testatur [4]). Sed hanc gentem, quae

1) Hippocr. de aëre, aquis et locis l. c.

2) Strab. Geogr. 7, 4, 3. Ἅμα πρός τε τοὺς Σκύθας ἐπολέμει Σκιλοῦρον τε καὶ τοὺς Σκιλούρου παῖδας τοὺς περὶ Πάλακον, οὓς Ποσειδώνιος μὲν πεντήκοντα φησὶν Ἀπολλωνίδης δὲ ὀγδοήκοντα.

3) Orig. c. Cels. 5, 27. p. 597.

4) Lucian. diall. deorum 16. de luct. 21.

tam dira facinora perpetrabat, Herodotus a Scythis omnino separatam esse voluit. Dicit enim *Androphagorum gentem esse propriam nequaquam Scythicam* [1]). Cum eo autem consentiunt Strabo, Aelianus, Hieronymus, Theodoretus, alii. Qui quidem omnes non Scythas, sed Massagetas ac Derbices tanta dicunt fuisse immanitate, ut vel iugularent patres senes, vel eorum carnem consumerent [2]). Sed hoc uno exemplo satis apparet, Scythas ob feros incultosque mores infames fuisse, quod eis aliorum crudelitas diritasque attribueretur. Quare iam antiquis temporibus scriptores duos nacti sunt qui eorum patrocinium susciperent, Ephorum et Strabonem. Superior ille quidem diversas eorum gentes inter se separandas esse dicit. *Neque enim aliorum Scytharum neque Sauromatarum unum esse vitae institutum; quosdam adeo barbaros esse, ut humanis etiam carnibus vescerentur; alios contra a ceteris etiam animalibus abstinere. Fuisse autem,* ait, *qui exponerent ea, quae ad eorum feritatem pertinerent, scientes, stupenda esse immania et admirabilia. Oportere autem contraria et dicere et exempla proferre. Sese igitur de eis verba facturum, qui iustissimis uterentur moribus. Esse enim quosdam ex Nomadibus Scythis, qui equarum lacte alerentur, iustitia prae omnibus distinctos. Mentionem autem eorum fecisse poetas, Homerum quidem dicentem, Iovem terram respexisse*

Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν,
Γλακτοφάγων ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων,

Hesiodum autem in terrae quem dicunt circuitu, Phineum ab Harpyis abductum esse

---

1) Herodt. 4, 18.

2) Strabo Geogr. 11, 8, 6. 11, 11, 8. Aelian. Variarr. 4, 1. Hieron. adv. Iov. Theodor. serm. 9. tom. 4. p. 615.

Γλακτοφάγων εἰς γαῖαν ἀπήναις οἰκί' ἐχόντων.

Deinde huius eorum iustitiae causis expositis, etiam Choerilum laudat dicentem in transitu pontis quem iunxit Dareus:

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾷ Σκύθαι αὐτὰρ ἔναιον
Ἀσίδα πυροφόρον· νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι
Ἀνθρώπων νομίμων [1]).

Strabo autem probare conatur, illos Homeri versus ad Scythas vere recteque pertinere. *Nam qui ab Homero equimulgi, lacte vescentes victuque carentes dicerentur, eos etiam tunc in curribus habitare, Nomades vocari, e pecore, e lacte, caseo, maxime equino victitare, neque reponendi proventus neque cauponandi artem nosse praeter mercium quamdam permutationem. Hos autem equimulgos ab antiquis esse appellatos, Hesiodum testem esse in versibus ab Eratosthene adscriptis:*

Αἰθίοπάς τε Λίγυς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς.

Pristinae autem illius iustitiae causam apud Scythas simplicem fuisse agrestemque vitae rationem. Aperte autem ad poetae sententiam accedere Aeschylum, dicentem de Scythis:

Ἀλλ' ἱππάκης βρωτῆρες εὔνομοι Σκύθαι.

Praeterea Anacharsidem Abarim et quosdam eiusmodi alios apud Graecos in magna existimatione fuisse, quod facilitatis simplicitatis iustitiaeque gentilitiam prae se speciem ferrent. Postremo ad sententiam suam comprobandam nonnulla ex historia exempla sumpsit [2]). Ac non incultos, ut vulgo putant, neque rudes aut omnium crudelissimos fuisse Scythas satis apparet. Quae quum ita sint, rationis vivendi, iracundiae et intempe-

---

1) Ephorus histor. 4. apud Strabonem Geogr. 7, 3, 9.

2) Strabo l. c. 7, s. cf. Iustin. hist. 2, 2: Iustitia gentis ingeniis culta non legibus.

rantiae, dexteritatis ac fortitudinis inter Scythas Idumaeosque summam videmus esse consensionem; neque ceterorum morum ullam discrepantiam.

Commentatio, quam de Chananaeorum Scytharumque deis ad finem voluminis reposuimus, ad hunc locum pertinet. Eam lectores velim hoc tempore perlegant, quoniam quae futurae sunt disputationes ad eam saepius redibunt.

§. 30.

De ludis Martialibus apud Scythas de aliisque ceremoniis ac religionibus.

Ab ea pietate, quae in Abrahamo atque Isaaco fuit, quomodo Scythae et quantum discesserint, ex superioribus locis evidens esse puto. Sed plurium deorum impietas, quamquam sanctitatem morum vitaeque integritatem corrupit multaque instituta a patribus tradita abrogavit, tamen neque leges ceremoniasque omnes tollere neque religionem aut e vita aut ex animis radicitus eruere potuit. De eiusmodi autem rebus quas a maioribus acceptas ad recentiorem memoriam retinuerunt, hoc loco, ut propositum est, tractabimus. Ac primum quidem de Martialibus ludis, post de aliis institutis.

De Martialibus igitur Herodotus diligenter a Scythis sciscitatus, *Secundum leges*, inquit, *in singulis magistratuum provinciis Martis fanum tale quoddam ab eis exstruitur. Sarmentorum fasces coguntur ad longitudinem latitudinemque trium stadiorum, minorem autem altitudinem. Supra quadrata planities efficitur, cuius latera tria praerupta sunt, quartum acclive, per quod ascendi potest. Quotannis autem (veteri strui) imponunt sarmentorum plaustra centum quinquaginta, desidet enim semper propter pluvias. In hac strue*

ferreus acinaces, quem suum quique antiquum habent, constituitur, et id quidem est Martis simulacrum. Huic autem acinaci annuas hostias immolant oves et equos, atque his quidem plus etiam sacrificant quam ceteris deis. Ex hostibus vero quos vivos ceperunt, centesimum quemque mactant non eodem quo oves modo sed diverso. Vbi enim vinum libarunt super capita, trucidant homines ad vas quoddam, ac dein in summam virgultorum struem apportantes perfundunt sanguine acinacem; supra quidem sanguinem illum afferunt, ad imum fanum autem haec faciunt. Interemptorum hominum dexteros humeros omnes praecidunt eosque cum manibus in aerem iaciunt, et deinde, reliquis etiam sacris factis, decedunt. Manus autem, ubicumque cecidit, iacet ac seorsum cadaver. Haec quidem Herodotus [1]).

Eiusmodi ludos Israelitae per quadraginta annos, quum in deserto essent, Marti videntur peregisse. Neque vero in libris Moysis, huius rei mentio est sed apud Amos prophetam eum, qui populi peccata omnia profert vehementissimeque reprehendit. Rei autem novitas, ut arbitror, interpretibus tenebras offudit; idque eo magis, quod apud Graecos interpretes verbum, quod magni ponderis est, corruptum legitur. Sed primum quidem locum eum ex Hebraicis litteris conabimur interpretari deinde illustrare. Amos igitur iudicium dei indicens, *Numquid hostias et sacrificium,* inquit, *obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel? Scilicet exstruxistis tabernaculum Melchom et acinacem Salmae vestri, stellae dei vestri, quem fecistis vobis* [2]). Quod Scythae ex frondibus virgultorumque fasciculis con-

1) Herodt. 4, 62.
2) Amos. Hebr. 5, 25. 26. Actt. Apostt. 7, 43.

struere solebant, id Herodotus ex Scytharum sententia vel ἱϱὸν *fanum* vel νηὸν *templum* appellat. Erat igitur strues illa ex frondibus facta templum quoddam Martis ac quasi tabernaculum. Eiusmodi autem tabernaculum propheta intelligi vult, quum dicit: *exstruxistis tabernaculum* (סכות, LXX. τὴν σκηνὴν). Deum autem, cui eius generis tabernaculum fiebat, vocat מלכּכם, quem nos Ephraem Syrum [1]) secuti Melchom interpretati sumus. De huius nominis significatione antea diximus. [2]). Quodsi autem quis hoc verbum vel *regis* vel *Moloch vestri* reddere volet, non vehementer repugnabo, quoniam sententia non immutabitur. Est enim unus idemque deus, qui vel *Moloch* vel *rex* vel *rex Chom* vel *Mars* dicitur.

Neque vero propheta templum solum, sed etiam signum Martis, quod pro simulacro constituebant, hoc loco commemorat. Dicit enim: *et constituistis acinacem*. Ita enim intelligendum esse dico verbum כיון. Quod quidem incredibile est quot et quantas ad errandum ansas dederit. Sed in hoc eodem verbo perspici potest, interpretationem Graecam non sine singulari dei voluntate esse factam. Nam quum vox Graeca qua verbum illud explicatur, depravata esset, factum est, quod aiunt, ut aqua haerere inciperet. In verbo autem Hebraico dubium non est, quin minime erraverint ei, qui illud ipsum Chevon retinuerunt. Hi enim ab explicatione sese temperare quam errare in erroremque inducere maluerunt. Quod Ephraem Syrum et Moversium fecisse video [3]). Sed ut varias ac discrepantes opiniones prae-

---

1) Ephr. Syr. Comm. ad h. loc.: *Sed gestastis tabernaculum Melchom et idolum vestrum Chevon.*

2) In excursu.

3) Ephr. l. c. Movers Phoen. I. p. 356.

termittam, כיון iddem est quod כידון. Est enim vocis כיון perfecta forma נכון; quam quidem iddem valere ac כידון, ex duobus locis II. Regg. 6, 6. et I. Parall. 13, 9. qui inter se congruunt, clare perspicitur. His autem verbis quaenam significatio subsit, duplici ratione assequi possumus. Primum quidem inter omnes convenit, vocabulum כידון significare *telum* vel *iaculum* vel *ensem*. Quoniam autem iddem est כיון vel נכון, non potest significare aliud, quam telum. Deinde quum haec vox a percutiendi verbo נכה ducenda sit, iddem sit necesse est, quod *ensis gladius acinaces*. Et ita quidem Graeci eam interpretati sunt. Scripserunt enim: *καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ* Μολὸχ, *καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, ῥαμφὴν τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς*. Ῥαμφὴ autem, quam vocem Hesychius *κοπὶς, μάχαιρα* explicat, iddem est quod *ῥομφαία*. Quum autem forma illa rarior esset, librariis accidit, ut in ea laberentur. Itaque alii scripserunt *ῥαιφὰν*, quem Gesenius Kircherus Iablonskius deum Aegyptium existimaverunt [1], alii autem *ῥομφᾶ* [2]) quod ex scriptura *ῥομφαίαν* videtur esse ortum. Hoc igitur iam effectum sit, Hebraeos in deserto et tabernaculum Martis exstruxisse et constituisse ensem. Erat autem ensis vel acinaces non alius dei sed eiusdem Moloch vel Martis. Ne tamen iddem nomen propheta iteraret, alterum posuit צלמא· Quod quidem hoc loco non, quod dicunt, appellativum sed proprium est. Valet autem iddem quod שלמא, *Salma*, iddem quod *Nebo*. Proprie quidem declarat *Martem*, deinde etiam *stellam Martis* [3]). Ne autem lectores *Salma* omnino *ima-*

---

1) Gesen. l. m. s. h. v. Kircher. ling. aeg. rest. p. 49. Iablonsk. opuscc. 2, p. 1. ss.

2) V. varias scripturas apud Lachmannium, Nov. Test. Gr. et Lat. Actt. Apostt. 7, 43.

3) Ioann. Chrysost. Synops. script. sacr. s. v. Amos VI. p. 390.

ginem simulacrum idolum significare arbitrarentur, Amos diligenter et distincte scribens addidit, *stellae eius dei, quem fecistis vobis*, h. e. *Moloch Martis*. Sed haec quidem de loco apud Amos difficillimo dicta sint.

Quemadmodum primi Christianae doctrinae magistri, qua erant prudentia et circumspectione, interdum ludos aliaque instituta a superstitione ad veritatem revocare potius quam religionem omnino in periculum adducere maluerunt: sic etiam Moyses Martialium vim ac naturam immutare, quam eos penitus tollere pro animorum imbecillitate praestare putavit. Quamobrem ludos ita instituit, ut et Iudaeorum infirmitati consuleret, et omnem ab eis superstitionem inhumanitatemque prohiberet. Primum igitur quos dies Marti tribuerant, eos deo uni et vivo eodemque vero consecrari iussit: *A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriae tabernaculorum septem diebus domino*. Et item: *hae sunt feriae domini*. Neque Marti amplius, sed iam deo creatori sacra fieri voluit: *Et septem diebus offeretis holocausta domino*, et itidem: *offeretis in eis oblationes domino, holocausta et libamenta iuxta ritum uniuscuiusque diei*. Quumque antea effuso se gaudio dedissent, gaudium ad laetitiae modum temperavit: *Et laetabimini coram domino deo vestro*. Quum ita dies festos sacrificia laetitiamque ad deum optimum reduxisset, omne superstitionis falsaeque religionis periculum tollendum esse censuit. Quamobcausam illud gaudium, quod ex secandis conferendisque ramis ac frondibus capere solebant, eis libenter concessit, sed imperavit, ut non deo sed sibi ipsis tabernacula exstruerent. *Sumetis vobis*...

Saturni hoc sidus esse putavit. Ἄστρον θεοῦ Ῥαιφὰν (Ῥαφὰν) τὸν Κρόνον λέγει, ἐπειδὴ οἱ Ἕλληνες τῷ θεῷ αὐτῶν Κρόνῳ καὶ ἄστρον εἶναί φασιν ἐν οὐρανῷ καὶ αὐτὸ Κρόνον καλοῦσι.

*

spatulas palmarum et ramos ligni densarum frondium et salices de torrente ... et habitabitis in umbraculis septem diebus. Quod si facerent, recordarentur eorum dierum, quum maiores in deserto tabernaculis pro domibus uterentur. *Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, quum educerem eos de terra Aegypti.* Priores autem homines bellicosi haec laeta egerunt propter praedam, quam per annum ex hostibus egerant. Moyses, quum Iudaeorum animos a bello gerendo ad agriculturam traducere ac mitigare studeret, ita instituit, ut propter fructus, quorum copiam ex agris, e vitibus olivetisque non sine magno labore perceperant, hos dies quieti darent ac gratias deo agerent. *Quando congregaveritis omnes fructus terrae vestrae, celebrabitis ferias domini.* Et alio loco: *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas.* Ne tamen huius rei significatio deesset, Moyses ita praecepit: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimae.* Praeterea eos vesci fructibus, quos terra genuerat, atque epulari iussit. *Et epulaberis in festivitate tua ... benedicetque tibi dominus deus tuus in cunctis frugibus tuis et in omni opere manuum tuarum erisque in laetitia.* Haec quidem ex libris sacris [1]). Ex aliis autem Iudaeorum scriptis cognoscimus suum quemque ramorum fasciculum facere manibusque gestare esse solitum, quae consuetudo fortasse ex eo originem duxit, quod antiquitus ex fasciculis Martis fanum fabricabantur. Ad hoc eos aquam libasse accepimus [2]). Quae quidem res videtur pro sanguinis libamine

---

1) Lev. 23, 34. ss. Deut. 15, 13. ss. Neh. 8, 15. ss.
2) Buxtorfi Syn. Iud. c. 21.

esse substituta. Rem uberius tractavimus eo consilio, ut hoc exemplo aestimari posset, quam arduum, quamque difficile fuisset, mobiles Iudaeorum animos et ad superstitionem propensos ad pietatem sanctitatisque constantiam conformare eosque reddere idoneos, qui revelatam doctrinam veramque religionem usque ad Christum integram servarent.

Iam videamus de reliquis horum ludorum rationibus. Quod Scythae sanguinem patera excipere atque acinaci infundere solebant, haud ignotum est, Iudaeis a Moyse esse mandatum, ut sanguinem ex hostia haustum et altari circumfunderent et cornibus adspergerent. Quod autem humerum dexterum manumque hostibus abscidebant, iddem Iudaeos, Iuda regnante, fecisse scimus. Ille enim dexterum humerum manumque Nicanoris amputari ac contra templum suspendi iussit [1]. Neque vero praetereundum est, quod Herodotus Marti Scythas sacra plura dicit facere quam ceteris deis omnibus. Ex eo enim debet intelligi, solem, quem vel Martem vel Apollinem dicere possumus, eorum deum fuisse patrium. Denique oves deo suo mactabant, quod et ipsi et Iudaei ita a maioribus acceperant, equos autem sacrificabant, quo magis solem esse deum suum declararent.

Sed quoniam oratio ad sacrificia devenit, omnino de ratione dicamus, qua Scythae hostias immolare solebant. Apud Herodotum ea de re haec sunt: *Sacrificatio eadem constituta est omnibus in omnibus victimis eodem modo, quae quidem ita fit: Victima quidem ipsa alligatis prioribus pedibus sistitur. Sacerdos autem post pecus stans extremam restim attrahens illud*

---

1) II. Macc. 15, 30. ss. I. Macc. 7, 47.

ad terram dat; dum autem victima cadit, hic invocat deum cui sacra facit. Dein laqueo collum circumdat, baculumque insertum circumagit ac strangulat neque igne accenso neque immolatione facta neque libamine. Iugulata hostia pelleque detracta, accedit ad coquendum. Quum autem terra Scythica lignorum sit admodum inops, hoc ab eis ad carnes coquendas inventum est. Vbi victimas deglupserunt, ossa carnibus denudant, easque iniiciunt, si quidem forte habent, in lebetes huius gentis proprios, qui Lesbiis crateribus maxime similes sunt, nisi quod sunt multo maiores. In eis igitur iniicientes coquunt succensis victimarum ossibus. Si autem lebes eis praesto non est, in alvos bestiarum ei quidem iniiciunt carnes omnes admixtaque aqua accendunt subiecta ossa. Ea autem bellissime ardent. Alvi autem capiunt facile carnes ossibus spoliatas. Atque ita quidem bos se ipse percoquit, et ceterae hostiae se ipsa quaeque. Coctis autem carnibus, qui sacrificavit, illarum et intestinorum primitias ante se proiicit. Mactant autem quum alia pecora tum vero maxime equos [1]. Haec quidem ille diligentissime. Iam vero nos sacrificiorum ritus apud Scythas Iudaeosque inter se conferre ac comparare possumus. Primum quidem duae illae gentes eadem animalia, boves et pecora, mactabant, praeterquam quod priores illi etiam equos sacrificare soli coeperant. Vtrique praeterea sanguinem effundebant tamquam animam ossaque comburebant. Vtrique carnes non, ut Graeci, in veru inassare, sed coquere solebant. Vtrique denique ad eam rem proprios peculiaresque adhibebant lebetes [2]. Ritum igi-

1) Herodt. 4, 60. s.

2) De lebetibus I. Regg. 2, 13. ss. de coquendis carnibus. Exod. 29, 31. Lev. 6, 28.

tur sacrificandi, quem ab Abrahamo, ab Isaaco, Esavo reliquisque maioribus hereditate acceperant, in universum quidem Scythae retinuerunt, quamvis incredibile memoratu est quantum turpitudine illa, quae ex plurium deorum cultu nascitur, efferati sint.

Iam quaerendum est de legibus militaribus. De quibus item audiamus Herodotum auctorem unum et summum. *Quae ad bellum pertinent,* ait, *apud eos ita se habent. Quum primum virum prostraverit homo Scythicus, ex eo sanguinem bibit. Quoscumque in proelio occidit, eorum capita aufert ad regem. Qui enim caput abstulit, praedae quam quidem ceperint est particeps, qui non detulit, non item.... Quod autem non omnium sed inimicissimorum ad capita pertinet, haec faciunt. Quae pars est infra supercilia, eam quisque serrula resecat, alteram expurgat, et si pauper est, rudi bovis corio exterius inductam adhibet, sin est dives, bovis corium item inducit, interius autem inaurat utiturque pro poculo* [1]*.... Semel quotannis gentis cuiusque princeps in tribu sua miscet craterem vini, ex quo Scytharum bibunt ei, a quibus hostes interempti sunt. A quibus autem id factum non est, vini nihil gustant, sed inhonorati sedent. Ignominia autem apud eos illa quidem summa est. Qui autem de eis homines valde interfecerunt multos, ei potant habentes calices binos* [2]. Haec quidem Herodotus.

Illius quidem moris vestigia, quem modo fuisse apud Scythas cognovimus, etiam Israelitae secuti sunt, ut in-

1) Plat. Euthyd. E. *Φασί γ' οὖν, τούτους εὐδαιμονεστάτους εἶναι Σκυθῶν καὶ ἀρίστους ἄνδρας, οἳ χρυσίον τε ἐν τοῖς κρανίοις ἔχουσι πολὺ τοῖς ἑαυτῶν.*

2) Herodt. 4, 64. ss. cf. Aristot. de rep. 7, 2, 11. *Ἐν δὲ Σκύθαις οὐκ ἐξῆν πίνειν ἐν ἑορτῇ τινὶ σκύφον περιφερόμενον τῷ μηθένα ἀπεκταγκότι πολέμιον.*

festissimorum hostium capita ad duces deferrent. Vt pauca exempla afferam, Madianitarum capita Oreb et Zeb milites ad Gedeonem detulisse dicuntur [1]). Philistaei hominis superbissimi caput David Hierosolyma, Holofernis Assyriorum ducis Iuditha reportavit Bethuliam.

Quod autem Scythae vel calvas hostilium capitum pro poculis vel pelles pro ornamentis habebant easque suspensas ex equorum habenis secum portabant, simile quiddam eos iam antiquis temporibus fecisse, non ignoramus. Quum enim eidem in Arabia habitantes camelis uterentur, lunulas illas vel bullas aureas ad habenas alligarunt [2]). In illarum autem locum postea sine dubio substituerunt vel corium humanum vel calvas corio inductas. Eamdem autem inter divites pauperesque diversitatem etiam apud Romanos fuisse constat. Erant enim alteri bullis ornati factis ex corio, alteri aureis.

Iam vero comissationes illas et compotationes de quibus scribit Herodotus, etiam Syros instituisse accepimus. Vnde coniici potest, consuetudinem illam primum ab Idumaeis in eas regiones inductam, deinde autem post eorum discessum á Syris esse retentam.

Sed alia sunt Scytharum instituta duo, quae eorum cum Iudaeis vel summam coniunctionem vel etiam consanguinitatem declarant. Vnum est, quod a suibus maxime abhorrebant neque carne suilla umquam vescebantur. De hac re testatur Herodotus, quum dicit: *Suibus ex antiqua consuetudine prorsus non solent uti neque omnino alere in sua eos regione volunt* [3]). Quod de suibus Herodotus, iddem de aliis etiam animalibus Ephorus. Is enim in quarto historiarum libro Scytharum aliorum

---

1) Iudicc. 7, 25.
2) Ibid. 8, 21. 26.
3) Herodt. 4, 63.

et Sauromatarum vitae genus esse unum negat. Quosdam enim ait ad eam immanitatem progredi, ut vescantur humanis etiam carnibus, alios contra vel a ceteris animantibus abstinere [1]). Alterum institutum a maioribus acceptum Scythae Elienses observaverunt, ut diversi generis animalia non conducerent. *Miror autem*, ait Herodotus, *cur in tota regione Elea non possint gigni muli, quum neque frigidus sit locus neque alia causa ulla perspicua. Dicunt autem ipsi Elienses, ex imprecatione non gigni sibi mulos. Sed quum equabus venit tempus concipiendi, educunt eas in loca finitima. Et dein eis apud vicinos admittunt asinos, donec equae in ventre habeant, tum vero rursus eas reducunt* [2]). Mea quidem sententia, dubitandum non est, quin huius rei causa non sit imprecatio quaedam, sed lex a maioribus tradita. Quum enim Abrahami posteris non liceret diversi generis animalia vehiculo vel aratro iungere, non modo illicitum sed omnino turpe erat, equas et asinos coniungere ad procreandos mulos. Id igitur si facerent in suis finibus Elienses, suam se polluere terram putarunt, sin apud alios, id contra officium esse non duxerunt. Ex hoc loco reliquum est, ut dicamus

§. 31.

De sepulturis Scytharum.

Homines ita generati sunt, ut quibuscum in vita studii amoris pietatisque vinculo coniuncti erant, contra naturam esse putent eos non eadem mortuos complecti caritate. Quum autem animum praestantissimam carissimamque hominis partem, retinere non possint, quidquid

1) Ephor. apud Strab. 7, 3, 9.
2) Herodt. 4, 30.

ex quoque est reliquum, id piae recordationis causa sanctum servari volunt. Quare quum res omnes quibus quisque in vita usus est, caras habeant, tum vero maxime cinerem et ossa sancto in loco reponenda censent. Haec enim a natura ipsa in animo insculpta sunt, inhumanitatis esse, eorum reliquias quos vivos dilexerimus post decessum negligere, violare autem, immanitatis. Huius pietatis vim omnino nihil ne in ferocibus quidem Scytharum animis aut delere potuit aut debilitare aut minuere. Neque enim omnium bonorum amissio, neque extrema egestas, neque patriae interitus aut exsilium aut reliquae calamitates tantum potuerunt, ut aut in suis sepeliendis ritum ullum immutarent, aut sepulcris quidquam haberent sanctius. Idanthyrsus enim Scytharum rex a Dareo ad pugnam provocatus, aut agrorum vastatione quos non colerent, aut direptione urbium quas nullas haberent, aut alio incommodo ullo sese commoveri ad pugnandum posse negat. Si autem Persae proelii facultatem quam celerrime velint, sibi patria sepulcra ait esse, ea si investigaverint, si aggredi, si violare audeant, utrum de sepulcris dimicaturi sint necne, cognituros [1]).

Iam vero, quibus sepulcra tam sancta erant, ei necesse est religiosi fuerint in observandis certis sepeliendi ceremoniis. De quibus item interpretabimur Latine Herodoti verba, quo accuratius sepulturae ritus qui fuerit, intelligatur. Sunt autem haec: *Sepulcra regum apud Gerros sunt, quo usque Borysthenes navigabilis est. Ibi, si mortuus eis rex est, scrobem in terra magnam fodiunt quadratam. Qua praeparata, accipiunt cadaver, idque ipsum cera circumlinunt, alvum autem incidunt expurgant eamque cypero contuso, thymiamate, apii semine et aniso explent rursusque consuunt; dein*

1) Herodt. 4, 127.

mortuum in plaustro ad gentem aliam agunt. Qui quum allatum cadaver excipiant, ea faciunt quae etiam Scythae regii; ab aure partem abscidunt, crines tondent, brachia circumcidunt, frontem nasumque scarificant, sinistram manum sagittis traiiciunt. Postea autem regis corpus in plaustro ad aliam earum gentium deferunt quibus imperant. Hos autem sequuntur ei, ad quos prius venerant. Postquam autem omnes circumiverunt cadaver ferentes, ad Gerros, qui ex eis gentibus quae ipsis parent extremi habitant, iam perveniunt atque ad sepulcra. Tum vero cadaver ubi in conditoriis illis in strato deposuerunt, hastis ab utraque parte defixis, lignis intendunt cratibusque contegunt. In reliquo autem conditorii spatio de pellicibus unam strangulatam et ministrum vini sepeliunt et cocum, equorum agasonem, ministrum nuntium equos aliarumque rerum omnium primitias ac phialas aureas, neque enim argento aut aere (reges) utuntur. Quo facto, iniecta humo tumulum condunt aemulantes et aventes eum quam maximum efficere. His quidem accuratissime Herodotus expositis post anni spatium strangulari ait quinquaginta ex regiis ministris intimis eosque circum regis sepulcrum equis interfectis tamquam custodes imponi [1]).

Iam vero, ut eam quam nobis proposuimus comparationem faciamus, mortuos apud Iudaeos in eodem honore, sepulcra autem eadem in sanctitate fuisse, quis ignorat? Quid autem loquar de luctus significatione? Nonne plane eadem fuit apud Iudaeos? Quid enim? Moyses, si leges scripsisset Scythis, ut sacerdotes rege mortuo ab eiusmodi erroribus retineret, quid aliud facere potuisset, quam ut his verbis imperaret: *Sacerdotes mortuo principe populi sui non contaminabuntur,*

1) Herodt 4, 71.

non radent caput nec barbam neque in carnes suas facient incisuras [1]. Ac si prohibere reliquos cives voluit, quominus tonderent capillum, manum perfoderent aut frontem nasum aures sauciarent, nonne huiusmodi ferenda lex fuit: *Super mortuo non incidetis carnem vestram* [2]? An aptioribus verbis brevioribusve eam concipere potuit, quam his: *Filii estote domini dei vestri, non vos incidetis nec facietis calvitium super mortuo* [3]? Sed haec quidem Iudaeis Moyses praecepit, ut eos vel ab oblivione dignitatis humanae revocaret, vel caveret ne omnino in eam umquam inciderent. Quod autem Scythae, quum in moestitia et luctu essent, totondisse capillum perhibentur, in eo antiquam Madianitarum Arabumque consuetudinem secuti sunt. Iobius enim, quum omnibus rebus spoliatum se liberisque orbatum videret, scidisse vestimenta caputque totondisse legitur [4].

Reliqua autem cadaverum tractatio ac praeparatio magis quam luculentissima veterum testimonia possunt, illud declarat, Scythas calidioribus ex locis venisse et eisdem Aegypto vicinis. Nam in universum Aegyptii condere mortuos eodem modo solebant. In eo tantum quoddam discrimen est, quod Scytharum ei quibus res obtigit fecerunt id, quod apud Aegyptios certa civium classis in artificium redegerat. De reliquo autem ritu animadvertendum est, veterem etiam in Arabia fuisse morem, ut quum aliarum rerum partem optimam, tum vero pateras aureas in sepulcris ponerent. Vnde praeclara illa vox: *Sunt quasi effodientes thesaurum qui gaudent vehementer quum invenerint sepulcrum* [5].

1) Lev. 21, 4. 5.
2) Lev. 19, 28.
3) Deut 14, 1. Ierem. 16, 6.
4) Iob. 1, 20.
5) Ibid. 3, 21. s.

Quod autem Scythae primo anno post regis decessum eius ministros homines nobiles interficiebant, id fecerunt, ne vel regibus apud inferos ministri deessent (immortalitatis animorum praeclarum testimonium) vel ut regum vita tuta foret et secura. Quare apud eos reges fere omnes plurimos annos regnasse, iam non amplius miror. Sepulcrum autem equitum mortuorum custodia circumdare, summae immanitatis erat; ad quam fortasse extrema illa Scythicarum regionum inopia adducti sunt. Columnas enim signis militaribus incisis, ad sepulcra apponere etiam Iudaei solebant. Simon enim *aedificavit super sepulcrum patris sui et fratrum suorum aedificium altum visu lapide polito retro et ante, et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri et matri et quatuor fratribus; et his circumposuit columnas magnas et super columnas arma ad memoriam aeternam* [1]).

Denique notandum est, ea munera quae ad domum regiam pertinebant, eodem modo distributa fuisse apud Iudaeos. Primum quidem οἰνοχόος, quem *vini ministratorem* dicimus, et μάγειρος, quem vel *cocum* vel *pistorem* possumus vocare, satis noti sunt ex Iosephi Iacobi filii vita. Eorum autem munera non tantum habuerunt apud Iudaeos auctoritatis, ut Davide Salomoneque regnantibus qui fuerint nominatim afferantur. Qui autem reliquis muneribus functi sunt, ei accurate nominantur. Sed nomina nihil ad rem. Qui a Scythis ἱπποκόμος *(Marschall)* dicebatur, is ab Hebraeis *princeps exercitus*, ὁ ἐπὶ τῆς δυνάμεως. Qui ab his διήκονος *minister* vocabatur, idem ab illis *ministrorum princeps*, αὐλάρχης, ὁ ἐπὶ τῶν καθεσταμένων. *Nuntius* vel ἀγγελιηφόρος denique idem

1) I. Macc. 13, 27. ss.

est, qui apud Hebraeos *scriba* vel γραμματεὺς nominabatur [1]).

Herodotus de regibus condendis non magis diligenter quam de privatorum sepulturis quaesivit et scripsit. Totum de hac re locum itidem Latine reddere atque adscribere non dubitamus. Neque enim verendum est, ne appositi ex Herodoto loci integri quid habeant iniucunditatis, praesertim quum et res ipsa cognitione digna sit et ex Scythicis institutis Iudaica et rursus vicissim illustrentur. Ille igitur ita: *Alios autem Scythas, quum decesserint, positos in plaustris ad amicos circumagunt ei qui proxime coniuncti sunt. Amicorum autem quisque mortui comites illos excipit eisque parat epulas. Mortuo autem apponit partem ex omnibus rebus, ex quibus etiam aliis. Dies vero quadraginta ita privati homines circumaguntur; post sepeliuntur* [2]).

Sed ad gravissima haec verba accuratius consideranda Herodoti orationem interrumpendam esse puto. Mirum enim mihi videtur esse, si sanctum lugendi tempus et ab Abrahamo ceterisque patribus constitutum Iudaei commutare, Scythae vero servare integrum potuerint. Abrahamus enim Isaacus, Iacobus et eos qui secuti sunt duodecim patriarchae hanc rem ita videntur instituisse, ut mortuos secum retinerent per dies quadraginta, deinde eos sepelirent. Qua quidem re dubitari vix potest, quin significatum sit id quod futurum erat, ut Iesus Christus post mortem vivus per totidem dierum spatium cum suis et vesceretur et remaneret. At vero Iudaei vel quum in Aegypto essent vel quum de ea exirent, a sancto illo dierum numero recesserunt, ac mortuos non quadraginta dies sed triginta lugere ince-

---

1) II. Regg. 9, 16. ss. III. Regg. 4, 2. ss.
2) Herodt. 4, 73.

perunt. Quod qua de causa a Moyse ita institutum esse possit, non difficile est ex rebus aliis coniiciendo cognoscere. Ita enim in omnium librorum antiquissimo scriptum video: *Praecepitque (Ioseph) servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem (Iacobum). Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies, iste quippe mos erat cadaverum conditorum, plevitque eum Aegyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore etc.* [1]). Erat igitur apud sanctos Iudaeorum Idumaeorumque generatores mos, non ante diem quadragesimum mortuos ad sepulcra efferre. Illarum igitur gentium patres, qui erant Chaldaei, pro mortuis luctum fecerunt dies quadraginta, Aegyptii autem, ut etiam Herodoti testimonio constat, septuaginta [2]). Idumaei igitur vel Scythae veterem avitumque morem secuti sunt; Iudaei autem gravissimis de causis ab eo abducti non ultra tricesimum diem luctum proferre solebant; cuius rei exemplis sacri libri sunt referti.

Convivia autem illa lugubria etiam apud Iudaeos vel usitata vel certe cognita erant. Ad ea spectat Ieremianum illud: *Et morientur grandes et parvi in terra ista. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis et comedas et bibas* [3]). De cibis autem apponendis in epistola Iere-

---

1) Gen. 50, 2. Καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ· καὶ ἐνταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ· καὶ ἐπλήρωσαν αὐτοῦ τεσσαράκοντα ἡμέρας· οὕτω γάρ καταριθμοῦνται αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς· καὶ ἐπένθησεν αὐτὸν Αἴγυπτος ἑβδομήκοντα ἡμέρας. Vt inde a creatione septimum diem requiei, sic a diluvio quadraginta dierum spatium luctui et tristitiae dare solebant.

2) Herodt. 2, 86.

3) Ierem. 16, 6. ss.

miae haec sunt: *Sicut mortuis munera eorum deis illis apponentur* [1]).

His interpositis rursus audiamus Herodotum. *Scythae autem,* ait, *qui sepelierunt, sese purgant hoc modo. Terso capite et elauto; quod ad corpus attinet haec faciunt. Quum ligna statuerint tria inter sese inclinata, circum ea pileos laneos circumtendunt. Quos ubi quam maxime condensarunt, lapides ex igne candentes coniiciunt in alveum positum in mediis lignis et pileis. Est autem eis cannabis nascens in eorum terra, lino simillima praeter crassitudinem et magnitudinem, qua multum antecellit cannabis. Ea et sua sponte et sata gignitur; ex eaque Thraces vestimenta sibi faciunt lineis paria maxime et aequalia. Neque facile, linea an cannabina sint, poterit, quin sit huius rei peritus, dignoscere; qui autem numquam viderit cannabim, lineum putabit esse vestimentum. Semen igitur huius cannabis Scythae sumunt, pileis illis supponunt ac deinde in candentes lapides igni coniiciunt; illud autem fumat, tantumque reddit vaporis, ut assum Graecum nullum eum possit capere. Scythae autem assa sudatione delectati laetos clamores tollunt. Hac re pro lavatione utuntur. Neque enim aqua corpus omnino lavant. Sed eorum mulieres aquam infundentes conterunt in lapide aspero cupressum cedrum et thuris lignum, hac re contrita, quum ea tenax sit, corpus omne et faciem circumlinunt. Quum autem ex ea odor eis suavis est, tum postero die unguine illo remoto, evadunt mundae et splendidae* [2]).

Ex his Herodoti verbis primum quidem perspicimus, eamdem fuisse Scythis, quae Iudaeis, de sepelientibus sen-

---

1) Baruch 6, 26. Commemoratur coena lugubris, ibid. 31.

2) Herodt. 4, 73. ss.

tentiam. Eos enim, qui vel tetigissent mortuum vel extulissent, pollutos putarunt eisque lustrationem quamdam esse necessariam. — Deinde vero Scytharum consuetudo ab Herodoto descripta, mirum est quantum afferat lucis duobus ex libris sacris locis adhuc non nimis illustratis. Vnus est in I. Parall. 16, 14. *Et sepelierunt eum (Asam) in sepulcro suo quod foderat sibi in civitate David; posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus et unguentis meretriciis quae erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia (et fecerunt ei incendium magnum valde).* Alter in eodem libro est 21, 19. *Mortuusque est (Ioram) in infirmitate pessima et non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias sicut fecerat maioribus eius.* Ex priore loco perspicuum est, Iudaeos et ad condendos mortuos aromata adhibuisse, et illos in lecto vel strato, ut solebant Scythae, deposuisse. Ex utroque autem loco intelligimus id quod summum est, populum post regum sepulturam fecisse incendium, quo et illos honorarunt et sese ipsi pariter ac Scythae videntur lustrasse [1]). — Tum certa coniectura assequi possumus, Iudaeos etiam unguento illo usos esse, quod ex cupresso cedro thurisque ligno factum saponi simile erat. Illud autem nominabant *borith*. Eius enim mentionem fecit Ieremias: *Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit dominus deus* [2]). — Denique de lini cannabisque tractactione pauca dicenda sunt. Ars lintearia Amalecitarum Idumaeorumque videtur fuisse propria. Lina enim

---

1) Ierem. 34, 5. *Sed in pace morieris et secundum combustiones patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te.*

2) Ierem. 2, 22.

fecerunt Scythopolitani, quae et in Asia notissima erant et per totum orbem a Phoenicibus deportabantur. Commemorantur in Midrasch Coheleth: *lina tenuia quae veniunt Bethsane* [1]). Mentio est etiam de re lintearia apud Scythopolitanos in codice Theodosiano et in libro, qui Graece et Latine est *de expositione totius mundi* [2]). Quum Idumaei Damascum urbem occupassent, hanc artem ad perfectionem perduxerunt. Illud enim linteorum genus texuerunt, quod et ab Hebraeis magni aestimatum est [3]), et apud populos occidentales nomen a Damasco urbe ad nostram aetatem obtinuit. In Scythia autem Idumaei, ut Herodotus testatur, pro lino cannabim colere ex eaque lintea facere coeperunt. Ac de hac re et de sepulturis satis dictum est.

§. 32.

De gentibus Scytharum.

Quum Scythae et Idumaei eidemne sint an diversi quaeramus, ad hanc rem accommodatum est, etiam de utrorumque gentibus disserere. Quamquam enim Idumaicas gentes nos apud Scythas investigaturos non speramus, tamen videndum est, quid assequi in hac re coniecturis possimus.

Sed priusquam de re ipsa rite tractari potest, accuratius Scytharum fines circumscribendi sunt, quo facilius appareat, quinam cum eis populi coniuncti, quinam genere et origine diversi atque alieni fuerint. Scythae igitur, Herodoto auctore, ea loca incolebant, quae ab Istri ostiis ad Tanaim usque patebant. Finitimi autem erant

---

1) Midr. Coh. 92, 1.
2) Cod. Theod. l. 8. de murileg. III. p. 504. edt. Gothofred.
3) Ezec. 27, 18.

Thraces, Agathyrsi, Neuri, Androphagi, Melanchlaeni, Tauri et Sauromatae, qui trans Tanaim in Asia habitabant [1]). Vicinas his postremis sedes habebant Budini et Geloni [2]). Iam oritur quaestio perobscura, quaenam ex his gentibus originis linguaeque societate cum Scythis fuerint devincti. Qua quidem in re ducem potissimum sequemur Herodotum. Scythis igitur, quum Dareus bellum inferret, socii primum accesserunt Geloni Budini Sauromatae, postea etiam Agathyrsi. Hos quidem omnes suspicor cum eis etiam lingua fuisse coniunctos, exceptis tamen Budinis, qui Gelonis subiecti inviti fortasse et coacti sese belli socios praestiterunt [3]). Scythae autem Persarum exercitum ita circumduxerunt, ut fines Budinorum, qui belli participes esse noluerunt, Melanchlaenorum Androphagorum Neurorumque vastarentur [4]). Quod factum mea quidem sententia quatuor has gentes natione lingua moribus studiisque alienas ab eis fuisse declarat. Sed iam est de singulis gentibus disserendum.

Ac primum quidem de eis videamus qui Sauromatae sunt vel Sarmatae appellati. Ab Idumaeis igitur, ut altius repetamus, pristini montis Seir habitatores superati in servitutemque redacti sunt. Erant ergo in Idumaea duae gentes natione lingua institutisque diversae, quarum ex altera erant liberi, ex altera servi. Servi, quod cavernis pro domibus utebantur, חרי vel חרים Troglodytae vocati sunt. Quaedam autem gentes Horraicae ab Idumaeis in servitute sunt retentae, longe plurimae aut in eam numquam venerunt aut sese ex ea liberaverunt. Hi quidem posteriores vel Horraei nuncupati sunt vel etiam Amor-

1) Herodt. 4, 100.
2) Ibid. 4, 123.
3) Ibid. 4, 119.
4) Ibid. 4, 123. 125.

raei. His praepositis, de Scythis Sauromatisque quaerendum est. Eamdem igitur inter Scythas Sauromatasque interesse rationem videmus, quam Idumaeos inter et Horraeos fuisse cognovimus; qua quidem in re non possumus non admirari Semiticam illam, quam saepius laudavimus, stabilitatem ac constantiam. Erant enim ut Helotes apud Spartanos, sic apud Scythas servi devicti quidem sed generis nationisque societate copulati. Hi quidem, ut apud Herodotum scriptum est [1]), quum heros suos omnes diutius abesse, multos etiam in expeditione interfectos cognoscerent, seditione facta, ab illorum uxoribus assumpti omniumque rerum potiti sunt. Scythae autem quum ex Asia redivissent, quos gladiis et armis non potuerunt, flagris postea facile ad officium reduxerunt. Qui autem a servis tum et uxoribus liberis procreati sunt, eos a Plinio Scythas vocatos esse video *degeneres et a servis ortos aut Troglodytas* [2]). Erant igitur eidem in Scythia Idumaeorum servi, qui fuerant in Asia, Troglodytae vel Horraei.

Eos autem Horraeos, quos liberos fuisse diximus, sub Sauromatarum nomine latere censeo. Neque enim fortuito factum esse potest, ut illarum gentium nomina *Σαρμ-άται Σαυρομ-άται* et חרי minime inter se differrent. Hanc ad rem probandam commemorare possem vel litteras ש et ח inter se saepius commutari vel voces חור et שער omnino inter se congruere eamdemque habere foraminis significationem. Sed haec supervacanea videntur, quum pater חרי in libris sacris nominetur שעיר. Ex quo statim constat, חר prorsus iddem esse ac שעיר, שעירים autem iddem quod חרים. Quos igitur Scythae Sayrim vel Saurom dicebant, eos Graeci Sau-

1) Herodt. 4, 1. ss.
2) Plin. h. n. 4, 25.

rom-atas. Neque enim dubium est, quin Idumaei superatos illos eodem quo Hebraei nomine appellaverint. Scythicis autem ab Idumaeis nomen receperunt Graeci, a Graecis Romani. Illud, ut saepius dictum est, Troglodytas vel habitatores cavernarum significat. Sauromatas vero in speluncis habitasse subterraneis, veterum scriptorum consensu traditum est. Ad eos etiam Virgilianum illud pertinet, quamquam dictum est de Scythis in universum: *Ipsi in defossis secura sub alta otia agunt terra* [1]) Iam vero quod ad mores institutaque pertinet, quaedam receperunt a Scythis, alia secuti sunt propria; quod corpora utrique et mares et feminae pingebant, quod vestimentis etiam ora tegebant et eiusdem generis alia [2]). Lingua autem utebantur quae teste Herodoto omnino cum Scythica neque consentiebat neque abhorrebat. Erat ea quidem sine dubio lingua Chananaica, *quae media erat inter Hebraicam et Aegyptiam, priori tamen magna ex parte affinis* [3]). Magni momenti quaestio est et ad litterarum studium perutilis, quaenam ratio intercedat inter veteres Sauromatas et Hungaros eos qui etiam nostra aetate Semitice loquuntur. Sed Sauromatas Horraeos esse hoc loco significasse satis est.

Iam de famosis illis dicendum est mulieribus, quae ex Sauromatis Scythisque ortae non modo per Asiam vagatae sunt sed etiam in Graeciam venisse dicuntur. Nomen earum Ἀμαζὼν plerique a μαζὸς solent ducere [4]). Sed horum sententia pluribus in erratis est. Neque enim sine μαζῷ erant mulieres istae, neque Ἀμαζόνας oportebat eas dici sed Ἀμαζίους, ut μεταμαζίους, ὑπομαζίους.

---

1) Virg Georg. 376.
2) Herodt. 4. De eorum armis thoracibus sacrificiis Pausan. 1, 21, 7.
3) Hieron. in Ies. 19.
4) Diod. Sic. bibl. 2, 45.

Sed quid multa? A vagando hae quidem vel Ἀλαζόνες vel ex antiqua pronuntiatione Ἀμαζόνες h. e. *vagae* appellatae sunt. Illud quidem mihi dubium esse non videtur, quin Homerus Amazones intelligi eo loco voluerit, de quo plurimum iam a veteribus disceptatum est:

Αὐτὰρ Ἀλαζώνων Ὀδῖος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχεν
Τηλόθεν ἐξ Ἀλόπης ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη [1]).

Tametsi enim constat Amazones, quae trans Halyn habitabant, opem Troianis non tulisse, tamen ex eo non continuo sequitur, non fuisse ex illa gente colonos quosdam, qui alteram Asiae partem incolentes illis essent subsidio. Eiusmodi colonia erat Sinope, quam ab Homero vetere nomine Alope vocatam esse censeo. Idem enim erat deus sol, qui vel Al, El, vel Sin, San, dicebatur. Praeterea Sinopensium fines quum argentum, tum metalla alia praebebant. Ad hoc mirifice illud quadrat, quod poeta eos procul dicit advenisse. Nam quum Troianorum socii omnes cis Halyn habitarent, eum autem fluvium Sinopenses attingerent, hi omnium ultimi iuste remotis ex locis adesse dicuntur. Denique explicatores mirari desinent, quid sit quod Homerus Sinopen non commemoraverit urbem antiquissimam.

Vagae igitur illae mulieres Sauromatici generis matres fuisse perhibentur. Societatem autem cum eis coniugiumque inivisse Scythae traduntur. Herodotus enim Graecos ait post partam victoriam ad Thermodontem in tribus navibus secum portasse ex Amazonibus quam plurimas potuissent capere. Has in alto, Graecis interfectis, cum essent navigandi artis imperitae, ventis fluctibusque praerupta ad Maeotidis littora esse delatas. Arreptis ibi equis, instituisse pugnam contra Scythas. Eos, proelio facto, quum feminas esse cognovissent,

1) Hom. Il. 2, 865.

iuvenibus quibusdam imperasse, ut depositis armis eas adirent. Illos earum sibi animos conciliasse, deinde, matrimonio contracto, ex Scytharum finibus discessisse trium dierum iter ad orientem versus, ibique constituisse sedes atque domicilia. Ex his natos esse Sauromatas, qui Scythice non nimis iuste loquerentur, propterea quod linguam a maritis suis Amazones minus accurate didicissent [1]). Haec quidem fabula, etsi audiendo ac narrando amplificata sit et ornata, tamen dubitare nequeo, quin verum quiddam et fide dignum complexa contineat. Verum autem existimo id quod etiam aliorum scriptorum auctoritate probatur, Amazones mulieres Scythicas ac Sauromaticas vagas primum quidem fuisse per Asiam, postea ad suos sese contulisse. Lingua autem esse usas a Scythica paulum diversa. His quidem expositis, nostram de Amazonibus sententiam, quamquam ea fortasse cuipiam minus videbitur probabilis, in medium proferre audemus. Idumaicae igitur mulieres quum a Davide rege et maritis et maribus omnibus orbatae essent, aliud quidquam putabimus fecisse quam ut arma sumerent, ut ascenderent in equos, ut se suaque tuerentur? Fortiores autem ex eis et magnanimae quum suorum mortem patriaeque calamitatem ferre solae non possent, ex finibus suis exierunt seque ad homines contulerunt suos, qui Damasco urbe potiti erant. Ab eis in civitatem receptae et iuvenibus ex eisdem nupserunt et Themiscyram camposque ad Thermodontem acceperunt, quo sedes domiciliaque collocarent [2]). Fuerunt autem, qui a Davide sunt in Idumaea

---

1) Herodt. 4, 110. ss. cf. Diod. Sic. bibl. 4, 28. Isocr. 4, 68, ss. Demosth. 1391. Pausan. 1, 41, 7. Veterum de hac re sententiae quae fuerint exposuit Plutarch. Thes. 26. ss.

2) Strabo 11, 5, 4.

interfecti, partim Idumaei partim Horraei. Quamobrem Sauromaticae Scythicaeque mulieres Amazones recte fuisse dicuntur. Sed lingua eam ob causam a Scythis differebant, quod quum illi ad Syrorum linguam propius accederent, ipsae in prisca Chananaica potuerunt persistere. Iam vero ex Ponto una cum Scythis Damascenis ab Assyriis expulsae et septentrionales in locos deductae sunt. Hanc enim veterem opinionem ait esse Strabo [1]). Nostram sententiam etiam illud videtur confirmare, quod qui in Ponto ad Thermodontem ex Amazonibus vel relicti vel postea reversi sunt, Syri esse ab Herodoto et circumcisione uti traduntur [2]). Qui autem ab illo Syri, eidem a Strabone Chaldaei vocantur et Pharnaciam dicuntur obtinere [3]). De Amazonibus satis dictum est.

Iam disserendum est de reliquis, qui cum Scythis societate coniuncti erant, de Gelonis et Agathyrsis. Qua quidem in disputatione videndum est, ne coniecturis meis alii plus tribuant quam eis tribui velim ipse. Quod Graeci Pontici de Scytharum origine narrabant, supra [4]) commemoravimus. Ex eorum sententia Agathyrsus Gelonus et Scytha fratres fuerunt eodem et patre et matre nati. Ex illis autem gentes eiusdem nominis tres esse dixerunt. Sed Agathyrsis cum Scythis non sanguinis sed patriae et ad tempus civitatis societatem fuisse puto. Herodotus in eis fuisse dicit auri amorem incredibilem tantamque vitae mollitiam, ut etiam mulieres communes haberent [5]). Hanc gentem non Scythicam sed Sauromati-

1) Strabo l. c. Sauromatarum coloniam ex Media (superiore) in Scythiam deductam dicit Diod. Sic. bibl. 2, 43.

2) Herodt. 2, 104. Colonos Assyrios a Scythis in haec loca adductos ait Diod. Sic. l. c.

3) Strabo 12. cf. Diod. Sic. bibl. 2, 43.

4) In excursu.

5) Herodt. 4, 104.

cam fuisse crediderim. Nomen ita ad Graecorum linguam aptum et accommodatum est, ut de omnibus nominibus aliis citius quam de eo certi quid statueris. Eadem videtur esse radix in nomine Tyrrenorum, qui eidem Thyrseni vel E-trus-ci dicuntur. Geloni autem, plura sunt ex quibus Scytharum fuisse consanguinei intelliguntur; quod Dionyso deo cultum adhibebant, quod ex Chananaeorum more non modo Bacchanalia ei sed etiam triennalia agebant, denique quod lingua utebantur Scythica. Quod autem Dionysum quo diximus modo colebant, ac praeterea Graece poterant, id Herodotum tantopere movit, ut eos Graecos esse suspicaretur. Sed Graecis Ponticis fidei in hac re certe plus habendum est quam Herodoto. Vrbem autem incolebant, cui, ut Semitae solebant, suum ipsorum nomen dederunt [1]). Gelonos si ex duodecim Idumaicis gentibus habere eam voles quae יעלם Ἰεγλώμ, Ἰεγλόν, *Igelon* vocatur [2]), equidem non repugnabo.

Ex reliquis autem, quos supra nominatim attulimus, nullos neque Sauromatas neque Scythas fuisse puto. Budinos, qui Gelonis parebant vicinique erant Scythis, ab his gentibus alienos fuisse diximus. Hos Indo-Germanos quos vocant fuisse. et cerulei oculi et capilli flavi declarant [3]). Eodem modo de Neuris et Androphagis iudico, quorum alteri Budinorum hospitalitate utebantur [4]), alteri etiam Massagetae appellati sunt. Ac qui populi Scythis fuerint finitimi, satis fere dictum est.

Restat, ut de ipsis Scythicis gentibus breviter disputemus. Omnium sese Scythae natu minimos esse dixerunt.

---

1) Herodt. 4, 108.

2) Gen. 36, 5. 18. I. Parall. 1, 35.

3) Herodt. 4, 108. *Βουδῖνοι δὲ ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλὸν γλαυκόν τε πᾶν ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν.*

4) Herodt. 4, 105.

Quod probe eos dixisse confitendum est, sive eorum gentem ab Edome, sive ab illius nepote Amalec repetimus. In ea autem terra, quae tum deserta esset, primum fuisse Targitaum, Iove et Borysthenis filia fluvii natum. Huic filios fuisse tres, Lipoxai Harpoxai et Colaxai. Quibus regnantibus decidisse de coelo dona aurea, aratrum iugum acinacem et phialam. Quum autem accederet primus, aurum arsisse. Iddem accidisse alteri. Tertium autem, qui natu esset minimus, res illas potuisse attingere, elevare, domum deferre. Quod quum vidissent natu maiores, ad eum libenter detulisse imperium. Natos autem a Lipoxai esse Auchatas, ab Harpoxai Catiaros et Traspies, a minimo Paralatas qui etiam Scythae regii vocarentur [1]).

Haec fabula antiqua non est, quoniam nisi in ipsa Scythia orta esse non potest. Neque tamen ullam ei veteris historiae memoriam inesse negaverim. Terram enim illam, quum Scythae Damasceni ingrederentur, incultam fuisse et magnam partem desertam nemo certe infitiabitur. Borysthenis fluvii filia procul dubio Atargatis est, quam eamdem Graeci dixerunt Scytharum esse matrem. Habet autem nomen deae matris Tar-g-i-taus filius, nec id immerito. Reliqua nomina apta ad fabulam ipsam et ficta esse arbitror, propterea quod vocabula generatorum cum eis, quae sunt gentibus indita, omnino non consentiunt. Tria illa nomina explicare conabor, non quo ullam eis vim historicam tribuam, sed quia Scytharum lingua quae fuerit, existimari iam ex eis posse puto. Trium igitur nominum communis est vox *xai*, שׁי, *dona*. Quare *Lipo-xai*, cuius pars prior coniuncta est cum להב et לפיד, iddem videtur esse quod *dona flammantia candentia; Harpo-xai* autem iddem quod

1) Herodt. 4, 5. ss.

Sarpo-xai שרפשי *dona urentia*. Nomen tertium denique *Cola-xai* קלשי haud fere aliud significat quam *dona levia*. Quatuor gentes, quae ex tribus illis generatoribus natae sunt, Amaleciticas habuerim. Posteriores quidem tres, qui nominantur Catiari Traspies Paralatae, non facile, qui fuerint, indagari potest, quoniam Amaleciticarum gentium nomina in libris sacris non sunt. Auchatae, Αὐχ-άται, qui ex natu maximo orti sunt, facile Ogis, עוג, filii esse cognoscuntur. Litterae enim omnino inter se congruunt nisi quod ultima ut γκ vel γγ in Ὄγκ-α, Ὀγγ-όσυρος [1]), sic in hoc verbo χ a Graecis pronuntiata est. Auchatae autem, quos Plinius Auchetas, nos autem Gagaeos vocamus, ex maximo natu progeniti recte dicuntur. Penes eos regalem fuisse potestatem, et ex fabula illa et ex Semitarum iuribus existimare possumus atque ex libris sacris certo scimus. Post ignominiosam autem Amanis filiorumque eius mortem regnum putamus ab eis ad Paralatas translatum [2]).

Erat in Scythia gens alia Gerrorum. Ei videntur, ut dictum est, ex Arabiae urbe primi ab Assyriis in ea loca deducti. Quare Amos poenam delictorum Idumaeis obnuntians, *transferetur*, inquit, *populus Syriae in Cir*, קיר, h. e. *in Gerros* [3]). Evenisse autem vaticinium illud, et in Regum libris legitur et cognoscitur ex eo, quod sepulcra Scythae habebant apud Gerros.

Postremo de Scytharum coloniis, quamvis magnam hic locus disputationem postulet, pauca non demon-

---

1) V. excursum.

2) Diodorus Siculus, Iove et femina illa, quae partim homo partim serpens erat, natos dicit item filios tres, Scythen Palum Napen; ex his progenitas totidem gentes, Scythas Palos Napas. Pali sagittarii illi videntur esse, qui a Iesaia dicuntur פול. Napae autem eidem, qui a Strabone Nabiani vocantur. Diod. Sic. bibl. 2, 43.

3) Amos 1, 5.

stranda sed significanda sunt. Scythas, quum eorum res in Syria Armeniaque florerent, colonos deduxisse *in insulas*, auctores sacri testantur. Verbum autem illud ita intelligendum est, ut non modo insulas sed Graeciam etiam Italiam Hispaniamque comprehendat. Scythas Samothracen venisse et Delum, supra expositum est. In Italia quo loco postea Roma exstructa est, iam ante urbem conditam eos templum habuisse Dianae Ephesiae, dictum est item [1]. In Hispaniam autem eos transiisse qui vel Scythae vel Armenii dicuntur, veterum testimoniis constare diximus. Sed in Thracia Graecorumque insulis plurima exstant et apertissima Scytharum vel Idumaeorum vestigia. Quosdam ex eis in insulas emigrasse, docti a Strabone scimus [2]. Paeones praeterea, qui Strymonem fluvium accolebant, quosque Herodotus dicit Syros [3], vix dubium est, quin fuerint Idumaei ex Scythia in ea loca profecti. Maxime autem mirandum est, quod ad eumdem fluvium venerant alii, qui constanter et nomen Idumaeorum et signum retinuerant. Odomantes enim ab Edome, quod verbum a veteribus etiam Adom pronuntiari vel Odom solebat, denominatos esse probabiliter sane dici potest, praesertim quum ea gens in circumcidendi consuetudine religiosissime perstiterit [4]. De coloniis breviter strictimque diximus.

Quodsi autem respicere et, quae de Scythis ipsis, de Sauromatis, de Troglodytis Amazonibusque hoc loco investigata sunt, animo repetere voluerimus, haud scio an nulla coniectura nobis magis possit esse probata, quam Scythas ex Idumaea esse ortos.

---

1) In excursu.
2) Strab. 7.
3) Herodt. 5, 15.
4) V. de hac re Movers, Das phoen. Alterth. 2, p. 284.

§. 33.

De Scytharum lingua.

Quum de Scythis multa Herodotus et maxime ea scripsisset, quae diligentissime quisque solet sciscitari, de eorum origine cognatione et lingua nostra memoria homines summo praediti ingenio doctrinaque instructi quaerere coeperunt. Qui quum omnibus in linguis disciplinisque magis essent versati quam in ea, quae his quaestionibus opportuna est: haud sane videtur mirum, quod varia de hac gente opinati, veri quidquam certique statuere nondum potuerint. Etenim Niebuhrius Scythas rudibus illis in Mongolorum gentibus et ab omni humanitate alienis habendos esse putavit. Moversius Semiticarum linguarum longe peritissimus, si de hac re quaerere et indagare voluisset, videre verum omnium certe potuisset facillime. Sed quum totum ad Phoenices animum advertisset tangeretque hanc quaestionem leviter, secutus est opinionem eorum qui Indicam esse hanc gentem existimaverant [1]). Nuperrime Iacobus Grimmius operae pretium facturum se duxit, si de eorumdem tum rebus tum verbis denuo inquireret. Ac hic quidem in eo maxime laudandus, quod, ut consuetudo eius fert, etiam in Scythicis investigationibus suo ipsius usus est quum studio tum iudicio. Quare illud eum minime fugit, fuisse in Scythia gentem quamdam, quae ex ea venisset Asiae parte quae spectat in meridiem; quamquam fal-

---

1) Scythas propter nomadicam vitam cum Indis comparandos putat Arrianus Indic. 7, 2. cum illis permixtos Pausanias 6, 26, 9. Haec opinio apud antiquos inde orta est, quod Scythiam Indiamque extremas mundi partes easque inter se coniunctas crediderunt. Aristot. de mund. 1, 13, 19.

litur in eo, quod Medo-Persicam fuisse gentem eam quidem dicit. Recte etiam probeque Scythas animadvertit fuisse feroces quidem nomades sed nobiles [1]). Quod vero ex Indo-Germanicis Scythica explicare conatus est, falsum sumpsit totius disputationis initium. A falso autem principio profectus verum nisi iterum errando assequi non potuisset. Quare quum non sine magno labore cum Indo-Germanicis nominibus Scythica quaedam contulisset, tota disputatione perspicuum reddidit, fieri vix vel omnino non posse, ut ex illis linguis Scythica umquam illustrarentur.

Quod quoniam omnes de hac re conatus declarant; nos, ut non frustra videmur incepisse, sic Semitica eam ad rem adhibere pergemus. Sed quia non dubitamus, quin et Gagaei et Scythae Idumaei sint, videbimus possitne lux utrorumque linguae ex Hebraica afferri. Qua quidem in re quantum a Gesenio aliisque dissentiendum sit, non ignoro. Ille enim in eam se consuetudinem adduxit, ut nomina quae in libro Estherae sunt propria ducere ex Persarum quam ex Hebraeorum lingua mallet. De Idumaicis igitur ex libro illo nominibus prius quaeremus, quo paratiores ad Scythica quae Graecis litteris scripta sunt accedamus.

Iam superioribus locis quaedam ex libro Estherae vocabula non Persicae linguae sed Hebraicae esse contra Gesenium demonstravimus. Eius generis sunt *Aman*, *Esther*, *Pur* vel *Phrur*, alia. [2]). Quae cum ita sint, ad reliqua haud incerta cum spe pergere possumus. Sunt igitur in hoc libro nomina decem ita composita, ut priorem partem habeant propriam, alteram communem. Est enim eis omnibus adiuncta vocula תא. Quae quid

1) Iac. Grimm Gesch. der deutsch. Sprache 219, 228, 236.

2) V. excursum.

valeat, ex uno verbo perspicitur, quod locis aliis aliter scriptum invenitur.

Bagathae enim nomen eunuchi tribus locis positum est, Esth. 1, 10. בגתא, 2, 21. בגתן, 6, 2. בגתנא. Hoc ultimo nomen esse corruptum luce clarius est, scribendum vero בגתאן, quam in libris suis scripturam divus habuit Hieronymus. Ex illa autem varietate scribendi facile, ut arbitror, intelligitur תא nihil aliud esse quam vel תאן vel תן rapida oratione mutilatum. Hanc autem vocem, quum eadem sit ac שׁן Dionysum deum significare saepius iam dictum est. Illud igitur nomen compositum ex בג et תן iddem valet quod *cibus Dionysi*. Eunuchis autem, qui sese divina vi ad exsecandum raptos tamquam dei victimas esse arbitrabantur, quam nomen illud conveniat, non attinet dicere. Haec eadem de eunuchis opinio

Bazathae spadoni, Esth. 1. 10. nomen indidit. Probe enim nobis בזתא *praedam Dionysi* interpretari videmur. Quae verbi vis quam sit et ad eunuchorum personam et ad militaris dei naturam apta, facile et intelligitur et sentitur.

Abgathae eunuchi nomen Esth. 1, 10. librariorum incuria ex proximo vocabulo *Bagatha* corruptum est. Quodsi enim haec esset vera scriptura, quum a Bagatha, abiecta littera א, Abgatha non differat, spadones duo unum nomen iddemque habuissent, quod sane verisimile non est. Quare interpretes Graecos, qui scripserunt Ἀβατά, verum nobis arbitror conservasse. Habet autem Hebraicum אבתא eamdem vim, quam Latinum *fructus Dionysi*, quod nomen eunucho est haud inepte impositum.

Esphatha Amanis filius, Esth. 9, 7. Prior huius verbi pars אסף etiam apud Iudaeos usitatum nomen erat. Quod si probe redditur *collector*, אספתא Latine *collector Dionysi* dici potest.

Phoratha Amanis filius, Esth. 9, 8. פור proprie indicare *urnam ollam*, deinde etiam *sortem*, ex illo libro ipso cognoscimus. Vnde patet, תורתא *sortis* vel *fortunae Dionysi* significationem habere.

Aridatha Amanis filius, Esth. 9, 8. Priore huius verbi parte item pro nomine proprio utebantur Iudaei. Etenim ארד et ארוד nomina sunt apud eos nota. Vtrumque a radice ארד ducendum putavit Gesenius. At vero eis aut רדד verbum aut רוד subesse crediderim. Quod si ita est, nomen ארידתא eum declarat, qui homines aut *prosternit Dionyso* adiutore aut *prosequitur*.

Phermesta Amanis filius, Esth. 9, 9. Ductum nomen est a פרם *disrumpendi* verbo *Dionysique spoliatorem* indicat. Littera שׁ, quae est eadem ac ת, quae proxime sequitur, in nostris exemplaribus minus alta expressa est. Scribendum esse aut פרמשׁא aut פרשׁתא suspicor.

Iezatha Amanis filius, Esth. 9, 9. יזתא pariter compositum est atque יזיה, alterum significat qui *de Dionyso*, alterum qui *de Iehova exultat*. Scripsit autem Graecus interpres Ζαβουγαθὰ, quod צבועתא i. e. *hyaena Dionysi* explicari possit.

Amadatha Amanis pater, Esth. 3, 1. המדתא vel sine articulo מדתא intelligi variis modis potest. Sed a מדה ducendum et *magnitudo maiestas Dionysi* interpretandum videtur. Habendum est etiam in hoc vocabulorum genere nomen *Admathae*, qui fuit a regis consiliis, Esth. 1, 14. Quod verti Latine *homo Dionysi* potest. Mihi autem suspicio venit, אדמתא corruptam, veram autem et primam scripturam esse המדתא.

Pharsandatha. פרשׁנדתא. Septuaginta: Φαρσανεστὰ, Amanis filius, Esth. 9, 7. Omnino mihi neque liquet, quae sit vera huius nominis scriptura neque quae eius significatio. Ac de his nominibus decem diximus. Non praetermittendum est, si Graeci huiusmodi nomina Scy-

thica in suam linguam transtulerunt, eos ultinam syllabam $\vartheta\alpha$ commutasse in $\vartheta\eta\varsigma$, veluti Ἀμαδάθης. Sequitur, ut duo ex libro Estherae nomina proferamus, quibus Dionysi nomen alterum אן vel ון, inest. Ab Idumaeis Armeniis hoc nomen usurpatum esse, ex libris sacris facile cognitu est. Iddem autem ad hominum nomina adiunctum, cum aliis exemplis tum verbo *Razon* patet. Quae quum ita sint,

Harbona eunuchi nomen, Esth. 1, 10. ita explico, ut ex הרב et ון illud constare et iddem valere dicam quod *excisus Dionysi*. Quodsi autem quis חרבונא, addita littera א emph. interpretari *siccitatem* volet, per me certe licebit. Nihil aliud enim in hac disputatione sequor, quam ut verba illa non Persica sed Hebraica, Amanem Idumaici non incogniti cuiusdam generis fuisse ostendam.

Delphon Amanis filius, Esth. 9, 7. Nomen דלפון haud absurdum est explicare *stillicidium Dionysi*. Iam reliqua deinceps ex libro Estherae nomina petenda et explananda sunt.

Adalia Amanis filius, Esth. 9, 8. Dempta priore littera א׳ דליא nomen eodem modo compositum est quo Hebraicum דליה, quo Punicum Δελαι-αστάρτος. Nam ut pro תן pronuntiarunt תא, omissa littera ן, sic pro אן sine dubio א. Illam igitur hoc nomen vim habet, ut indicet eum, quem *On* vel *Dionysus liberavit*.

Aridai Amanis filius, Esth. 9, 9. In hoc nomine videri licet, praesumptae opiniones quantopere et obcaecare mentem et veritati possint officere. Quum enim hoc nomen non modo in libro Estherae sed etiam in Gen. 10; 18. exstet, Gesenius perdoctus ille homo incredibili levitate iddem verbum altero loco Persicum altero Hebraicum dicere audet.

Arisai Amanis filius, Esth. 9, 9. Hoc nomen Hebraicum esse, prior eius pars ארי ostendit, quae vel *leonis*

vim habet vel *ignis, lucisque*. Quodsi igitur partem alteram explicare non possemus, tamen totum nomen ab Hebraeorum lingua minime esset abiudicandum. Sed illud סי nihil esse nisi סין, שן censeo; quemadmodum in ארידי illud די pro דיד, דוד accipiendum puto. Quamobrem consideranti mihi alia eiusdem generis nomina Aridai videtur esse *lux, leo Dodis*, Arisai *lux, leo Dionysi*.

Thares eunuchus, Esth. 2, 21. 6, 2. Graeci interpretes in libris suis exstare viderunt תרע Θαῤῥά, quod habet significationem *ianitoris*. Bagathan et Thares ianitores fuisse scribuntur. Videtur autem inter תרע et תרש, quod nostris in libris scriptum est, prorsus discrimen esse nullum. Neque enim negari potest, litteras ע et ש, quarum utrique K subest, inter se illo tempore saepius esse mutatas. Sed cui haec minus probata sunt, is nomem illud cum Hebraico שרש n. pr. conferat. Sed considerandum est, huius eunuchi nomen, quod duobus locis est cum nomine Bagathan coniunctum, a septem spadonum numero, qualis hodie exstat, abesse. Desideratur autem, ut arbitror, ex litterarum depravatione. Veteres enim, quod sine interpunctione scripserunt, nomina propria dividere aut distribuere haud facile potuerunt. Itaque, ut veram litterarum distributionem servarent, Amanis filiorum nomina singulis versibus scribere coeperunt. Quod quum ab eis in eunuchorum nominibus non item factum sit, tria nomina ultima, datis demptisque litteris, depravata sunt. Litterae autem, conservata consecutione, hae sunt: אבגתאזתרוכרכס. Primum quidem nomen, mutata littèra sexta in ן, ut dixi, אבתאן esse iudico. Litteris quae sequuntur quatuor subest nomen illud תרש vel תרע, de quo loquimur et quaerimus. Nam inter litteras ש et וכ facilis mutatio est. Tertium nomen רכס ducendum est, quod *ligatus* Latine potest dici.

Mauman eunuchus, Esth. 1, 10. מהומן nomen Syriacum esse atque iddem significare quod vel *fidelis* vel etiam *eunuchus*, Gesenius non potuit non concedere.

Illustravimus igitur et patris Amanis et filiorum nomina ac praeterea eunuchorum, quos fere ex eadem gente Gagaica natos esse constat. Qui igitur ea vel ad Persicam linguam vel ad aliam nescio quam referenda putarunt, eorum opiniones minuendae sunt. Hebraica enim vel Chaldaica cognovimus ea esse omnia. Itaque hoc novum est nostrae sententiae argumentum, Gagaeos et omnes qui in libro Estherae nominantur Iudaeorum hostes, non ex incognita quadam, sed ex Idumaeorum gente esse ortos. His rebus expositis, iam de nominibus videamus Scythicis.

Quamvis magnopere diffidimus viribus nostris, tamen difficillimam nos Scytharum linguam et reconditam enucleare posse duabus de causis speramus; quod et Iacobus Grimmius, qui ad hanc rem Indo-Germanicarum linguarum doctrina omni instructus accessit, in ea nihil profecit, et quod nos ab Hebraica lingua profecti sine sudore nec ullo adhibito artificio multa iam verba explanavimus. Eius generis sunt primum quidem deorum nomina omnia ab Herodoto tradita, deinde vero vocabula: *Aorpata*, *Tanais*, *Apaturus*, *Dromos Adar*, *Colaxai*, alia [1]. Quoniam autem Scythicorum scriptorum reliquum nihil est, nomina propria atque ea verba, quae Graecis Latinisque litteris tradita ad nos pervenerunt, diligenter inquirenda sunt ex eisque investiganda ac definienda eorum lingua. Ac primum quidem in disceptationem veniunt nomina fluminum.

Quoniam colonos a Scythis missos in Thraciam diximus, a fluviis *Palaestino* (Strymone) et *Hebro*, quorum

1) In excursu.

uterque Semiticum nomen habet, disputandi initium facere possemus. Sed ne quid haec res dubii habeat, statim incipiamus ab eis, qui sunt in ipsa Scythia.

Ister, Ἴστρ-ος. Huius pars superior Danubius, inferior Ister dicebatur. Hoc certe ei nomen a Scythis, illud ab aliis barbaris datum est. Est autem inter Ister et *Esther* nulla nisi pronuntiationis differentia. Vtrumque deae אסתר vel אשתר nomen est. Vt igitur unum lunae nomen Tanai flumini, sic alterum huic indiderunt.

Tyras, Τύρ-ας. Hoc nomen Hebraicum esse vel Chananaicum, nemo ignorat.

Hypanis, Ὕπαν-ις. Difficile est de hoc verbo certi quid statuere. Potest enim aut simplex esse et cognatum cum חפני, aut compositum. Si ex duabus vocibus constet, prior חופ *littus* esse et eadem in *Hyp-acyris* inveniri possit.

Borysthenes, Βορυσ-θένης. Huius nominis vis ac significatio in promptu est; sed prius de fluminis ipsius natura brevi dicatur. Borysthenes, qui fluvius a veteribus secundum Nilum maximus putabatur, aquam habebat et ad videndum puram et ad bibendum dulcem et ad pisces alendos fertilem. Multa praeterea alia et admiratione digna praebuisse dicitur. Ad hoc in eius ripis prata erant quum amoenissima tum omnium longe optima. Sed quem fluvium natura large rebus omnibus effuseque ornaverat, eum superstitiosa religio templis fabulisque consecravit. Ad eius ripam, ut supra dictum est [1]), a Scythis dicatum deae Opi fanum erat. Fluminis filiam coniugem Iovis, matremque suam Scythae dicebant. Vnde Borysthenes his, ut Nilus Aegyptiis, ut Chananaeis Iordanes, sacer fuisse intelligitur. Quare sacram eius nomini subesse vim existimandum est. Illud autem con-

1) In excursu.

stat ex ברית *borith*, quo unguento Scythae Iudaeique ad lavandum corpus utebantur et טמאת vel טנאת *maculae, pollutiones*, iddemque valet quod *borith macularum, borith ad eluendas maculas aptum*. Vltimum autem prioris vocis ת propter id, quod sequitur ט, in שׁ mutatum est.

Panticapes, Παντικάπης. Nomen, ut videtur, Graecum, sumptum ab urbe, quae traditur a Milesiis condita.

Hypacyris Ὑπάκυρις. Fortasse nomen duci potest a חוף et עכר, qui *conturbat littus*.

Gerrus, Γέῤῥος nomen habet a Gerris, quorum patria a sacris scriptoribus vocatur קיר.

Tanais, Τάναϊς, ut diximus, a תנית Syrorum Scytharumque dea nomen cepit. Enumeratis fluminibus eis quae in mare influunt, iam de eorum nominibus dicendum est, quae deveniunt ad Istrum.

Pyretus, Πυρετός, qui *Porata*, Πόρατα a Scythis nominabatur, a פרט h. e. a *garriendo murmurandoque* appellatus est. Animadvertendum, iddem nomen esse *Phorathae* Amanis filio; quod aut *fortuna Dionysi* ut diximus, aut *garrulus* explicari potest.

Tiarantus, Τιαραντός. Quod nomen nisi est cum טירה coniunctum, unde ductum sit, exploratum non habeo.

Ararus, Ἀραρός. Ex eo verborum numero est, quae a grammaticis dicuntur geminata. Simplex יאר vel אר omnino *fluminis* vim ac significationem habet [1]).

Naparis, Νάπαρις. Hoc nomen si quis cum מפרץ i. e. *portus* conferre voluerit, non repugnabo.

Ordessus, Ὀρδησσός. Nomen duarum vocum coniunctione יאר et דשא formatum est. Subest autem ei haec vis: *flumen herbarum*.

---

1) De verbb. geminn. v. Ewald. Gramm. crit. hebr. p. 508. not.

Maris, Μάρις. Verbum a מרר h. e. a *fluendo* ductum sine dubio *fluvium flumen* declarat. Qui fluvii ex Haemo orti ad Istrum decurrunt *Atlas Auras Tibisis*, eos esse ab hac disputatione alienos arbitror. Haec quidem de fluviis, qui Herodoto auctore in ipsa Scythia Istrum influunt [1]). Ille autem plura habet ostia, quorum mentionem faciunt Arrianus et Plinius [2]). Ex quibus duo videntur esse Semitica. Vnum est

Narac-o-stoma. Verbo *Narac* quamdam cum נרג, *cito sese evolvit*, coniunctionem esse puto. Alterum autem est

Spire-o-stoma. Huius vocis pars prior, si quidem non a Graecis est sed ab Hebraeis sumpta, iddem valet quod שפיר *pulcher*. Quapropter miror quod a Graecis unum Istri ostium vocabatur *καλὸν στόμα*, idque a Plinio aliud esse putatur ac Spireostoma. In Maeotim lacum praeter Tanaim delabantur fluvii tres; primus quidem

Lycus, Λύκος, cuius ita nomen est ad Graecorum linguam conformatum ac deductum, ut unde sit ortum haud facile dixeris [3]). Alter est

Oarus, Ὄαρος, cuius nomen item ad יאר *flumen* rereferendum censeo. Tertius autem

Syrgis, Σύργις [4]), quod nomen satius est in medio relinquere quam dubias proferre explicationes. Postremo in Colchorum finibus est

Phasis Φάσις h. e. פז, *purus*. Aqua huius fluvii colorem habet quasi a plumbo vel a plumbo albo, omniumque est et levissima et purissima. Propter levitatem non

---

1) Herodt. 4, 47. 48.

2) Arrian. Peripl. 24. affert nomina tria, τὸ Ψιλὸν στόμα τὸ Καλὸν τὸ Νάρακον. Plin. h. n. 4, 24.

3) Iddem nomen habuit fluvius quidam in Phrygia Herodt. 7, 30. Comparari potest cum לוע.

4) Herodt. 4, 123.

facile commiscetur cum aqua marina. Quoniam autem ad bibendum etiam suavissima est, nautae aquam in navibus habere non consueverunt. Sed ubi in fluvium intrant eam quam secum portarunt effundi iubent. Quod nisi fecerint, opinio est, eos non prospere navigaturos. Aqua autem fluvii ad decimum annum potest conservari; neque enim putrescit sed dulcior fieri solet [1]. Ac de fluminibus, ut arbitror, satis dictum est. Iam de quibusdam paludum nominibus quaeramus.

Maeotis, Μαιῶτις, Μαίητις. Vt Judaei מים masc., sic Idumaei מיית fem. h. e. *aquae*, *mare* dixisse videntur. Est in Scythia palus alia, cuius mentio est apud Ptolemaeum, quae a veteribus appellabatur

Byca. Βύκα vel Βύκης h. e. בּיקעא *vallis*.

Iam veniamus ad nomina oppidorum, de quibus paulo dificilius est dicere, propterea quod primis temporibus Scythae ipsi ne vicos quidem habebant aut pagos, et quod postea vel condita nonnulla sunt a Milesiis vel etiam nominata. Praeterea Scythae, quum Graece inciperent loqui, fecerunt iddem quod Iudaei, ut vel nova urbibus darent nomina, vel vetera ad linguam accommodarent Graecorum. Hinc vocabula Graeca *Milesiopolis*, *Neapolis*, *Theodosia*, *Cherronesus*, *Olbia* alia. Huc accedit, quod loca quaedam eadem quae flumina nomina habent, ut *Borysthenes Tyras* alia. Quibus de causis verendum est, ne minus fructuosa sit haec de oppidis quaestio. Sed multum habere ponderis ea nomina videntur, quae ex aliis locis urbibusque sumpta in Scythiamque translata sunt, quoniam et quae loca Scythis fuerint nota et illi ipsi unde venerint, indicant. Eiusmodi est *Tyras*, quod nomen nisi ad Agathyrsos pertinet, non dubito ad Tyrum Phoeniciae urbem referre. In isthmo

1) Arrian. Peripl. 8.

Taurico duo erant oppida quorum utrumque nomen habebat aliunde. Vnum quidem

Carcinites, Καρκινίτ-ης, unde tum fluvius tum sinus nomen invenit. Est autem כרכנת verbum iddem quod כרכמש, ultimis litteris vel leviter mutatis vel pronuntiatis aliter. Alterum erat

Tamyrace, Ταμυρά-κη. Quod vocabulum a תמור vel תדמור haud sane multum videtur differre. Sed Tamyrace quoniam etiam promontorii nomen erat, haud scio an probabilius ducatur a voce תמר, cui *altitudinis* vel *erectionis* vis est. Iam vero huius nominis ratione habita, poeta ille Thamyris a Musis obcaecatus, qui vulgo Thrax fuisse putatur, cuias fuerit non obscurum est. Fuisse enim eum Scytham quum ex eius ipsius tum ex matris *Argiopae* nomine probe cogi certeque potest.

Trapezus, Τραπέζους, Taurici montis nomen ab ea est urbe petitum, quae pristinis Amazonum sedibus erat vicina. Vrbium nomina alia sumpta sunt a deis Idumaicis, veluti *Tanais*, *Ophiusa* et

Sinda, Σίνδα. Nam Sin-d-a nihil esse aliud quam שׁן, *San Dionysus*, eo mihi persuasum est, quod *Sinopen* vocatam etiam *Sanopen* esse, veterum testimonio constat. Denique duorum in Chersoneso castellorum nomina non e Graecis radicibus sed ex Chaldaicis orta esse arbitror, quorum est alterum

Palacium, Παλάκ-ιον denominatum a פלך *circulus*, *orbiculus*, alterum

Chavum, Χαῦον, ut videtur, a חוה *vicus*.

Salmydessus, Σαλμυδησσός, urbs Scythis vicina. Hoc verbum non dubito iddem dicere quod שׁלמידשׁא i. e. *sacrificia herbarum*. Nam a Sauromatis herbas oblatas esse, commemoravit Pausanias [1]).

1) Pausan. 1, 21, 7.

Ctenus, Κτηνοῦς. Huius nominis nisi a Graecis ducenda est origo, in promptu explicatio est. Κτην h. e. עמין *statio* vel *locus* dicitur *ubi pecus procumbere* solet [1]. Sunt quaedam alia nomina, quae ad rem omnino absolvendam possent adiungi. Sed de nominibus geographicis satis dictum.

Scythicorum hominum nomina tradita a Graecis multa sunt. Sed potissimum de eis quae sunt apud Herodotum quaeremus, quia et antiquissima ea omnium et integerrima esse iudico. Quod etsi ita est, tamen in eis ipsis plura inveniuntur, quae vel ab auctore ipso vel a librariis ad Graecorum verborum scripturam accommodata ac deflexa sint. Quae res quin hanc disputationem nostram aut difficilem interdum aut saepius incertam reddat, prohiberi nequit. Nihilo tamen secius spero me asseculurum id, quod propositum est, ut eosdem esse Scythas probem ac Gagaeos, eosdem etiam horum ipsorum utrosque atque Idumaeos. Graecos exitum תא solitos esse commutare in θης, antea a nobis, sumpto ex Septuaginta exemplo, expositum est. Quoniam autem iddem illud תאן etiam est θιων vel θυων pronuntiatum, exitum θυης eumdem esse ac θης, negari nequit. Quare si θης ac θυης in תא verterimus, id non arbitrio nostro sed iure facere videbimur. In eo nominum numero, quae ex libro Estherae petivimus, tria sunt, quae ab *Ari* verbo incipiunt, *Aridatha Aridai Arisai*. Apud Herodotum in Scythicis nominibus duo reperiuntur, quibus iddem est principium.

Ariapeithes, Ἀριαπείθης, Herodt. 4, 76. Hoc iddem duxerim quod ארי אפ תא, *iracundus Dionysi leo*.

---

1) Nomina fluminum ex Herodoti libro quarto, urbium ex Strabonis septimo 17. ss. petita sunt.

Ariantas, Ἀριάντας, Scytharum rex. Herodt. 4, 81. Nomen ita quidem potest intelligi, ut significet ארִיוֹן תָא i. e. *leones Dionysi*. Sed fortasse est pro ἈριΑΝτας scribendum ἈριΔΑτας. Quam coniecturam si probare volueris, Amanis filii nomen habebis.

Spargapeithes, Σπαργαπείθης, Herodt. 4, 76. Videntur huic nomini verba quidem subesse: שִׁפְרָה vel שִׁפַרְפָרָא et תָא, significatio autem: *splendor Dionysi*.

Anacharsis, Ἀνάχαρσις philosophus. Herodt. 4. 76. Graeci ut pro Χεῤῥόνησος etiam dicebant Χερσόνησος, sic Ἀνάχαρσις pro Ἀνάχαῤῥις. Est nomen Hebraicum נכרי vel, praeposito articulo, הנכרי i. e. *alienus peregrinus novus inauditus*.

Scyles, Σκύλης Scythici regis filius. Herodt. 4, 78. Huius nomen linguae Graecae iuste potest addici. Vsus est enim matre ex Graecia oriunda, quae filium ipsius linguae ignarum esse noluit.

Gnurus, Γνοῦρος, Herodt. 4, 76. נור *ignis*. Littera Γ huic verbo adiuncta est, quo facilius posset a Graecis enuntiari. Sed suppeditat lingua Hebraica etiam nomen proprium ענר.

Lycas vel *Lycus*, Λύκας, Λύκος. Herodt. 4, 76. Iddem nomen fluvii.

Timnas, Τίμνας. Herodt. 4, 76. תמנה vel תמנע, nomen proprium ab Hebraeis saepissime usurpatum.

Oricus, Ὄρικος, Herodt. 4, 78. Potest hoc vel a ארך *longitudo* duci vel a ארע, ארק *terra*.

Opoea, Ὀποί-η fem. Herodt. 4, 78. Haec mulier non aliunde quam a dea אפע *Opi* nomen cepit.

Idanthyrsus, Ἰδάνθυρσος, Herodt. 4, 76. Idanthyrros triplici potest ratione explicari, aut ידונתורה *iudex legis* aut ידעני תורה *sciens gnarus doctrinae* aut potius *iudex Agathyrsorum*.

Scopasis, Σκώπασις, Scytharum rex, Herodt. 4, 120. Huius nomen cum verbo שקף videtur esse coniunctum.

Taxacis, Τάξακις, Scytharum rex, Herodt. 4, 120. תשועה, nomen rege dignum. *Salutem* enim *victoriamque* sonat.

Protothues, Πρωτοθύης, Scytharum rex. Herodt. 1, 103. Quod nomen, quum ad Graecorum linguam vehementer videmus detortum, eam nobis licentiam permittimus, ut illud liberius ברותתא i. e. *cupressus Dionysi* intelligi posse dicamus.

Madyes, Μαδύης, Scytharum rex. Herodt. 1, 103. Hoc nomen cui sit inditum et quid valeat alio loco dicturi sumus.

Agarus, Ἄγαρος, Scytharum rex. Diod. Sic. bibl. 20, 24. Nomen הגר ex sacris libris cognitum, *fugam* significat hostium.

Thalestris, Θάληστρις, Amazonum regina. Diod. Sic. 17, 77. Huius vocis pars altera ηστρ-ις a Graecis contracta est, ut in Ἴστρ-ος, Ἰστρ-ία. Prior pars, quae videtur eadem esse in *Thal-assar*, duci aut a תל *collis* potest aut a תלי *pharetra*. Est igitur totius nominis vis: *paretra deae lunae*.

Thoas, Θόας, Θόαν-τος, Taurorum rex fabul. Arrian. Peripl. 6. Inde nomen urbis Τύαν-α. Idem est ac תאן, Θιῶν, *Dionysus*.

Cotys, Κότυς, Bospori Cimmerii rex fabul. Arrian. Peripl. 17. Quoniam idem a Graecis Ἄττης vel Ἄττις nominabatur, necesse est nomen Hebraicum habeat, quod incipiat ab ע. Est autem id quidem עת *tempus*, qui deus a Latinis *Sat-urnus* (cf. Germ. Zeit) dictus, a Graecis autem Κρόνος i. e. χρόνος interpretatus est. Fabulae, quae de his feruntur variae sunt, sed in eo conveniunt, quod ad exsectionem pertinent.

Mauaces, Μαυάκης, Sacarum dux. Arrian. exp. Alex. 3, 8, 3. Iddem nomen est מעוך, patris Achis, regis Geth. I. Regg. 17, 2.

Saulius, Σαύλ-ιος, Scytharum rex. Herodt. 4, 76. Non modo Scythica ex Hebraicis facile a nobis ac simpliciter ducta et explanata, sed eadem etiam nomina apud Scythas, quae apud Gagaeos, inventa sunt. Illustrissimum huius rei exemplum *Saul-i* nomen suppeditat, quod iddem non solum Iudaeorum verum etiam Idumaeorum rex obtinuisse perhibetur [1]).

Quoniam non id nobis propositum est, ut Scythica ex veteribus libris conquiramus omnia; hominum nomina satis multa mihi conscripsisse videor. Reliquum est, ut de verbis quibusdam disseramus Scythicis, quae una cum eorum interpretatione veteres nobis tradiderunt.

Exampaios, Ἐξαμπαῖος, ἱεραὶ ὁδοί, Herodt. 4, 52. h. e. אתיונפו *sanctus introitus*. Huius vocis non modo Graecus est exitus, sed etiam littera ν, quum antecederet litterae π, necessario in μ commutata est.

Arimaspi Ἀριμασποί, μουνόφθαλμοι. Herodotus, eorum hominum mentione facta, quibus unus tantum esset oculus, Scythice eos vocari ait Ἀριμασπούς. Haec aperte accusativi est forma, quae nominativum postulat Ἀριμασποί. Ex quo verisimile est, verba quae sequuntur: ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν, supposita esse. Nomen enim Scythicum non aliud est quam Ἀριμασπ, exitus vero οι vel ους Graecus habendus est. Significat autem אריםסעף eum cui *lumen est divisum* [2]).

---

1) Gen. 36, 37.

2) *Arimaspi* vocantur ab Herodoto, a Strabone, Diodoro Sic. aliis. Nomen *Ariaspae* apud Arrian. exp. Alex. 4, 11, 9. videtur esse corruptum.

Quodsi verbum assumimus *ἀοϱτπατά*, de quo supra dictum est [1]; Scythica quae quidem Herodotus prodidit animo lustravimus omnia. Iam in quaestionem verba quaedam veniunt, quae in Geographicis commemoravit Strabo. Primum quidem animalis cuiusdam nomen profert, quod cervo non sit dissimile, quodque Scythae dicant:

Colus, *κόλος*, Strab. Geogr. 7, 4, 8. Quoniam Idumaeos pro א saepius ע enuntiasse non ignoramus, hoc verbum non dubitamus ducere ab עיל *cervus*, a quo haud multum differt קל *velox*.

Saraparae, *Σαϱαπάϱαι*. Strab. 11, 14, 14. Hoc nomine gentem quamdam appellat, quae Medis Armeniisque vicina fuit. Nomen autem ipsum verbis *ἀποκεφαλισταί*, *κεφαλότομοι* in Graecam linguam vertit. Scythas ex interfectorum hostium capitibus pellem detrahere solitos, supra diximus. Haec vox שׂראפרע composita est ex שׂרא et פרע, significatque eum qui *comam* capitisque pellem *solvit*.

Scalme, *σκαλμή gladius*. Pollux 10, 165 שׂלמא vel צלמא, Martis stellae nomen, de quo paulo ante dictum est, ad gladium translatum. Hebraicam litteram שׂ et ξ h. e. *κς* et *σκ* esse, non attinet dicere. Ex Latinis scriptoribus non possumus nisi unum verbum addere.

Seirus, *σειϱός*, *spelunca subterranea*, *granarium* [2]. Hoc nomen fluxit a שׂעיר, quod iddem esse ac חור *spelunca subterranea* supra probavimus.

Plinius plura verba litteris mandavit, quae ab ipso dicuntur Scythica, et a lectoribus esse creduntur. Sed eius in hac re auctoritas mihi quam maxime dubia et incerta est. Scythas enim iam ea aetate magnam partem

1) In excursu.

2) Varro de re rust. 1, 57. Plin. h. n. 18, 30. Curt. 7, 4, 24.

locutos Graece esse constat. Ille enim *Tanaim* Scythice vocari ait *Silin*, *Silyn* [1]). Quoniam *Tanais* quin Scythicum nomen sit, addubitandum non est, magna oritur suspicio, illud quidem *Silyn* Scythicum non esse. Et profecto Graecum illud esse facile perspicies, modo consideraveris Graece loquentes qui natione Graeci non erant, litteram ε extulisse ut *i*, litteram vero η ut *y*, ac Tanaim lunam deam fuisse assumpseris. Silyn igitur nihil aliud est quam σελήνη. Idem ille Maeotim paludem a Scythis nuncupari ait *Temerinda*, eique voci vim: *matris maris* esse subiiciendam. Vocem Maeot Scythicam esse liquet. Τημηρ inda autem haud scio an nihil aliud sit nisi μήτηρ h. e. *mater undae*. His de causis num reliqua apud Plinium verba Scythica sint, vehementer dubito.

Postremo etiam illud ad hanc quaestionem aliquantum valet, quod Scythae loquendi modum quibusdam in rebus cum Iudaeis habuerunt communem. Veros enim vates utrique nominare videntes solebant, Ψευδομάντιας contra vel *falsos prophetas* eos, quorum dicta non evenerunt. Etiam in eo quaedam cogitandi similitudo est, quod utrique *virginem* dicebant vel *columbam* vel *cervam*, *nivem* autem alteri cum *lana* alteri cum *pennis* conferebant.

Quae igitur hac disputatione enumeravimus verba Scythica, ea satis superque demonstrant hanc linguam fuisse Semiticam ab Hebraica non admodum diversam. Quoniam autem nos Graecis litteris maxime dediti Syrorum linguae Armeniorumque ignari sumus, peritum quemdam speramus ad hanc rem accessurum, qui Scythica omnia diligenter colligat [2]), quae a nobis minus

---

1) Plin. h. n. 6, 7.

2) E. g. ex Luciani Toxari verba nulla omnino sumpsimus.

vere exposita sunt, emendet, quae incepta, absolvat ac perficiat. Nos certe quod voluimus, nobis videmur assecuti, ut petere etiam ex lingua gravissimum nostrae sententiae argumentum possemus. Nam et Scythica nomina et ea, quae sunt in libro Estherae, quum Semitica esse tum vero uni eidemque linguae tribuenda, in posterum credo haud facile quemquam negaturum.

§. 34.

De veterum testimoniis, ex quibus Gagaeos Scythas esse apparet.

Quamvis multa iam de Scythis disputavimus, tamen adhuc nihil aliud fecimus, quam ut argumentando sententiam nostram concludendoque probaremus. Sunt autem veterum quorumdam de illis testimonia, quae nostram ad rem converti posse putamus. Eiusmodi vero testes quum omnino spernendi non sunt, tum vero sunt ad hunc locum adhibendi, quod eis rebus, quas nos coniiciendo effecimus, continuo fidem historiae veritatisque tribuunt auctoritatem. Pertinent autem ea, quae antiqui illi testati sunt, non ad universos Amalecitas sed ad unam eorum gentem et eam quidem nobilissimam. Gentem enim Agag quae eadem vocatur Gog, Idumaicam esse vel Amaleciticam, et s. Iacobus Nisibenus docet, et nos multis rationibus confirmavimus. Hanc ipsam autem gentem Scythicam esse, omnis et Iudaica et Christiana testificatur antiquitas. Iudaei enim, teste Hieronymo, a patribus maioribusque acceperunt, quod diximus, *Gog gentes esse Scythicas immanes et innumerabiles quae trans Caucasum et Maeotidem paludem et prope Caspium mare ad Indiam usque tendantur* [1]).

1) Hieron. in Ezec. 38. Ios. Antt. 1, 6.

Iudaei autem, qui, praedicato evangelio, Christum secuti sunt, hanc eamdem de Gog sententiam et retinuerunt ipsi et tradiderunt eis, qui, abiecta superstitione, veritatem animo complexi sunt. Quo factum est, ut Gagaeos Scythas esse et Iudaei et Christiani unanimi consensu profiterentur. Etenim ecclesiae scriptores longinquitate locorum quam maxime disiunctos in eadem hac sententia fuisse videmus. Cosmas enim Aegyptius, ubi dictum quoddam Abdiae ad Scythas refert, hos ipsos ita definit, ut Gog et Magog eos esse dicat [1]). Hieronymi aetate hoc iddem per totum orbem Christiani in Europa Asia Africaque senserunt. Quare ille non tam sententiam hanc a maioribus primisque Christianis traditam, quam fabulas quasdam ab aequalibus Iudaeis in ecclesiam inductas Iudaissantibus adscripsit reprobatasque esse voluit [2]). Iam autem ex illa nata est opinio eorum, qui Gog non Scythas sed Getas, Magog autem Massagetas esse putarunt. Quam quum quidam illius aetatis scriptores sequerentur, Augustinus minuere ac refutare studuit [3]). Postea Theodoretus docuit id, quod a praeceptoribus suis audivit *Gog et Magog gentes esse Scythicas* [4]). Sed quid singulos persequimur? quum et veteres universos quum antea tum post Hieronymum et interpretes recentioris memoriae fere omnes illud quod diximus tenuisse videamus. Quoniam igitur Gagaeos utrosque et Amalecitas et Scythas fuisse cognitum ex veteribus testibus exploratumque est: necessario sequitur,

---

1) Coll. patrr. edt. Montfauc. 2. p. 232. Cosm. Topogr. Chr. lib. 5. *περὶ τῶν Σκυθῶν τουτέστι τοῦ Γὼγ καὶ Μαγώγ.*

2) Hieron. ibid.

3) D. Aug. de civ. dei 20.

4) Theodor. in Ezec. 38. *Γὼγ καὶ Μαγὼγ Σκυθικὰ ἔθνη.* S. Eucher. Beda, alii.

qui vel Gagaei vel Amalecitae dicti sint ab Hebraeis, eosdem a Graecis vocatos esse Scythas.

Postremo ut ea breviter quae a nobis in hac argumentatione dicta sunt colligam, primum quidem nomina apud veteres eadem fuisse Idumaeis ac Scythis cognovimus. De sedibus deinde quaestione instituta, quibus locis alteri, eisdem prorsus alteri consedisse, atque utrique ex Arabia in Armeniam, ex Armenia in Scythiam demigrasse visi sunt. Quae causa fuerit, cur antiquissima Amalecitarum urbs nomen a Scytharum gente ab eis locis remotissima acceperit, primo mirati, postea, facta investigatione, assecuti sumus. Tum vero corporis naturam adipisque abundantiam parem omnino in eis aequalemque fuisse, quum ex sacris tum ex profanis probavimus scriptoribus et ita quidem, ut, quae alteri testati essent, alteri vel illustrarent vel etiam confirmarent. Sed ne ingenii quidem aut humani civilisque cultus discrimen inter eos esse ullum concedere potuimus. Etenim veterum consensu demonstravimus, quae opinio de rudi ista et inculta Scytharum vita et fuisset et esset, eam inde esse ortam, quod Scythae qui non essent, tamen ab auctoribus harum rerum parum peritis appellarentur. Post de mortalibus deis [1]) disputantes non modo quot dei essent apud Idumaeos, totidem apud Scythas, sed etiam quales apud hos, tales omnino apud illos fuisse invenimus. Solem et lunam Iovem et Opim cunctam denique deorum familiam ac cognationem cum omnibus suis rebus ex Palaestinensi amoenitate in loca frigida illa recessisse non sine admiratione exploravimus. Eadem enim nomina, pares utrobique cultus, aequales fabulae superstitiones ceremoniae religiones. Tanta omnium re-

1) In excursu.

rum consensio ac similitudo, ut de Idumaicis Herodotus, de Scythicis auctores sacri scripsisse videantur. Atque ab antiquissimis fanis incipientes et deorum secuti vestigia ex Arabia in Syriam, in Armeniam, in Scythiam pervenimus [1]. Porro quum ex ludis Martialibus tum ex multis ritibus ceremoniisque aliis apparuit, Scythis summam esse cum Iudaeis vel societatem, vel etiam consanguinitatem. Maxime autem coniunctionem hanc sepulturarum apud utrosque singularis illa similitudo declarare visa est. Praeterea quo loco de Scytharum gentibus expositum est, illud nobis licuit, Troglodytas, quos in servitute a patre redactos Idumaei retinuerunt, ex eorum potestate numquam ne in Scythia quidem effugisse. Ad hoc Gagaeam gentem scriptoribus aliis ignotam haudquaquam esse vidimus. Denique Idumaicam esse linguam Scytharum, probabiliter, ut arbitror, a nobis effectum est. Ad magnum hunc rationum numerum postremo accesserunt Iudaeorum Christianorumque testimonia. Consideranti igitur mihi eximiam illam argumentorum varietatem ac copiam aut omnino historicis in studiis admodum pauca certa esse, aut hoc constare videtur quod diximus, inter Amalecitas et Scythas non rei esse sed nominis differentiam.

Explicata hac re ac probata, ut propositum erat, ad nostram de Estherae libro disputationem redeamus.

---

1) Haec quidem etiam in excursu.

CAPVT QVINTVM

DE CAEDE SCYTHARVM CYAXARE REGNANTE FACTA COMMENTARIVM ESSE LIBRVM ESTHERAE.

§. 85.

De caede Scytharum.

Qui diversis ex locis profecti eodem et tempore et loco convenire constituerunt, si haud procul a fine alter alterum advenientem conspiciunt, non mediocrem percipere laetitiam solent. Quo autem et sese desiderarunt diutius et maius subierunt vel pereundi in itinere vel errandi periculum: tanto etiam suavius animos vehementiusque gaudium incedit. Nam praeter familiaritatem non magis eo uterque delectatur, quod ipse, quam quod alter salvus tuto ac sine errore venerit. Similiter eorum animi affici ac commoveri solent, qui quum studiis alii aliis dediti sint, a diversis disiunctisque principiis exorsi ita inter se conveniunt, ut unam rem et eamdem probasse videantur. Ita nostra memoria gravissimis de rebus theologi et qui hoc tanto nomine vere digni sunt philosophi inter se consentiunt, quorum alteris tamquam materia quam tractant creatio, alteris redemptio quae potest nova dici creatio subiecta est. Haec enim iam inter illorum utrosque constant, mundum non ex natura divina emanasse, sed voluntate dei nulla ex re esse creatum, hominem ex animo constare ratione liberaque praedito voluntate atque ex corpore vivis instructo sensibus, genus praeterea humanum duobus niti ac sustentari generatoribus Adamo et Christo. Sed etiam historicis prae-

clara est consensio cum eis, qui naturales ad res cognoscendas studium omne operamque conferunt. Etenim genus humanum uno patre esse unaque parente natum, mundum non uno temporis puncto sed interiectis quinque intervallis ad hunc statum, qui nunc est, perductum esse ac postea terram horribili inundatione ex parte aliqua mutatam, haec et eiusmodi alia neutri illorum nostra aetate negare possunt, quin summae in se levitatis notam contrahant. Ita quidem theologi et philosophi, historici et qui rerum naturalium sunt periti, si suis quisque profecti principiis suisque usi argumentationibus id assequuntur, ut easdem res veras esse demonstrent: non modo ipsi magnam ex studiis litterarum delectationem capiunt, verum etiam efficiunt, ut fidem ipsorum doctrinis adhibeant alii. Sed de nobis iam pariter actum est. Primum enim a litteris sacris incipientes multis gravibusque rationibus docuimus, qui hostes vocantur Iudaeorum, fuisse eos quidem Amalecitas atque Idumaeos exitiumque eorum in regnum incidere Cyaxaris. Post exordientes a scriptoribus Graecis non neglectis tamen sacris, multis rationibus argumentisque ostendimus, Amalceiticas gentes Idumaicasque esse Scythas. His exantlatis laboribus, iam in eo sumus, ut et ipsi iustum ex eis capiamus fructum, et argumentationibus nostris, quo plus eis fidei praestetur, fastigium imponamus. Etenim illud iam continuo sequitur, quidquid de Scythis dicunt Graeci, id de Idumaeis Iudaeorum hostibus ac rursus vicissim intelligi et posse et oportere. Quare quae Graeci de Scytharum, Hebraei de Idumaeorum caede tradiderunt, ut maxime inter se discreparent, tamen forent et ad rem et ad gentem unam eamdemque referenda. Sed discrepent illa quidem an consentiant, videamus. Ac primum de Scytharum occisione dicemus deinde de Scythis eis, quorum et in Estherae libro no-

mina et apud Graecos scripta videmus, disputabimus denique de festo die Iudaeorum.

Vt igitur breviter exponam, quae de Scytharum caede libro Estherae perscripta sunt, primum quidem Cyaxares Medorum rex Amanem Scytham, qui patre Amadatha mortuo, inter suos regnum, inter Medos secundum a rege locum obtinebat, ob illatam Mardochaeo Iudaeisque iniuriam interficere ac patibulo affigere iussit. Huius supplicium incidit in annum Cyaxaris duodecimum, in mensem tertium. Amane Scytharum rege magna cum ignominia occiso, in eius locum suffectus est Mardochaeus Iudaeus. Is Estherae reginae interventu a rege facile impetravit, ut Scythas, qui suis mortem perniciemque machinarentur, excidere liceret. Quare per litteras praecepit suis, ut quo die erat ipsorum caedes constituta, hostes adorirentur atque ex eis quam possent plurimos trucidarent. Itaque factum est, ut Iudaei mense Martio a die decimo tertio ad decimum quartum Scytharum septuaginta quinque milia interimerent. Haec quidem ex libro Estherae.

Iam vero de hac eadem re scriptores testantur, quibus haud mediocris auctoritas tribuenda in historia est, Strabo et Herodotus; quorum alter ut a tempore sic etiam a veritate rei propius quam alter videtur abesse. Sed prius audiendus est Strabo. Is de Scythis interfectis duas quas ab Asiaticis acceperat sententias tradidit, quarum unam his verbis expressit: *Sacae eiusmodi incursiones fecerunt quales Cimbri et Trieres, modo longinquas modo propinquas. Etenim Bactrianam obtinuerunt, et Armeniae possederunt optimam terram, quam etiam a se denominatam reliquerunt Sacasenam, atque usque ad Cappadoces ad eos maxime, qui Euxinum accolunt, quos nunc Ponticos dicunt, processerunt. Sed adorti eos, quum ex*

spoliis laeta agerent, Persarum qui tunc ibi erant duces noctu prorsus eos deleverunt. In planitie autem [1]). — Sed quae sequuntur ad alium locum reservabimus. Haec quae Strabo loco priori posuit quibusque sine dubio ponderis plus tribuit, mirum est, quam sint ad librum Estherae apta quantumque ei lucis afferre videantur. Primum enim cum historiae sacrae scriptore Strabo in eo consentit, quod Sacas scribit interiisse funditus. Sublatis enim tot milibus, reliqui esse multi certe non potuerunt. Quot autem fuerint, qui necem effugerent, non accurate definiri sed aliqua ex parte aestimari ex eo potest, quod Susis, caesis primo die quingentis, relicti sunt trecenti. Illud igitur confitendum est Sacarum gentem clade illa esse funditus deletam nec postea aut ullam umquam vitam agere laetam aut pristinam recuperare potentiam potuisse. Deinde vero diserte Strabo declarat, quod iddem Estherae libri scriptor significatione quadam ostendit, trucidatos hostes illos esse noctu. Nam Iudaei si caedere tertio decimo die coeperunt, quartodecimo vero desierunt, per totam noctem, nulla hora omnino intermissa, huic rei institisse intelliguntur. Tum autem magni momenti etiam hoc est, quod idem Strabo notat, Sacas oppressos eo die esse ipso, quem festum agerent ex manubiis. Quoniam autem Marti festos dies agebant duos, iam quaerendum est, uter fuerit is, quo a Iudaeis interfecti sint. Alter igitur in auctumni tempus, alter in veris inciderit necesse est. Ludi enim Martiales, quibus diebus frondes comportare solemniaque facere sacra solebant, ut tabernaculorum festi ad tempus auctumnale proferendi sunt. Dies autem ille festus, quo, qui quem hostem occiderant, honestari, qui nullum,

---

1) Strabo 11, 8, 4. Ἐπιθέμενοι δ' αὐτοῖς πανηγυρίζουσιν ἀπὸ τῶν λαφύρων οἱ τότε ταύτῃ τῶν Περσῶν στρατηγοὶ νύκτωρ ἄρδην αὐτοὺς ἠφάνισαν·

dedecorari solebant, ad finem anni militaris referatur oportet. Quum enim quisque utrum hostes per anni spatium necasset necne ad rationem vocaretur, fieri id nisi sub finem anni militaris non potuit. Congruebant autem inter se Iudaeorum annus sacer ac ceterarum gentium annus militaris. Nam ad rem gerendam duces exercitusque proficisci mense solebant primo, qui a Iudaeis vocatur Nisan. Quamobrem Martis dies ille alter, quo posci omnes ad rationem solebant, in mense constitutus erat duodecimo, qui mensis ab hac ipsa re vel Martis vel Adaris nomen habet. Qui autem dies Marti consecratus fuerit, facili coniectura augurari possumus. Quoniam enim Dianae vel quo nomine nuncupari deam lunam mavis, luna intermestris dedicata erat, laeta vel sacra eius dei cui mensis quisque sacer erat, differri ad plenilunium solebant. Ita quidem mense Aprili quum luna plena esset, Opi vel Veneri sacra fiebant. Eodem modo Scythae mense Martio compotationem illam ipso plenae lunae tempore instituebant. Eadem autem ipsa nocte, qua accidit, ut luna plena esset, quae nox inter decimum tertium et decimum quartum mensis diem intercessit, quum laeta illa ex spoliis agerent, a Iudaeis inopinantes deprehensi trucidatique sunt. Etenim Aman quum mensem ad Iudaeorum internecionem constituisset sorte, diem non sorte sed arbitrio suo definivit. Quare diem eum elegit, qui compotationis nocti praecessit, ut Iudaeis interfectis, laetiores ad illam accederent. Quod denique a *ducibus*, *στρατηγοῖς*, Strabo occisos Sacas ait, quantopere id ad librum Estherae quadret miror. Nam duces provinciarum iudices et procuratores, quum Mardochaei litteras accepissent, officiose curarunt, ut Sacas superarent Iudaei [1]). Itaque his ducibus victoria

1) Esth. 8, 9. 9, 3.

non plane immerito a posteritate adscripta est. Quod autem ille de ducibus loquitur Persarum, id ex vulgari omnis fere antiquitatis errore fecit. Quoniam enim Medorum regnum Cyrus sine ulla rerum commutatione susceperat, quae a Medis facta erant, facile ad Persas delata sunt. Veluti a Persis regnum in provincias esse distributum constitutosque magistratus illos tres, iudices, duces, procuratores, commune Herodoti et recentiorum scriptorum erratum est. Itaque Scytharum occisio, quam per duces illos constabat esse factam, vel populi opinione vel iudicio Strabonis ad Persas ad eorumque duces est translata. Hoc igitur unum iddemque tum Strabo tum libri Estherae scriptor ad nos retulerunt, Scythas ea nocte, quae interfuit inter tertium et quartum decimum diem mensis Adar per provinciarum duces ad internecionem esse redactos. De modo igitur interfectionis, de diei annique tempore, de hominibus, per quos res illa quidem acta est, summa est inter illos consensio.

Vna sententia Strabo explicata nos alteram, quam fama acceperat, celare noluit. *Alios* enim *de hac re ita dicere* ait. *Cyrum contra Sacas profectum proelio inferiorem fugisse. Castris autem eo loco positis ubi reliquisset impedimenta omniumque rerum maxime vini copias, quum paulum quievisset, exercitum sub vesperam eduxisse quasi fugeret, relictis plenis tabernaculis. Quum autem quantum videretur conducere, progressus esset, eum consedisse. At vero quum accessissent illi castraque virorum inania, rerum autem ad fruendum paratarum referta deprehendissent, sese ad libidinem complevisse. Hunc deinde reversum vinolentos offendisse eos ac perterritos ita, ut alii caesi sint in sopore ac somno iacentes, saltantes alii ac bacchantes in hostium arma nudi inciderint. Interiisse autem fere*

omnes [1]). Haec quidem narrando relata et accepta, quamvis quaedam contineant falsa, tamen veris non omnino vacant. Quis enim negare potest, Scythas noctù vini plenos et inermes, quum alii cubarent alii tripudiarent, gladio fere omnes iugulatos esse? Quis autem vulgaris hominum moris paulo est peritior, qui veram illam rem ad popularem modum exornatam et auctam Cyroque, quem cuncta pleno ore Asia celebrabat, tributam esse miretur? Quis enim nescit, in populorum memoria res ipsas veras haerere et integras, quamvis eis falsae saepenumero vel personae vel causae rationesque supponantur? Ac de eis, quae memoriae prodidit Strabo, satis disputavimus.

Iam vero ut de teste altero dicamus, Herodotus ut a tempore huius rei minime abfuit, sic ad veritatem etiam proxime accessit. Eius verba e Graeco conversa haec sunt: *Per annos viginti octo imperaverunt Asiae Scythae, ab eisque omnia prae superbia et contemptione excitata ac vastata erant. Separatim enim a quoque tributum illud exegerunt quod cuique imposuerant, praeter tributum autem per omnes vagantes provincias rapuerunt ea, quae quisque habuit. Atque horum quidem plurimos longe Cyaxares et Medi excipientes hospitio et inebriantes trucidarunt, et ita conservarunt imperium Medi et sub potestate obtinuerunt ea quae antea* [2]) etc. Haec breviter ille quidem sed ac-

1) Strabo l. c. Ὁ δὲ Κῦρος ὑποστρέψας ἐξοίνους τοὺς Σάκας κατέλαβε καὶ παραπλῆγας, ὥστ' οἱ μὲν ἐν κάρῳ κείμενοι καὶ ὕπνῳ κατεκόπτοντο, οἱ δ' ὀρχούμενοι καὶ βακχεύοντες γυμνοὶ περιέπιπτον τοῖς τῶν πολεμίων ὅπλοις· ὀλίγου δὲ ἀπώλοντο ἅπαντες.

2) Herodt. 1, 106. Ἐπὶ μέν νυν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα ἦρχον τῆς Ἀσίης οἱ Σκύθαι καὶ τὰ πάντα σφι ὑπό τε ὕβριος καὶ ὀλιγωρίης ἀνάστατα ἦν. χωρὶς μὲν γὰρ φόρον ἔπρησσον παρ' ἑκάστων τὸ ἑκάστοισι ἐπέβαλλον, χωρὶς δὲ τοῦ φόρου ἥρπαζον περιελαύνοντες τοῦτο ὅ τι ἔχοιεν ἕκαστοι· καὶ τού-

curate. Primum enim quo tempore Scythae et a quibus obtruncati sint, vere probe ac definite tradidit. Erat enim idem Medorum rex Assuerus ille, quo adiutore Mardochaeus a Scythis poenas repetivit, et is, quem Graeci vocabant Cyaxarem. De tempore igitur iam perspicuum est, Herodotum et sacrum auctorem inter se consentire. At vero de interfectoribus haud ita magna illorum videtur esse consensio. Quid enim? Nonne alter factum illud esse a Medis, nonne a Iudaeis dicit alter? At vero si alter explicandum sibi sumpsit, a quibus, alter vero, per quos acta res sit; num quid inter eos discrepans aut controversum est? Perspecto enim discrimine illo, quis infitiari potest, a Cyaxare quidem, a Medorum ducibus, sed per Iudaeos Scythis cladem esse illatam? Sed altera in promptu est huius difficultatis explicatio, quae nescio an probabilior superiore illa sit et multo accommodatior. Nam illud nobis minime in dubio est, quin Iudaei et Israelitae qui erant a Salomone mortuo inter se divisi, sese ad hoc praeclarum facinus coniunxerint. Neque vero minus exploratum est, Israelitas tunc Iudaeis et numero fuisse et fortitudine superiores sedesque habuisse Armeniae Scythisque propiores. Atqui Israelitae illi, qui iam tum per centum quadraginta annos Mediam superiorem incoluerant, quique in eisdem sedibus permanserunt postea, nonne a scriptore Graeco Medi potuerunt vocari, praesertim quum ipsorum Medorum regi tanta hac re officia praestitissent?

Iam quaeramus de caesorum numero. Quod Susis quingenti priori die sublati, trecenti relicti sunt, id in eam sententiam nos adduxit, ut omnino in toto re-

---

των μὲν τοὺς πλεῦνας Κυαξάρης τε καὶ Μῆδοι ξεινίσαντες καὶ καταμεθύσαντες κατεφόνευσαν κτλ.

gno eamdem fuisse mortuorum et vivorum rationem putaremus. Quae res si ita est, multo plures ex eis, quam dimidia pars, occisi sunt. Sed considerandum est, Susis Iudaeorum consilium facilius quam in provinciis potuisse enuntiari. Quo facto, plures certe ad effugiendum tempus nacti sunt. Quamobcausam plurimos longe de Scythis cecidisse, paucos mortem fuga vitasse statuendum est. Cum hac sententia faciunt Strabonis verba: *funditus eos deleverunt*, et altera: *fere omnes interierunt* [1]; neque contrarium est quod dicit Herodotus: *eorum plurimos* (τοὺς πλεῦνας) *Cyaxares et Medi trucidarunt*. Nam si apud Graecos οἱ πολλοὶ iddem valet quod *multitudo, maior numerus, plerique;* οἱ πλεῦνες *maximam partem* vel *longe plurimos* significet necesse est. Vt igitur Scytharum maximam partem dicimus interiisse, sic ex clade illa quosdam evasisse non negamus. Alterum ut dicamus, Herodoti Strabonisque testimonia postulant. Negare alterum tribus de causis non possumus. Vna est, quod Scythae nonnulli ex calamitate illa reliqui haud ita multis annis post Medorum ex finibus ad Lydorum regem Alyattem confugisse traduntur [2]. Altera, quod eidem postea in patriam reversi servos in seditione offenderunt [3]. Tertia haec est, quod Scytharum gens quae Herodoti tempore non nimis magna esse dicebatur [4], a redeuntibus illis procreata est. Quamobrem caesorum numerum qui in Hebraicis de Esthera exemplaribus exstat, neque maiorem iusto neque minorem esse censemus. Ob eamque causam minus magnum apud Graecos numerum aut ex imperiti

---

1) Strabo l. c. Ἄρδην αὐτοὺς ἠφάνισαν· ὀλίγου ἀπώλοντο ἅπαντες.
2) Herodt. 1, 73. s.
3) Ibid. 4. 1.
4) Ibid. 4, 8.

correctoris iudicio aut ex librarii cuiusdam negligentia natum dicimus.

Sed a Strabone in eo discrepare Herodotus videtur, quod Scythas ad paratas epulas a Medis receptos deinde inebriatos dolo periisse ait. Sed ut largiamur aliquam in hac re esse dissensionem, tamen retineamus oportet, in hac ipsa discrepantia gravissimis de rebus esse concordiam. Nam Scythae si sunt a Medis invitati, certe vocati ad coenam, non alio tempore nisi noctu trucidati sunt. De tempore igitur scriptor Hebraeus, Strabo atque Herodotus unum sentiunt, iddem dicunt. Sed etiam haec Graecorum uterque accepit, Scythas quum interficerentur, sive ad epulas sive ad compotationem convenisse eosque interiisse coenatos atque ebrios. Quid vero? Quos gravioribus de rebus videmus consentire, de levioribus eos in controversia esse putabimus? Quod Herodotus de invitatione dicit, id quam sit Medorum consuetudini consentaneum [1]), quis non videt? Quodsi igitur Medos Iudaeosque statuimus simulasse se simul cum Scythis festum agere illosque ad se invitasse, nonne sublata omnis controversia est? Quis est praeterea, quin illos in tam vasto regno alias alia ratione deceptos et oppressos esse existimet? An fieri non potuit, ut in Media ad pocula invitati, in Armenia, in Persia, in Ponto Marti laeta agentes, ubique crapulae pleni in perniciem irruerent? Sed iam breviter faciamus harum rerum summam. Quodsi igitur Niebuhrius inter Magorum caedem et hostium Iudaeorum exitium similitudinem sibi aliquam invenisse visus est: nos certe summo iure affirmamus, internecionem illorum et cladem Scytharum plane inter se et omnibus ex partibus congruere. Nam qui historicarum rerum haud imperitus est, non ignorat, quam

1) Esth. 1.

raro id evenerit, ut quae gens gladio tota fere excideretur. Atqui eiusmodi clade perquam rara antiquis temporibus gentem quamdam in Asia affectam dicunt Strabo, Herodotus, libri Estherae scriptor. Sed non modo de re, quamquam non saepe in historia inveniatur, illi quidem congruunt, sed etiam de gente. Scythis enim, Sacis calamitatem illam accidisse, ex trium illorum auctoritate constat. Neque vero de loco ulla est testimoniorum varietas. De Persia enim, de Media, de Armenia loquuntur omnes. De tempore porro mirum est, quantopere illorum verba in unum conveniant. Neque enim in infinitam antiquitatem factum illud detruditur: sed in Medorum regno, in Cyaxaris aetate quum ab Herodoto tum a scriptore sacro constituitur. Accedit Strabo accurateque declarat quod illi significando ostendunt, caesos esse Scythas intempesta nocte. Sed hic quidem plura. Etenim sub finem anni militaris, quum Martis festum agerent, i. e. mense Adar a decimo tertio ad proximum diem, qua nocte luna plena esse coepisset, improviso eos necatos esse, Graeci huius auctoris et Hebraici consensu efficitur. Sed ne de eis quidem, a quibus illud factum sit, ulla discrepantia. Nam *a Cyaxare, cuius nomine litterae scriptae sunt*, testes dicunt duo, *sub praesidio provinciarum ducum*, addit tertius, atque huic consentiunt illorum uterque. Denique qua nocte occisi sunt, eos vini multum potasse Strabo testatur et Herodotus, eiusque rei sitne in libris sacris significatio, postea dicemus. Quodsi igitur coram iudice ageretur, utrum liber Estherae de Scytharum caede commentarius sit necne; ne subtilitas quidem iuris peritorum posset aut plura argumenta quam quae protulimus, aut graviora requirere. Sed tot tantisque rationibus ecqua ex reliquis locis accessio fiat, videamus.

§. 36.

De Amadatha eiusque filio Amane.

Quantum cognosci ex veterum rerum memoria potest, populi septentrionales interdum vehementi quadam animi commotione excitati quod aut timebant adversa aut prospera et iucunda sperabant, relictis sedibus suis, in regiones australes incursiones fecerunt. Eiusmodi migrandi cupido, quae Christi domini nostri aetate multorum animos incessit, quinto saeculo innumerabilem illam gentium multitudinem ab aquilone in Italiam, in Galliam in Hispaniam Africamque adduxit. Nam quum primum ab uno populo seditio motusque ortum esset, ab his alii expulsi alios expellere, de patria exire novasque sedes petere coegerunt. Eadem de causa sexcentis annis ante Chr. n. quum alii alios premere excitare propellere coepissent, Scythae, Cimbri, ita enim Κιμμερίους dico, atque Teutones cum magno et numero gentium et varietate Asiam quae ad meridiem spectat invaserunt. Huius incursionis qui fuerint principes atque auctores, dubium et incertum est. Quidam enim memoriae prodiderunt, ab Arimaspis ut ex finibus suis exirent, coactos esse Issidones, ab Issidonibus Scythas, a Scythis denique Cimbros [1]). Alii, quorum sententiae non temere assentitur Herodotus, Scythas dixerunt emigrationis illius fuisse auctores, ab eisque e sedibus pulsos esse Cimbros [2]). In hanc sententiam plures me quoque rationes adducunt. Sed de eis post. Nunc quas in regiones illi et qua fortuna demigraverint, dicamus. Cimbri igitur, quibuscum sine dubio coniunctae erant Teutonicae Gallicaeque gentes,

---

1) Herodt. 4, 13.
2) Ibid. 11.

duce Lygdame [1]), iter ad Pontum Euxinum fecisse dicuntur. Itaque quum Cholchidem Pontumque peragrassent. Halyn flumen transeunt , Sardianorum urbem praeter arcem vi capiunt totamque Lydiam occupant. Sed quum triginta annis amplius hos fertilissimos agros tenuissent, ab Alyatte, qui erat eius regis nepos, quo regnante venerant, Asia expelluntur [2]). Neque tamen omnes eiectos esse credo. Galli enim certe, qui eidem vel Celtae vel Galatae vocantur, a Cimbris Teutonibusque adducti in eis regionibus remanserunt. Scythae vero ingenti ex variis gentibus coacto exercitu, aliam viam ingressi, quum Caucasum ad dexteram haberent, in Medorum fines improviso irruunt. Erant enim ei omnes equites sagittarii. Tanta autem erant tamque singulari celeritate, ut aequalibus scriptoribus non equis venisse sed quasi tempestas vehementissima ventorum vi et rapiditate advolasse viderentur. Sed eorum adventus in illud tempus incidit, quum Cyaxares in eo ipso esset, ut Ninum urbem vi caperet. Qua quidem ex re huius incursionis quae causa fuerit, iam aliqua ex parte elucet. Scythae enim iamdiu cum Assyriis belli societate, cum Nabuchodonosore autem summa familiaritate copulati fuerunt. Neque enim bellorum socios solum se praestiterunt, sed etiam ultro ipsi per se hostibus saepius bellum intulerunt. Eiusmodi expeditionem paucis ante annis Holoferne duce in Iudaeos fecerant. Nam equites illos sagittarios, quorum duodecim milia in illius exercitu fuerunt, natione Scythas fuisse supra probabile visum est. Et profecto apud patrem nostrum Ephraemum Syrum in hac eadem sententia veterrimos auctores fuisse invenio. Holofernem enim ipsum Gogaeum h. e.

1) Plutarch. vitt. parr. 2, p. 339.
2) Herodt. 1, 15. s. 103. 4, 12.

Scytham habendum putarunt [1]). Sed Scythae quum in aliis proeliis tum in expugnandis Hierosolymis summo Nabuchodonosori praesidio fuerant. Quid vero? Quum hominem illum militarem de se tantopere meritum a Medis victum obsidioneque inclusum viderent, num in otio et inopia dies terere, an beneficiorum et naturae suae memores illum liberare et cum victoria totam Asiam ad suos praedam referre maluerunt? Quamobrem sive ultro et sponte sua sive ab illo ut opem ferrent vocati copias quas potuerunt maximas ex aliis gentibus parant atque ex omnibus partibus quasi in Medos influunt. Tanta erat autem Scythicarum copiarum multitudo, ut ab Herodoto non modo στρατὸς μέγας appellaretur, sed etiam exercitui innumerabili illi compararetur quem Xerxes ex Asia in Graeciam duxit [2]). Neque vero Medorum fines tum campi erant aut agri sed similes continuis hortis. Quum illi omnes cum rege abessent, mulieres cum inermi iuventute in hostium manus incidunt, urbes pagi aedificia ubique praedationibus patent. Primo nuntio Medi accepto non ut aliena capiant sed qua ratione sua defendant summopere curant, Ninum urbem relinquunt, in patriam quam maximis itineribus contendunt. Vbi ad fines suos fessi defatigatique redeunt, statim sibi dimicandum esse intelligunt. Sed proelio facto, primo impetu fusi hostibus et domicilia et imperii partem concedunt [3]). Hac victoria Scythae elati quum Assyrios beneficio obstrictos, Medos vi oppressos tenerent, insolentius sese gerere, tributum

---

1) Ephr. Syr. in Ezec. 38. *Gog crediderunt fuisse qui Holofernes in historia sacra appellatur fuitque magister Nabuchodonosor regis Nineve.*

2) Herodt. 1, 103. 7, 20.

3) Ibid. 1, 103. s.

ex cuncta Asia exigere, agros populari, ex aedificiis quodcumque vellent, rapere, e Media in finitimas gentes erumpere et opportuno tempore cum praeda redire. Erant autem ea tempestate crebris Assyriorum expeditionibus urbes captae et eversae, oppida pagique relicta, agri vastati, vites olivetaque excisa, plerique populi in exsilium ducti, bello denique vel defatigati omnes vel fracti. His de causis quanto facilius erat Scythis in Asia dominari, tanto dominatio eorum acerbior victis ac minus tolerabilis. Sed ex eisdem rationibus intelligitur, quomodo praedatores illi, quum Asia eis tum omnis pateret, ex Aegypto pro spoliis ditissima dona referre potuerint [1]).

De tempore huius rei variae sunt et discrepantes eruditissimorum hominum opiniones. Sacri ecclesiae scriptores repentinas illas multitudines in Asiam dicunt inrupisse post exsilium Babylonicum. Quod quidem verius ab eis dictum, quam ab aliis intellectum videtur. Nam Scythicas incursiones hi quidem post deductos, illi post reversos Iudaeos collocarunt. Qui nostra memoria de historicis rebus scripserunt, ei quo minus magni in hac re aestimarunt auctoritatem Herodoti, eo longius a veritate videntur aberrasse. Nos quidem hoc loco tempora ita definimus ut venisse Scythas Cyaxaris anno primo aut altero, interiisse dicamus duodecimo. Quum enim de his temporibus tum de Nini urbis expugnatione deque solis defectu a Thalete antenuntiato disseremus accurate in alio libro.

Iam vero, qui Scytharum agmina in Mediam adduxit, eius nomen apud Herodotum in nostris exemplaribus scriptum est Μαδύης [2]). Quodsi nobiscum repu-

---

1) Herodt. 1, 105.
2) Ibid. 1, 103.

taverimus Scythicum illud תא h. e. ϑα vel ϑυα a Graecis in ϑης vel ϑυης mutatum esse: hoc nomen aut Μάϑύης aut Μαδαϑύης scribendum censebimus. Vtrum sit verum, haud sane dubium esse potest. Est enim *Madatas* nomen in Asia usitatum [1]). Praeterea Herodoteus ille *Madathues* haud fere alius esse potest quam Amanis pater, cuius nomen est המדתא *Amadatha* vel abiecto articulo *Madatha.* Hic igitur Amadathas ingentem illum exercitum in Asiam adduxit sed haud ita multo post aut senectute confectus aut vulneratus in proelio decessit. Quo mortuo, Aman filius regnum suscepit: quae res in libro Estherae breviter nullaque addita causa ita exponitur: *Post haec rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi qui erat de stirpe Agag, et posuit solium eius super omnes principes quos habebat* [2]).

Iam autem reges illi Aman et Amadatha, quum alter, ut videtur, in expeditione, alter in patibulo periisset, postea a suis in deorum numerum relati sunt. Nam ne in hac quidem re Scythae a Graecis Romanisque abhorrebant. Sed quoniam non modo reges sed maxima Scytharum pars ad numerum septuaginta quinque milium occisi in Armeniaque sepulti sunt: posteri quum sepultorum omnium tum vero maxime regum illorum memoriam ludis celebrare coeperunt. Aman autem et Amadathas cum dea patria ita coniuncti sunt, ut perpetui illius et stabiles socii esse viderentur. Sed ut omnis ex Scythia superstitio, sic etiam duorum regum cultus sepultorumque ludi ad Graecos Romanosque manarunt. Reges enim illos Graeci Καβείρους h. e. a verbo קבר *sepultos,* ludos Romani *Taurios* appellabant. Cabirorum

1) Xenoph. Cyrop. 5, 3, 41.

2) Esth. 3, 1. Amadathae pater ab Herodoto vocatur Protothues. Is Assyriorum socius Iudaeorum regem Manassem Babylonem duxit.

memoria quamvis sit variis fabulis obruta, tamen haec vera continet, fratres eos vel potius consanguineos fuisse atque in longinqua quadam expeditione periisse deorum ira percussos. Nomina vero apud Strabonem eo ipso loco exstant, quo ab eo de Sacarum clade dictum est. Vbi enim probabiliorem illam sententiam exponit, *duces Persarum* scribit *post Sacas interfectos construxisse Anaitidis fanum et sociorum deorum Amanis et Amandatae Persicorum daemonum* [1]. Haec nomina quoniam et inter se et cum Sacarum interitu connexa sunt, dubitari nequit, quin Scytharum reges Amadatham Amanemque indicent. Quamobrem pro Ἀμανδάτου scribendum Ἀμαδάτου putaverim. Hos autem, qui Anaitidis socii, σύμβωμοι i. e. *eadem ara cum ea coniuncti* appellantur, Cabiros esse satis constat. Neque vero illud omittendum, vocatos eos a Strabone esse primum quidem θεούς, post vero accuratius δαίμονες. Etenim δαίμων proprium nomen est eorum, qui ex hominibus inter deos translati sunt. Vt huius rei exempla afferam, Iphigenia et Zamolxis, quorum uterque homines fuisse postea deorum vim naturamque consecuti putabantur, ab Herodoto nominantur δαίμονες [2].

Exstat igitur Amadathae nomen apud Herodotum, Amanis et Amadathae apud Strabonem. Hic in magna illa expeditione Scytharum rex fuisse traditur. Illorum cum Sacarum caede colligata memoria est Quibus rebus quantopere non loco cuipiam sed cunctae nostrae de Idumaeis, de Scythis, de libro Estherae disputationi fides augeatur, facile poterit quisque iudicare.

---

1) Strabo l. c. Καὶ οἱ τῶν Περσῶν στρατηγοὶ τὸ τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο Ἀμανοῦ καὶ Ἀμανδάτου Περσικῶν δαιμόνων.

2) Herodt. 4, 94. 103.

§. 37.

De Zara Amanis uxore.

Quanta saepenumero civitatibus commoda, quanta detrimenta attulerint mulieres, non magis ex libris de historia scriptis quam ex vita quotidiana cognosci potest. Quum enim a gerendis rebus natura sua institutisque nostris arceantur; deliberationem sibi et ea quae pertinent ad consilia capienda assumere solent. Quo fit, ut ad ea quae ipsis visa sint, viros vel laudando incitent vel vituperando retineant. Quoniam autem plerique auctores magis exponere res quam causas rerum patefacere student, in nostris libris non quid mulieres consiliis aut adhortationibus valuerint, sed homines quid egerint, perscriptum videmus. Hanc ob causam nihil difficilius est, quam investigare prima et vera rerum gestarum principia. Vbi autem non satis liquet cur viri in administranda republica sibi minus constiterint: haud sane erraveris, si inconstantiae causam in uxoris consiliis precibusque positam putaveris.

Sed ex interioribus aedibus, in quibus apud Graecos mulieres absconditae erant, dicta earum quaedam, facta fere nulla ad nos pervenerunt. De matronis Romanis, quibus ob probatam castitatem libertatis plus concessum est, plura etiam memoriae tradita sunt. Mulierum autem praeclara dicta egregia facta haud scio an a nullis tam diligenter tamque officiose conscripta sint quam ab Hebraeis. Cuius rei quae causa fuerit, in promptu est. Hebraicae enim mulieres, quamvis maritos tamquam patresfamilias dominosque venerarentur, tamen consiliorum erant participes eademque utebantur, qua illi, et libertate et dignitate. Quare factum est, ut eidem illi erga quas non magis observantes quam verecundi in

vita erant, eas in rebus scribendis minime negligerent. Apud Scythas contra feminae non modesta illa libertate sed effrenata erant licentia. Quamobrem plura apud Graecos sunt de Amazonibus sed eiusmodi, quae non sine fastidio legere possis. Sed quamvis res iniucunditatis quid habeat, tamen nostra disputatio postulare videtur, ut de Zara vel Zarina Amanis uxore dicamus, quam ex Amazonibus ortam natura moresque produnt.

Quae nonnullae in Asia mulieres gesserunt, homines magis imprudentia quam consilio ducti audiendo narrando soliti sunt augere ac commutare. Quapropter res ita dubiae incertaeque sunt, ut quae mariti perfecerint, coniugibus saepe sint adscripta. Veluti Amyitis Nabuchodonosoris uxor, fabuloso Semiramis nomine eademque qua ille fortuna usa, easdem etiam expeditiones fecisse dicitur. Neque vero magis Assyria illa Semiramis, quam Scytharum regina Zara fama fabulisque celebrata est. Quamobrem videndum est, ne eis omnibus quae a Graecis de Amazone illa dicta sunt, fidem temere adhibeamus. Quod praeceptum etiam eam ob causam difficile est negligere, quod de ea Ctesias aliique scripserunt, quibus minus tribuere auctoritatis consuevimus. Incerta enim illum pro certis, falsa et suppositicia pro veris habuisse eumque de rebus Medorum non esse audiendum, veterum recentiorumque consensu constat. Etenim Strabonis iudicium, quamvis de Herodoto aliisque est iniquum, tamen de Ctesia verum iustum aequum esse confitendum est. Sed primum de Zara quae sunt certa dicamus.

Quantum ex libro Estherae perspici potest, Zara Amanis uxor magno mulier ingenio, consilii plena, contra inimicos dura et crudelis fuit. Haec enim ab Amane ad deliberationem amicorumque concilium adhibetur, haec ab eodem quid sibi agendum, consulitur. Quae

quum natura saeva efferataque esset, atrox illud et immane dedit consilium, ut crux alta et excelsa pararetur Mardochaeo. Postea autem quam Amanem a rege repulsam tulisse accepit, rebus omnibus penitus perspectis, et illum e regno deturbatum iri, et gentem suam in summo fore periculo praenovit [1]). Crudelitate igitur viro suo ceterisque mulieribus, an prudentia et calliditate praestiterit, haud facile dixerim. Eadem autem cura et sagacitate id videtur consecuta, ut ex acerbissimae mortis periculo sese eriperet. Quamvis enim Iudaeis imperatum sit, ut neve infantibus Scytharum neve mulieribus parcerent, tamen Zaram arbitror ex illorum manibus potuisse effugere. Haec quidem ex libro Estherae.

Ctesias, qui in universum de rebus Medorum ab Herodoto pariter atque a veritate discedit, tamen in eis rebus, quae aliis auctoribus probatae sunt, fide haud indignus est. Hic igitur Medorum regem eum, qui Astyagi proximus fuit, vocat *Astibaram*. Is quum et penultimus sit, totidemque quot Cyaxares annos regnaverit, haud fere alius quam Cyaxares ille esse potest. Neque enim est, quod, mutata littera una, differat inter nomina A-ss-i-b-a-r-a-s, et A-ss-v-e-r-u-s. Nam *b* et *v* promicue adhiberi solent. Quae igitur Astibara regnante facta esse traduntur, ea haud temere ad Cyaxaris aetatem referre mihi videor. Ctesias autem huic regi diutinum bellum fuisse dicit cum Sacis, cuius auctores fuerint Parthi. Eos enim a Medis descivisse ad Sacas. Hinc longum et cruentum bellum, quod Sacae tam fortiter gesserint, ut vel caput Mediae obtinerent. Pace tandem foedereque facto, Parthos Medorum sub potestate remansisse [2]). His relatis bellum illud quasi adumbratum

1) Esth. 5, 10. 14. 6, 3.
2) Diodor. Sie. 2, 34.

est, quod Cyaxari cum Scythis fuit. Neque tamen certi quid de hac re affirmaverim, priusquam quae Parthis fuerit Israelitisque coniunctio, constiterit.

Bello illo Ctesias exposito, *quo tempore Astibaras Medis, eodem Sacis bellicosam,* ait, *imperasse mulierem, quae reliquas illorum feminas factis audaciaque longe antecederet, nomine Zarinam. Omnino enim huic genti robustas esse mulieres, periculorum belli cum maribus promiscue socias. Sed hanc venustate etiam praestitisse omnibus, fuisseque consiliis conatibusque admirabilem. Ab eadem, qui fortitudine freti ex barbaris Sacarum gentem subegissent, victos esse atque superatos, civilem cultum institutum, haud paucas urbes conditas, vitam omnem etiam aliorum populorum feliciorem effectam. Tantorum cives beneficiorum memores post mortem ei gratias retulisse, sepulcrumque aedificasse, quod inter omnia emineret. Illos enim pyramidem triquetram exstruxisse, fecisseque unumquodque latus longum stadia tria altum unum, cacumine contracto in acutum. Ei autem imposuisse statuam permagnam ex auro factam. Ad hoc honorem ei heroinae adhibitum, sumptusque maiores ei, quam superioribus, concessos* [1]. Haec Ctesias.

Hanc quidem mulierem Amanis uxorem fuisse, aetas nomen moresque indicant. Fuit enim ut haec, sic Amanis uxor regi illi aetate aequalis, qui Astyagem apud Medos regno proxime anteivit. Nomini autem Zar ut apud Hebraeos feminini generis exitus est זרה *Ζωρ-ὰ* [2] vel זרשׁ ,זרת Zar-es [3], sic apud Graecos *Ζαρ-ίνα* [4]. Mores

1) Diod. Sic. l. c.
2) Sic cod. Origen. vid. LXX edt. Holmes.
3) Libr. Hebr. et Vulg.
4) Cf. *ἡρωΐνη*, *θέαινα*, *λύκαινα*.

denique, natura, indoles utrobique congruunt; eadem enim fortitudo, par audacia, prudentia aequalis et astutia, nisi quod virtutes a Ctesia aliquantum auctae et ornatae sunt. Non sine singulari dei beneficio factum est, ut litterarum Graecarum monumentis non modo caedis illius memoria sed etiam Zarae, Amanis, Amadathae nomina conservarentur. Quod autem Zarae nomen in fabulas abiit, non sane est mirandum, propterea quod eodem nomine dea patria appellabatur. Quamobrem deae facinora paulum diminuta a muliere illa non admodum discreparunt, mulieris vicissim incepta non nimis aucta Zarae deae convenire visa sunt. Rebus ita exaequatis, Zara Amanis uxor, ut Semiramis, cum nomine etiam honorem divinum consecuta est. Sed statuam auream et monumentum hoc loco mittamus; fortasse postea ad ea oratio redibit.

Praeterea aliud nobis est fragmentum, quo Graecus quidam *Zarinaeam*, dicit, *post mortem mariti fratrisque Cidraei Sacarum regis, nupsisse Mermero qui tum Parthis praeesset. Eam autem, quum Persarum rex bellum inferret, proelio interfuisse, dein vulnere accepto fugisse. Fugientem persecutum esse Angaeum, sed supplici pepercisse. Illum*, ut idem ait, *haud multo post Mermerus superavit atque interimere constituit. Illius igitur vitam salutemque Zarinaea a marito precata, quum non impetrasset, noctu captivis quibusdam solutis, Mermerum coniugem interfecit, Persis terram tradidit, amicitiaque cum eis coniuncta est, ut ait Ctesias* [1]. Qui haec reliquit aut Ctesiae scriptis non usus est aut quae tradiderat ille, mutata red-

1) Heeren Bibliothek der alten Litteratur und Kunst VI. Ineditt. p. 11. s.

didit. In fabulis autem explicandis non placet sane aut nostrum aut lectorum otium consumere.

Alteram autem fabulae partem reliquit Nicolaus Damascenus. *Mortuo enim Mermero, Stryagaeum* [1] *Cyaxaris generum amore commotum esse, ut, quum bellandi finem fecisset, Zarinam Scytharum reginam in regni arce viseret, eique cupiditatem suam aperiret. Sed quod ab ea repulsam tulisset, mortem sibi ipsum conscivisse* [2]. Haec nonnullum habent momentum ad argumentationem nostram, propterea quod Zarinam Cyaxari Medorum regi aequalem fuisse demonstrant. Duo praeterea de eadem muliere fragmenta nobis exstant, alterum apud Demetrium Phalereum, apud Tzetzem alterum [3]. Quum de eadem Zarina disputaret Boivinius [4], rem haud indignam iudicavit, quae tractaretur a poetis, quo quidem iudicio dubium est, animi sui mollitiam potius an imbecillitatem prodiderit.

Quoniam igitur Amadatham, Amanem, Zaram, quorum nomina ex libro Estherae cognita sunt, non modo Sacas sed etiam Cyaxari aequales fuisse, Graecorum testimoniis probatum est: illud certe a nobis est perfectum, ut et librum illum de Scytharum caede scriptum et Gagaeos atque Scythas eosdem fuisse appareat. His expositis, reliquum est: ut dicatur de sortium festo die, quem Mardochaeus instituit omnisque Asia celebravit.

---

1) Στρυxγαῖος, apud Demetr. Στρυάγλιος, apud Tzetz. Στρυάλιος. Baehr, Ctesias p. 449. ser. Στρυάγλιος. Mihi seribendum videtur Στρυαγαῖος.

2) Excerptt. Valess. p. 437. ss. Orell. p. 36. s.

3) Demetr. Phal. §. 218. s. Tzetz. Chil. 12, 894.

4) Mémoires de l'académie des inscriptions 2. vol. p. 63.

§. 38.

De die sortium deque ludis Sacaeis.

Celeberrimi apud Medos, apud Persas Babyloniosque erant ludi Sacaei. De eorum institutione magna apud veteres consensio est. Dubia autem significatio nominis recentiorum animos in varias etiam de vi naturaque ludorum suspiciones opinionesque distraxit. Quum enim apud eos ipsorum coniecturae plus quam veterum testimonia valerent, accidit, dum nomen illud interpretari student, ut et nominis et rei vis vera eos fugeret. Casaubonus enim, quum Babyloniorum hos ludos fuisse legeret, verbum Σακαία a Sesac, quod apud Ieremiam Babylonem significaret, ducendum putavit [1]). Sacaei igitur ludi ex eius sententia eidem sunt qui Babylonici. Huius opinione refutata, Bernhardius Sacaeos, quum Bacchanalia essent, a שִׁקְיָא *epulae* nomen habere opinatus est [2]). Bochartius vocabulum illud a Persico *Shak* i. e. *rex* fluxisse Sacaeosque ludos regios fuisse voluit [3]). G. I. Vossio autem ludi a Sacis nomen accepisse ac Romanorum Saturnalibus haud dissimiles visi sunt [4]). Aliorum opinionibus omissis, quid de hac re Moversius senserit, non tam propter sententiae veritatem quam propter viri auctoritatem exponere liceat. Ille igitur quum hos ludos ab Hesychio Scythicum festum nominatum videret, Σακαία iddem quod סכיא plur. Chald., Σκυθ non aliud quam סכות esse statuit. Ludos autem ipsos his verbis explicavit: חג הסכות h. e. ἑορτὴ σκηνῶν, ut a laetis ta-

1) Casaub. ad Athenaeum ann. tom. VIII. p. 494. Schweigh.
2) Bernhard. Hesych. tom. II. p. 1139.
3) Bochart. Georg. sacr. 1. p. 113. s.
4) G. I. Voss. de Idolol. II. 22. p. 154. s.

bernaculorum diebus omnino non differrent [1]). Varias has et discrepantes sententias redarguere necesse non puto; res ipsa refutabit.

Hesychius igitur ludos Sacaeos et verissime scripsit a Sacarum gente nominatos, et probe definivit ita, ut Scythicos eos esse diceret [2]). Nomen autem illud obtinuerunt, non quod essent a Sacis instituti sed quia de Sacis fieri coepti sunt. Hos enim si cum sortium festis diebus contulerimus, prorsus cum illis congruere intelligemus.

Primum enim ab eisdem eamdemque ob causam indicti atque instituti sunt. Strabo, ubi quae de Sacis indagaverat priori loco exposuit, his fere verbis dicere pergit: *Persarum autem duces postquam Sacas funditus deleverunt, annuos ludos sacros indixerunt Sacaeos, quos usque ad hoc tempus celebrant qui Zela urbem habent* [3]). Haec ipsa per se satis perspicua sunt. Nam provinciarum illi duces qui fuerint, supra explicatum est. Iam vero Mardochaeus, ut scriptum est in libro Estherae, victoriae illius memoriae diem post caedem proximum festum dedicavit, eumque in cunctis provinciis ab omnibus Iudaeis sanctum haberi iussit. Per duces igitur scribasque provinciarum quum Mardochaei litterae Iudaeis redderentur [4]), etiam festum diem pronuntiatum esse, quis non videt? Reliquae autem gentes, quoniam a Scytharum populationibus liberatae sunt, quid mirum, si communem cum Iudaeis festum diem

---

1) Movers. Phoeniz. I. p. 480. ss.

2) Hesych. tom. II. p. 1139. *Σάκαι οἱ* (alterum *οἱ* delendum) *Σκύθαι, Σακαία ἡ Σκυθικὴ ἑορτή.* Bernard. pro *Σκυθικὴ* scribere *Περσικὴ* voluit; temere.

3) Strabo l. c. *Ἀπέδειξάν τε οἱ τῶν Περσῶν στρατηγοὶ πανήγυριν κατ᾽ ἔτος ἱερὰν τὰ Σακαῖα, ἣν μέχρι νῦν ἐπιτελοῦσιν οἱ τὰ Ζῆλα ἔχοντες.*

4) Esth. 9, 20. 23. 29.

agere coeperunt? Quid autem de ludorum principio loquar? Causam enim et sortium dierum et Sacaeorum cladem illam esse Sacarum, nonne ex Strabonis verbis satis superque patet?

Deinde vero eodem tempore Babylonii Sacaeos fecerunt, quo sortium dies Iudaei. Mardochaeus enim, ut dies illi quotannis celebrarentur, imperavit. Ludos autem etiam annuos fuisse, Strabo dicit et Berosus. Sed eodem etiam die utrique fieri solebant. Apud Iudaeos enim dies duo, qui dies erant decimus quartus et quintus mensis Adar, festi instituti sunt, quorum unum ieiuniis, alterum epulis laetitiaeque dare consueverant. Quintodecimo igitur die sub vesperum incipiebant coenare in multamque noctem vel etiam usque ad lucem bibere saltare laeta agere solebant. Babylonii igitur, quum epularum potius quam ieiuniorum socii esse vellent, ludos a vespero quintidecimi diei inceperunt. Quo factum est, ut mensis dies decimus sextus ludorum apud eos esset primus. Quid igitur nostram sententiam magis potest confirmare, quam quod apud Athenaeum sumptum ex Beroso est, *decimo sexto die mensis Loi ludos Sacaeos Babylone esse factos* [1])? De mense autem quaestio perdifficilis est. Neque enim eodem illo mensis nomine Berosus, an alio usus sit, satis constat; neque quem populum Athenaeus aut Berosus secutus sit in nominandis mensibus. Plerique igitur Loum in Iunium Iuliumque incidere putant. Sed apud veteres alios ab alio principio solitos esse menses numerare, quosdam etiam mensibus aliis nomina eadem indidisse, quis ignorat? Lous autem quum mensis esset quintus, apud eos, qui ab auctumno annum incipiebant, ad extremum Februarium primumque Martium devenit. Illud

1) Athenaeus 14, 44. p. 639.

autem tempus ipsum est, in quod incidit Adar, quem Iudaei inter novam lunam Februarii Martiique interesse docent. Itaque festorum ludorumque tempus ita congruit, ut eodem mense eisdemque diebus facti esse videantur. Iudaei autem unam non amplius diem et noctem conviviis gaudiisque concesserunt. Iddemque temporis spatium Zelanos retinuisse, apud Strabonem invenimus. At vero Babylonii, quum luxuriosi, quum delicati in voluptatesque effusi essent, et naturam festi converterunt in Bacchanalia, et tempus ad diem quintum protulerunt. Namque per dies quinque eos immoderatis se gaudiis dedisse, ex Beroso memoriae prodidit Athenaeus [1]).

Sed quo modo Iudaei dies sortium solebant, eodem Medi et Persae dies Sacaeorum transigebant. Mardochaeus enim, ut perpetua esset divini beneficii memoria, his diebus gratum animum erga deum beneficentia in pauperes donis epulisque significari iussit. Hoc in libro Estherae Iudaeorum animis saepius inculcatum est. Veluti: *Quem diem XIV. constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis gaudio atque conviviis.* Item: *Et idcirco eumdem diem XV. constituerunt solemnem epularum atque laetitiae.* Et: *Hi vero Iudaei qui in oppidis non muratis ac villis morabantur XIV. diem mensis Adar conviviorum et gaudii decreverunt ita ut exultent in eo et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum.* Itidem: *Essentque dies isti epularum atque laetitiae et mitterent sibi invicem ciborum partes et pauperibus munuscula largirentur* [2]). Paulo post Mardochaei regnum dies illi sancta certe animi laetitia celebrati sunt. At vero quum vitae gravitas levitati, animi pietas voluptati cederet, Iudaei in

1) Athen. l. c.
2) Esth. 9, 17. 18. 19. 22.

diversis Asiae partibus ex laetitia in gaudium, ex hoc in intemperantiam ebrietatemque praecipites abierunt. Hinc apud posteriores flagitiosa illa lex, qua non modo licentiam sed consilium dederunt, ut nisi ebrii in festa illa nocte a vino non abstinerent. Hinc etiam incontinentia, iracundia, rixae atque homicidia [1]). Eamdem autem ludi Sacaei immoderationis prae se speciem tulerunt. Strabo enim eos describit hoc modo: *Cyrus autem divinitus hanc fortunam* (victoriam dicit de Sacis reportatam) *datam esse ratus diem illum patriae deae consecravit dato ei nomine Sacaeis. Vbi autem eius deae fanum est, ibi etiam die noctuque Scythice vestiti Sacaeorum Bacchanalia agunt, potant, ludos iocosque et inter se faciunt et cum eis quae epulis intersunt mulieribus* [2]). Haec altero loco Strabo de Sacaeis notavit. Quodsi illud exceperis quod inter se Cyrus et Mardochaeus, deus verus et Anaitis commutati sunt, reliqua historicae veritati mirum ad modum convenire non negabis. Qui enim de Sacis victor exstitit, is et accepit a deo victoriam, et accepisse se confessus est eo, quod diem illum solemnem deo consecravit. Quare autem Mardochaei meritum institutumque Cyro daretur, duae praeterea hoc loco causae afferri possunt; una, quod eiusmodi victoriam, velut a Strabone descripta est, de Massagetis Cyrus tulisse traditur [3]). Quum autem Sacae et Massagetae pariter appellarentur Scythae, facillime commutatio illa facta est. Altera haec est, quod Sacaei

---

1) Buxtorf. l. c.

2) Strabo l. c. Ὁ δὲ Κῦρος θεῖον νομίσας τὸ εὐτύχημα τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἀνιερώσας τῇ πατρίῳ θεῷ προσαγορεύσας Σακαῖα· ὅπου δ' ἂν ᾖ τῆς θεοῦ ταύτης ἱερὸν ἐνταῦθα νομίζεται καὶ ἡ τῶν Σακαίων ἑορτὴ βακχία τ.... μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ διεσκευασμένων σκυθιστὶ, πινόντων ἅμα καὶ πληκτιζομένων πρὸς ἀλλήλους ἅμα τε καὶ τὰς συμπινούσας γυναῖκας.

3) Herodt. 1, 207. 211.

in vasto Persarum imperio ubique inde a primis temporibus constituti praeter Cyrum haud fere alium auctorem habere visi sunt.

Ludos autem ipsos Medi Armeniique ita instituerunt, ut viri mulieresque, assumptis vestimentis Scythicis, epulas pararent, Scythice se gererent, biberent, Bacchanalia agerent. Quae quidem eadem posteriores Iudaei facere soliti sunt. Sed quum vestibus illi moribusque Scythas imitarentur, Amanis Sacarum regis persona omnino deesse non potuit. Hanc servum quemdam suscepisse ex Berosi Dionisque verbis apparet.

Superior enim haec fere dicit: *Ludos Sacaeos in Babylonia die XVI. mensis Loi per dies quinque fieri. Solere autem in eis servos imperare heris. Praeesse enim familiae unum ex eis indutum veste quae similis esset regali, quem etiam vocarent Zoganem* [1]. Haec ex fragmento Berosi. Quoniam ut in Graecia Thraces sic in Babylonia Sacae servi erant, heri partim ipsi Sacarum vestimenta sumpserunt, partim servos dominari et, ut eorum natura tulit, Scythice se gerere passi sunt. Zoganem autem illum Amanis suscepisse partes dico. Quare eam veniam peto, ut paulo accuratius de illo liceat disserere.

Ζωγάν, Zogan, iddem esse quod סגן et significare *praefectum* dixit Vossius [2]. Huic sententiae assentiendum plane esse puto. Neque tamen Zoganem praefectum omnino dixerim, sed talem, quales Danielis aetate apud Medos erant. Zogan enim tum eam vim habuit, ut praefectorum apud Medos quasi proprium nomen esset [3]. Eum igitur haec vox significavit, qui Medis regnantibus

1) Athen. l. c.
2) G. I. Voss. de Idolol. 2, 22. p. 154. s.
3) Dan. 3, 2. 27. 6, 8.

in eo ipso munere magistratuque esset, quo functus est Aman. Sed Vossianam illam explicationem pluribus rationibus oppugnare studuit Moversius [1]). Primum enim *Graecos* dicit *littera Z non* ס, *sed* ז *reddere esse solitos*. Quid vero si ipsi Hebraei litteras ז et ס inter se commutare solent ob eamque causam et סגן et זגן scribere potuerunt, nonne multo magis Graeci Ζωγάν recte scripserunt? *Deinde vero praefecti nomen ad significandum huius festi regem aptum non esse*. At vero Berosus eum praeesse, ἀφηγεῖσθαι, dicit, regnare non item. Id ipsum autem *praeesse* praefecti, Zoganis est. *Denique verba illa Berosi: ἀφηγεῖσθαί τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ ὃν καὶ καλεῖσθαι Ζωγάνην satis declarare, nomen a regis veste sumptum esse*. At Berosus non de regis veste sed de veste huius simili loquitur. Neque enim regalibus vestimentis Zoganem ornari solitum ait, sed eis, quae illis essent similia. His autem ipsis se induere suamque indicare dignitatem solebant praefecti, qui secundum a rege locum obtinebant. Non modo igitur nomen sed etiam ornatus praefectum Zoganem fuisse ostendit. Sed consideremus Berosi verba. Illud *quem et* vel *quem eam ob causam Zoganem vocant* certissimo indicio est, Zoganis vim prioribus verbis esse expressam. Declarata autem ea eis verbis ipsis est, quae in principio comprehensionis et in exitu scriptor collocavit, quibusque summum momentum tribuit, verbis dico ἀφηγεῖσθαι et ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ. Praeesse enim et vestem gerere regali similem, non regis, sed Zoganis, praefecti est. Si autem a veste quadam זוגן, ut Moversius suspicatus est, ductum nomen esset, Berosus, si quidem Graecarum litterarum non ignarus erat, vocem στολὴν non in media verborum compre-

---

1) Movers. Phoen. I. p. 486-490.

hensione debuisset abdere, sed aut in initio aut in fine eius exponere. Sed longiores sumus in re non dubia. Zoganem enim non modo praefecti sed Amanis Medorum praefecti personam gessisse, continuo ex Dionis Chrysostomi verbis elucebit.

Ille enim ita: *Nonne tibi venerunt in mentem Saccarum ludi, quos faciunt Persae. Adducunt de captivis quemdam de eis, qui capitis damnati sunt; hunc in solio ponunt regis paremque ei tribuunt ornatum, eisque diebus luxuriose atque in omni cum regiis pellicibus lascivia vivendi facultatem dant, neque eum quisquam prohibet quin omnino quodcumque velit, faciat. At eum postea exuerunt, flagellaverunt, suspenderunt* [1]. Quae Berosus verecundius et minus vere significavit, ne Babylonii, quorum res laudibus efferre voluit, Graecis barbari esse viderentur: ea Dio probe libere atque aperte declaravit. Quare huius apud me plus quam illius valet auctoritas. Quid vero? Zogani illi cuius sit in Sacaeorum ludis persona imposita, nonne ex Dionis verbis luce clarius est? Etenim res fictae, quae Babyloniis adspicientibus agebantur, num significatio tantummodo factarum rerum erant? an quasi horribilis quaedam repetitio et renovatio? Postea enim quum Sacae in Babyloniorum domibus servirent, quis inveniri poterat qui ad Amanis Sacarum regis personam suspiciendam servo esset aptior? Quum autem ille in Media non modo ad praefecturam sed ad proximum secundum regem locum ascendisset: nonne eodem modo homo iste ex servitio vel ex captivorum faece primum Zogan creatus dein ipsum regnum assequebatur? Amanis autem solium super omnes Medorum principes positum esse traditur [2].

---

1) Dio Chrys. orat. 4.
2) Esth. 3, 1.

Quare quis est quin videat, eum primum quidem praefecturam postea regis dignitatem obtinuisse? Si autem Zogan ille in Sacaeis eius partes suscepit, nonne regalem amplitudinem concedi illi oportuit? Quid vero quod eius libidini vina, cibi, omnis denique regis luxus tradebatur, nonne id gravissimis de causis fieri solebat? Nam Babyloniis quum vitam Amanis vicissitudinesque non adumbratione quadam significata sed re ipsa expressa esse vellent, nonne cum regio ornatu necesse erat et iura regis concederent et privilegia omnia? Et profecto Aman, qui lascivia libidineque accensus vim iniuriasque omnibus inferret, num a laedenda maiestate regia se abstinuisse putabitur? Hoc enim crimine si erat insons, qui fieri potuit, ut in graviorem etiam apud regem suspicionem incideret, ut laedere vel ipsius reginae sanctitatem voluisse crederetur [1])? Quid igitur huius petulantiam aut verius potuit aut turpius declarare, quam illud quod dicit Dio? Sed Aman et Zogan quum omnia consecuti essent, quum abundarent divitiis, quum voluptatibus fruerentur omnibus, quum et dignitate regia et auctoritate delectarentur; quam repente, quam improviso uterque ad crucem delati ac suspensi sunt, ut ex altissimo felicitatis gradu non cecidisse sed summum ad supplicium transiisse viderentur?

His ita expositis, omnino fore non credo, ut quis Zoganem partes egisse Amanis, aut congruere sortium dies cum ludis Sacaeorum negare conetur? Sed postquam summam inter eos similitudinem omniumque partium convenientiam ostendimus, iam leviora quaedam notanda putamus.

Zogan igitur crucis supplicio affici in Babylonia Persiaque solebat. In aliis autem provinciis, in Asia et Ar-

1) Esth. 7, 8.

menia statutum erat, ut postremo die laetis clamoribus sublatis, servus ille combureretur [1]). Quam quidem rem Moversius ad Babyloniorum Sacaeos felici coniectura transtulit [2]). Quum multa alia Iudaei, tum vero hanc consuetudinem a barbaris receperunt. Namque in sacrae scripturae Synopsi, quae et in Basilii et in Ioannis Chrysostomi operibus exstat, s. v. Esther notatum est, Iudaeos in festo die sortium solitos hominem concremare [3]). In codice autem Iustiniano quaedam invenitur lex, qua illi id facere vetantur [4]). Iam vero in eis ludis, qui magno quadraginta dierum ieiunio praecedere solent, postremo die statuam comburi, Moversius animadvertit idque ex vetere quodam more ac superstitione fieri putavit. Quare in eam equidem sententiam adducor, ut ludos illos ex sortium Sacaeorumque festis et ortos et reliquos esse existimem. Sortium enim dies, quum pascha mense uno anteiret non potuit in quadraginta dierum ieiunium non incidere. Quare sancti Christianae doctrinae magistri quum semper duo illa vitia aeque vitarent, ut populi disciplinam neve remitterent indulgentia nimia, neve immoderata importunaque severitate contenderent, in hac re mediocritatem illam tenuerant, quae est inter nimium et parum, moderationisque virtutem assecuti sunt. Quamobrem Christianam legem ita videntur observasse, ut Sacaeos apud gentes, dies sortium apud Iudaeos ex ieiuniorum temporibus removerent. Iudaeorum autem opinioni, qui recte quidem dies illos divinitus institutos sed minus probe eos retinendos

1) Curtius 5, 1. Lyd. de menss. p. 259.

2) Movers. l. c. p. 496.

3) Athanas. edt. Maur. II. p. 169. Ioann. Chrysost. edt. Montf. VI. p. 364. Διὰ τοῦτο κατὰ τὴν ἡμέραν ταύτην καίουσιν οἱ Ἰουδαῖοι τὸν Ἀμὰν καὶ ἑορτάζουσι μνημόσυνον οὖσαν τῆς σωτηρίας αὐτῶν.

4) Cod. Iust. leg. 18. de Iudaeis.

putarunt, sic satisfecerunt, ut id tempus quod est ieiuniis proximum, festis illis constituerent. Ludi igitur, de quibus dicimus, quantum fieri potuit, iddem anni tempus, quod Sacaei et dies Mardochaici, obtinuerunt. Praeterea etiam nostra aetate, qui ludos illos faciunt, vestimenta mutare, convivia parare, gaudio totos sese dare solent. Ad hoc Itali Germanique pro homine hominis statuam cremare consueverant. Sed de hac re satis dictum est.

Iam ad eum qui nobis erat propositus finem pervenimus. Itaque res postulare videtur, ut ad totam disputationem, ad eius viam rationemque animum revertamus. Primum igitur circumscripsimus Assueri aetatem in universum et ita quidem, ut eum Medorum regem, non Persarum fuisse probaremus. Accuratius deinde et arctius aetatem eius sic definivimus, ut pluribus rationibus allatis, Cyaxarem eum dicere possemus. Mardochaeus tum in eorum numero inventus est, qui a Cyro rege dimissi in patriam senes redierunt; quod indicium fuit, hunc aetate fuisse Cyaxari aequalem. Post de Idumaeis Scythisque perdifficilis illa nobis proposita quaestio est. Ad quam eum nobis aditum paravimus, ut hostes Iudaeorum gentem fuisse diceremus origine ornatu armis aliisque rebus insignem. Quo facto, statim de Gagaeorum gente disserendum erat. Atque ea quidem perantiqua visa est, orta ex Gog et Agag, ab ipso Edome progenita. Hinc disputatio illa de rebus Idumaicis, qua in primis expositum est, quae ratio inde ab origine Idumaeos inter et Iudaeos intercesserit. Proximum fuit, ut afferrentur argumenta, ex quibus Idumaei et Amalecitae iure pro Sacis Scythisque haberi possent. Probata hac re et ex omni parte confirmata, qui loci erant reliqui breviter explicari potuerunt. Illud enim continuo apparuit, in Estherae libro memoriam illius

caedis esse, quam Graeci illatam Scythis Cyaxare rege testantur. Tempora enim, loca, homines, mortuorum numerus reliqua omnia, mirum erat, quam apte inter se congruerent. Apud Herodotum porro Amadathae, apud Strabonem huius et Amanis nomina exstare cognovimus. Atque alterum quidem Cyaxare rege in Mediam magnum Scytharum exercitum duxisse, utriusque autem nomen esse cum Sacarum exitio Sacaeisque coniunctum. Denique Zaram Amanis uxorem Cyaxaris aetate apud Sacas prudentiae fortitudinisque gloria floruisse, Ctesiae aliorumque testimoniis effectum est. Postremo festos Sacaeorum sortiumque dies a Mardochaeo Medorumque ducibus esse ob Sacarum caedem institutos, atque eodem anni tempore eos paribusque ludorum generibus celebratos demonstravimus. Omnes igitur disputationis partes summopere inter se aptae et coniunctae sunt, ut alia aliam tueatur ac defendat neve una, nisi sublatis omnibus, tolli aut oppugnari possit. Ad summam autem, ne afferam singula, intellectum puto: scriptum esse librum Estherae non de pie narratis, ut quidam rati, nec de fabula rebusque fictis, ut nonnulli discipuli Lutheri opinati sunt, sed, quemadmodum patres sancti omnes constanter crediderunt, de vera re et facta; hanc autem admirabilem illam victoriam esse, quam Cyaxare regnante Iudaei de hominibus Scythicis adepti sunt.

Quae de Esthera scripta sunt quum a profana tum a sacra historia paene seiuncta erant. Sed quum qui ab illa victi superatique sunt, Scythas fuisse constet: ea quidem suum iam in rerum memoria locum obtinebunt. Quoniam autem eosdem illos Amalecitas fuisse Idumaeosque patet: consentaneum est, ut liber Estherae eam etiam in historia sacra auctoritatem assequatur, quam huic post Moysis opera Iudaei tribuerunt maximam. Nam innumerabilia bella, quae cum Iudaeis Idumaei gesse-

runt, quem tandem exitum habuerint, hoc solo libro exploratum est. Sed clarissimus ille eventus, qui alteris interitum, victoriam alteris attulit, multis vocibus prophetarum est antenuntiatus ac praedictus. Quae quidem vaticinia libro altero proferre constituimus, ut res Estheriana quam sit non modo cum historia sed etiam cum ceteris libris sacris coniuncta, appareat.

EXCVRSVS

DE CHANANAEORVM SCYTHARVMQVE DEIS.

I.

De plurium deorum cultu in universum.

Difficilis sane et perobscura quaestio est de falsorum deorum superstitionumque originibus. Sunt enim potissimum haec duo, quae, quo sunt a scientia vulgi remotiora, eo curiosius a plerisque cupidiusque perquiri solent; unum, quomodo ratione homines praediti a veritate hoc usque potuerint aberrare, ut, vero deo relicto ac contempto, auderent falsos deos fingere atque inanes; alterum, ubi sint fontes quaerendi, unde varii commenticii cultus orti funesta celeritate ad omnes fere gentes manaverint. Sed ad investigandum id, quod propositum prius est ac commune videtur philosophorum et theologorum, paullo altius repetendum puto.

Humani igitur generis parens quum fidem haberet mendaciorum inventori ac principi, a deo verissimo defecit, ut deo ipse similis evaderet atque aequalis. Atque huius posteri, patris exemplum secuti, iddem prorsus fecerunt, quum primo deum nihil curarent, furtim deinde e vita eum animique conscientia evellerent, deni-

que deos alios invenire atque inducere conarentur. Quod tantum Adami posterorumque crimen quum omnino unum sit genereque iddem, ex principio uno eodemque natum esse oportet. Principium autem illud quidem in eo cernitur, quod maximorum homines illi beneficiorum immemores deum auctorem creatoremque suum negligerent nefastumque ingrati animi peccatum subirent. *Cum cognovissent deum, non sicut deum glorificaverunt aut gratias egerunt.*

Principium igitur utriusque peccati par et unum est; reliqua autem videntur esse diversa. Quum homo princeps, unus omnium rerum dominus, a deo optimo maximo defecit, ab eo ipso defecerunt et animantia omnia et inanima [1]). Omnium autem rerum externarum, quam *naturam* vocari placet, tanta secuta est tamque communis seditio, ut vel in hominem ipsum odia dissidiaque irreperent, ac corpus animum, sensus mentem, libidines voluntatem oppugnare inciperent. Nam quamdiu deo regi suo paruit homo, tamdiu homini corpus paruit atque universa natura externa. At vero homo quum abiecit obedientiam erga deum, tum rebellavit contra hominem caro et ea omnia, quae a deo eius erant potestati subiecta. Adami igitur hostis capitalis fuit diabolus, posterorum autem libido vel caro vel natura. Videtur igitur in hac re inesse, quod differat inter Adami et posterorum peccatum. Sed accuratius si inquirere de hac re velimus, intelligemus eumdem fuisse Adami ac posteritatis hostem. Sicuti enim is, qui regem superat, regni potestatem omnem consequitur: sic diabolus, quum hominis, naturae regis, victor exsisteret, mortis, quoad a deo concessum est, totiusque naturae potestatem obtinuit. Hic igitur hominem primum in peccatum illexit

1) V. Ioann. Chrysost. de virg. 46. tom. I. p. 305.

ipse per se, posteros vero libidine voluptatisque illecebris. Nam quicumque voluptatem sequuntur, ei deum esse confiteri verbis quidem possunt, re ipsa non possunt. Primum enim homines incontinentes quantum quidem in eis est, nihil omnino reliquum faciunt, quod ipsos inter et pecudes intersit. Sublata autem hac differentia, quae inter homines et belluas, inter animos et naturam intercedit, altera illa tollatur necesse est, quae est inter deum et mundum, creatorem resque creatas. Deinde vero eiusmodi homines illud sibi asciscunt, ut liberorum sese sicuti genitores sic etiam creatores esse putent, nec dubitant negare deum esse, qui immortales hominibus animos ingeneret. Nam qui creatorem animorum deum credit esse, aut matrimonium debebit inire, aut caelebs castusque aetatem peragere; qui horum neutrum faciet, impuritate sua illud quod diximus infitiabitur. Quoniam igitur libidinosus quisque negat esse quod differat inter deum et mundum, creatoremque suum re vera factisque tollit: vel totam naturam vel eius partem aliquam creatricem suam deamque censeat necesse est.

Sed intima animi conscientia eum, qui semel vel iterum peccaverit, incontinentiae reum faciet convincetque creatorem deum esse ac iudicem. Quo quidem iudicio reus continuo tamquam Hercules ad bivium adducatur atque alterutrum eligat necesse est aut virtutem et deum aut voluptatem ac naturam. Si igitur summisso poenitentis animo peccatorem se ac divinae legis contemptorem confiteri voluerit: confitebitur etiam deum esse et creatorem suum et legislatorem. At vero superbia impietateque elatus si contra conscientiam repugnaverit voluptatemque statuerit, ut incepit, persequi: quum factis iamdiu deum esse negaverit, iddem nunc verbis animique sententia faciat necesse est. Primum igitur, ut ali-

quam animi tranquillitatem assequatur, nihil aliud agere poterit, quam ut immortalem animum hominum esse eosque ipsos a belluis differre neget. Etenim animus si immortalis est, si aeternus, si perpetuus: ut bonis praemia, sic improbis poenae futurae sint necesse est. Deinde vero intemperans ille, modo sibi constare velit, deum omnia fecisse regere gubernare infitiandum arbitrabitur. Nam deus si mundum, si hominem creavit, necessario idem est ipse, qui homini conscientiam illam tribuit, qua quid honestum sit quid turpe agnoscitur, qua boni laudibus afficiuntur vituperanturque improbi. Qui autem vivos iudicat hac ipsa conscientia: iudex is sine controversia mortuorum futurus est quum bonorum tum vero maxime improborum. His ac similibus anxietatibus impurus ille, de quo dicimus, nisi omnino deum esse neget, vacare numquam poterit. *Sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum.*

Homines autem quum animi conscientiam tandem compressissent, libidinibus tradere sese impune posse existimarunt. Qui autem maxime pecudibus se et effecerunt similes et crediderunt, ei facillime primo naturae potentia in servitutem redacti, deinde eius magnitudine maiestateque ita oppressi sunt, ut vel illi ipsi vel membris eius, soli lunae coelo terrae, divinam vim tribuerent. Quod quum semel fecissent, statim etiam eo processerunt, ut deorum simulacra facerent, quo commodius quos venerarentur in coelo, colere in terra atque adorare possent. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium.*

Quum autem illi quidem homines sentirent impudicitia sese esse ad numina fingenda coactos: tanta erant astutia ac malitia, ut genus omne intemperantiae incon-

tinentiae turpitudinisque consecrarent, deosque harum ipsarum rerum auctores magistros tutoresque constituerent. Neque enim ulla re alia dei, nisi impuritate humana, unde nati erant, sustentari poterant. Nam quot res creatae, tot divini creatoris testes, quibus fidem negare nisi impurus nemo potest. *Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.*

Quum autem praecipuam causam, cur deorum multitudinem homines in vitam induxerint, incontinentiam impuritatemque esse putemus: haec sententia iam est psychologicis quas dicunt rationibus comprobata. Sunt autem argumenta alia, quae vel ex historia vel ex quotidiana experientia possunt sumi. Nam illud ex rerum memoria perspici potest: castissimam quamque gentem maxime a deorum cultu et diutissime abhorruisse; at contra quo quaeque natio ad res venereas magis esset prona, eo facilius eam ad inanes deos esse delapsam. Deinde vero probe recteque concludi potest, impium illum errorem, qua re augeretur atque in hominum mentibus confirmaretur, ex eadem eum omnino esse ortum. Impudicitia autem deorum cultum et alitum esse et auctum, quis negare potest? Quid enim, qui ex Graecis unum esse deum vel suspicarentur vel cognoscerent, nonne homines temperantissimi eidem atque integerrimi fuisse traduntur? Inter incontinentiam autem et deorum cultum quanta necessitudo et quam arcta interfuisse putanda est, quum apud Hebraeos adulterare et colere deos unum prorsus sonaret? Effusa autem ista libido, quam Asiatici consecraverant, quam longe ab humana natura abhorruit, quum ea Graecis ipsis detestabilis esse videretur? Hinc enim Herodoteum illud: *Alii fere omnes homines praeter Aegyptios et Graecos miscent in fanis et a mulieribus surgentes illoti ingrediuntur in*

delubrum arbitrantes, homines pares esse ceteris pecudibus [1]).

Iam vero certum huius rei argumentum etiam ex eis peti potest, qui nostra memoria creatorem mundi iudicemque hominum deum esse noluerunt. Nam quid inter eos et antiquos intersit, equidem non intelligo, nisi quod illi nocturno tempore naturalem, hi contra meridiano illam naturalem lucem ac divinam sese percipere negarunt. Nam quod alteri singulis partibus, soli lunae stellis, alteri autem naturae toti cultus honores interdum etiam preces adhibuerunt, haec certe differentia nulla est. Qui igitur de doctrina Christiana eiusque veritate dubitant, ei fere omnes, modo vera dicere velint, non purissimos nec animo nec corpore sese esse confitebuntur. Qui autem tantum processerunt, ut aut deum mundum fecisse aut Iesum Christum deum et hominem generisque nostri reconciliatorem esse negarent, ei omnes, nisi forte pravis philosophicis doctrinis sunt imbuti, semper et professi sunt et profitebuntur, vitae sese turpitudine esse commotos ad improbam opinionem illam arripiendam. Eiusmodi homines philosophicis argumentis redargui confutari explodi possunt; adduci autem, ut reiecto errore, Christum dei filium esse credant, non possunt, nisi peccata sua agnoscere ac repudiare velint. Peccatorum autem confessione facta, statim eis persuasum est, deum esse eumque et creasse homines et per filium suum divina vero misericordia secum reconciliasse. Communem igitur veteris novaeque impietatis causam incontinentiam audeo dicere et eam superbiam, quae vitio illo nata prohibere solet, quominus incontinentem factorum suorum poeniteat.

---

1) Herodt. 2, 64.

Quod autem in hac me sententia admodum confirmat, id est, quod eam in utramque partem valere video. Nam ut veritati fideique nihil voluptate magis adversarium: sic vicissim continentia nihil ei coniunctius. Nam sancti illi homines, quorum immortalis apud bonos est memoria, qui tanta erant fidei firmitate, ut naturae reges instituti miracula faciendi potestatem divinitus acciperent, quibus institutis, quibus moribus virtutibusque fidei illam praestantiam perfectionemque consecuti sunt? Quibus aliis, quam singulari quadam laborum orationumque vicissitudine, quam admirabili illa in ieiuniis vigiliis doloribus perferendis corporis duritia, atque incredibili quadam ab iucundis rebus abstinentia? Et profecto qui naturae partem, corpus dico eiusque libidines penitus superaverint, eis in universam naturam concedi potestatem consentaneum est.

Iam ut propositum est, alterum illud inquiramus, quae gens inanem deorum superstitionem prima invenisse aliisque populis tradidisse videatur. Nostra quidem memoria Herodotum plerique secuti, Graecorum aliorumque in his rebus magistros fabularumque auctores putant Aegyptios. Videtur quidem horum sententia quibusdam rebus, et eis ad probandum haud sane infirmis, posse defendi. Aegyptii enim, quibus nulla fere gens est antiquior, deorum sequebantur cultus ceremonias ac religiones, quae certissima haberent antiquitatis signa. Praeterea religionis legibus erant adstricti, ut quidquid externum esset, finibus suis expellerent. Quare superstitionem suam ab aliis accepisse nisi vetustissimis temporibus non possunt. Accedit eo, quod Asiae Graeciaeque dei magnam similitudinem cum Aegyptiis coniunctionemque habere videntur. Hac re potissimum Herodotus commotus, quod deos Aegyptios natu maiores cognosceret, in Graeciam eos ipsos profectos esse dixit.

Sed horum sententiam alii, quamquam non conarentur omnino refutare, tamen illustribus rationibus minuendam esse putarunt. Illud enim facile erat redarguere, Aegyptios eos fuisse ipsos, qui ad Graecorum Asiaticorumque religiones conformandas plurimum valuerint. Nam hi quidem, tantum abfuit, ut de deis quae sentirent communicarent cum aliis; ut qua religione ceremonias propulsarent a se alienas, eadem suas ne ab aliis efferrentur custodirent. Quare exploratos horum deos ac sacra illis tantummodo fuisse constat, qui cum eis erant cognatione coniuncti. Veluti Arabes, quorum parens et matrem habuit et uxorem Aegyptiam, solem et lunam Aegyptiorum certe exemplo ac ratione coluerunt. Sed illam de Aegyptiis sententiam hi quidem eo potissimum debilitare studuerunt, quod aliam opposuerunt, qua illa non esset probabilior. Nam Assyriam non Aegyptum deorum dixerunt esse patriam atque inde superstitionem esse in Asiam Graeciamque translatam. Institutum enim ab Assyriis plurium deorum cultum iam antiquissimis temporibus, negare nemo potest. Hi praeterea latissimo regno imperabant omnibus, qui usque ad mare Arabicum Asiamque minorem habitabant. Qui autem armis imperio potentiaque in primis pollebant, ei etiam ad superstitionem in omnem Asiam diffundendam vim habebant maximam. Ad hoc Syris Phoenicibus Graecis tanta cum Assyriis in his rebus consensio est, ut aliquam fuisse inter eos coniunctionem necesse sit statuere. Denique Ninus et Babylon tam lascivo iam antiquitus tamque obscoeno deorum cultu famosae erant, ut urbs utraque pestis totius Asiae vere diceretur.

Sed quamquam illarum sententiarum utraque vel probabilitatis aliquam vel veritatis prae se speciem ferre videatur: tamen veritas ipsa in medio inter eas posita esse cognoscitur. Neque enim Aegyptii neque Assyrii

superstitionis inveniendae principes ducendi sunt, sed qui mediam inter eos regionem oblinebant Chananaei. Quam quidem sententiam hoc tempore probare nisi breviter non possumus. Nam si singula veterum scriptorum testimonia, si ex eis argumenta persequi vellemus: transgredi huius disputationis fines necesse esset. Sed accidit interdum, ut testium nube veritas obscuretur, ipsa sua sine testibus auctoritate valeat.

Quoniam ex hominum incontinentia superstitionem omnem natam esse constat: deorum auctores necesse est eos fuisse ipsos, qui primi et maxime sunt in illius vitii turpitudinem delati. Atque ex libris sacris, quum, qui primi inventores fuerint deorum, non liqueat, tamen exploratum est, ad voluptates delicatas et molles quinam maxime propensi fuerint. Nam vetus ille Cham, quum ob patris sanctitatem ex communi omnium interitu salvus esset nec semel huic vitam salutemque suam sed bis deberet, duplici sese et impuritatis et ingrati animi scelere adstrinxit. Quamobrem et sibi statim et Chanaan filio divinam exsecrationem contraxit. Sed quid sit cur non omnes filii Cham, sed natu minimus tantum exsecrationis poenas dederint, causae videntur esse duae; una non nimis certa, quod ille fortasse natus post peccatum sit, altera de qua dubitari non potest, quod idem incontinentis patris exemplum sit secutus. Apud Chananaeos igitur, quia impudentiae principales inveniantur radices, idcirco primae etiam de deis falsis opiniones omnesque superstitionis origines quaerendae sunt.

Atque hi quidem Chananaei Abrahami tempore, quum Chaldaei, quum mediae Asiae populi deum verum negligere inciperent, iamdiu inciderant in errores maximos. Nam adeo tum obscoenis voluptatibus servierunt, ut illecebris illis, quae principio eis rebus insunt, non modo non allicerent homines puros, sed turpitudine, quae po-

stea sequi solet, omnino deterrerent. Quare fieri potuit, ut patria Abrahamus relicta eorum fines ingrederetur nullo contagionis periculo. Praeterea qui Sodoma Gomorraque incolebant, iam eo tempore in tanta flagitia ingurgitaverant, ut poenis gravissimis iustissimisque afficerentur. Ceteri autem qui Chanaan incolebant, nondum tantopere erant falsis deis voluptatibusque dediti, ut simul cum illis plecti punirique possent. Sed ad eum eos turpitudinis finem recta procedere vidit is, qui omnia videt, ob eamque caussam non distulit, quin regionem eorum Abrahamo eiusque posteris promitteret. Quum autem finem imponere incontinentiae impietatique vellet, Israelitas ex Aegypto adscivit, qui suo ipsius iudicio supplicium de Chananaeis sumerent eorumque terram occuparent.

Chananaeos autem prius quam Aegyptios ac turpius esse in plurium deorum obscoenitatem delapsos, ex compluribus indiciis colligi potest. Nam Abrahamo ipsi eiusque posteris magna erat cum Aegyptiis, nulla prorsus cum Chananaeis communitas. Concessit enim ille quidem sororem coniugemque suam Saram Pharaoni regi Aegyptiorum; assumpsit ipse Agar ancillam Aegyptiam. Iosephus postea itidem Aegyptiam in matrimonium duxit sacerdotis filiam. Ac per Moysem sancitum est, ut Chananaei excluderentur in omnem posteritatem, Aegyptii contra, trium generationum tempore confecto, Iudaeorum populo possent adscribi civitateque donari. His rebus legibusque certo diiudicari potest, utrum antiquissimis temporibus Aegyptii a vera religione sanctitateque longius an Chananaei aberraverint.

Quum autem non omnes Chananaei deleti, sed Sidonii Hevaei multique Amorraei vel in media Iudaea vel in eius vicinitate relicti sint, non hoc mihi mirum videri solet, quod Iudaei voluptatis excitati illecebris tam

facile ad falsos deos desciverint, sed illud potius, quod ab istis omnium gentium corruptoribus omnino potuerint retineri. Verumenimvero divina huius gentis gubernatio eo maxime eluceat, quod quum in ipsam lascivorum deorum sedem patriamque translata, impietate superstitione omnibusque libidinibus circumventa esset, hac peste interdum quidem sit infecta, omnino confici numquam potuerit. Nam ut ulla natio deorum hominumque impuritate circumfusa verum deum ex omnibus una coleret, ut eum sancta religione tamquam harum rerum creatorem dominatoremque veneraretur, ut leges praeterea sequeretur omnium probissimas, haec fieri sine divino interventu numquam potuerunt. Quare veterum miraculorum quasi summa in eo cernitur, quod parva illa gens nulla imperii aut auctoritate aut potestate per multa saecula aetatesque hominum stabilis usque ad Christum constansque permansit in eadem et morum integritate et religionis sanctitate.

Sed videamus, quomodo vanae deorum fictaeque opiniones ceremoniae superstitiones ex Chanaan tamquam ex capite ad omnes fere populos manaverint. Omnium certe ad fabulas divulgandas plurimum valebant Phoenices. Nam quum omnis ubique mercaturae quasi principatum tenerent coloniasque innumerabiles constituerent: Chananaeorum deos una cum mercibus terra quidem per totam Asiam, mari vero in Europam Africamque pertulerunt. Quoniam enim non modo divitiarum fortunarumque copia sed liberalibus artibus humanitatisque quadam specie primi omnium et maxime floruerunt: tantam habuerunt apud omnem antiquitatem existimationem, ut litteras, ut artes, ut animi et corporis mollitiam deorumque nomina ceremonias turpitudines, ad quoscumque vellent, facillime inducerent. Praeterea ad differendas superstitiones, ad fingendos falsos deos,

ad aliorum mores corrumpendos videntur facti esse Amalecitae atque Amorraei. Nam Amalecitae vanas opiniones suas, sicuti Phoenices imprudentes quodammodo et inviti faciebant, sic hi consilio et data opera aliis tradere solebant. Erant enim duae apud eos civium classes, quarum altera bello et libidinibus, altera religioni rebusque superstitiosis omnino vacaret. In illa superiore defamatissimae mulieres illae erant Amazones, quae in diversis Asiae partibus, quae in Graecia, quae in insulis permulta deorum fana celeberrimaque condidisse traduntur. Nam feminae incredibile est, quales vel ad virtutem vel ad vitia animi vires et quam voluntatis constantiam a natura acceperint, quantumque vel ad excolendos animos virorum valeant vel etiam ad corrumpendos [1]). Amazones vero et venustate corporis et vitae generis novitate mares allexerunt eisque facem ad quamcumque vellent turpitudinem superstitionem impietatemque praetulerunt. Omnino autem tam molles erant vanae veterum religiones tamque delicatae, ut marum citius quam feminarum libidines explerent. Etenim ad propagandos deorum cultus plurimum constat insatiabili cupiditate potuisse mulieres. Hinc Strabonis illud: *Superstitionis autem ab omnibus magistrae iudicantur mulieres; excitant enim viros ad frequentiores cultus festosque deorum ac supplicationes; nam vir seorsum vivens qui talis sit raro invenitur* [2]). Multa ex libris sacris et profanis, multa ex historia commemorare possum, quibus haec confirmentur, quae quidem falsa quam vera esse mallem. Altera erat classis eunuchorum, qui a bello, a negotiis rebusque agendis vacui sacerdotum hariolorumque muneribus fungebantur. Hi eo erant ad

1) Eccli. 25, 26. Μικρὰ πᾶσα κακία πρὸς κακίαν γυναικός.
2) Strabo Geogr. 7. 3, 4.

efferendam superstitionem aptiores, quod variis de causis in aliorum fines migrare solebant. Nobilissimi enim ex eis in magnis illis expeditionibus regis erant militumque comites. Quidam vel cum militibus mercenariis vel cum colonis in remotissima loca pervenerunt. Neque vero raro eis eiusmodi datae sunt exeundi occasiones. Veluti mille militum, qui Athenarum arcem custodiebant, Scythae fuisse perhibentur. Atque in numero eorum, qui primi in Hispaniam coloni profecti sunt, nominatim afferuntur et Scythae et qui eidem sunt Armenii. Alii denique soli philosophantes, alii cum virginibus quae sacra portabant, in Graeciam venisse multasque praeterea regiones peragrasse traduntur. E patria igitur eunuchi multis de causis profecti quum alias gentes tum vero Graecos incontinentia atque variorum errorum pravitate infecerunt. Nam quos frigus ad patriam relinquendam stimulavit, eos, ut Graeciam potissimum peterent, coeli adduxit temperatio.

Neque vero Amalecitae vel Scythae, quum, ut ipsi vere dixerunt, omnium gentium natu minimi essent [1]), primi plurium deorum impietatem instituerunt, sed ab Horraeis vel Amorraeis antiquissima gente acceperunt. Verum quos secuti primo erant, mirum est quanto postea incontinentiae superstitionisque divulgandae studio antecesserint. Neque enim humanae naturae fragilitate quadam in illa vitia imprudentes inciderunt, sed detestabili in deum odio incitati consulto cogitateque falsos deos sectati sunt operamque dandam putarunt, ut quam plurimos possent, impietatis socios sibi adsciscerent. Quapropter hi quidem iuste non solum eodem quo Chananaei crimine damnati sunt, sed etiam dei hostes vere

---

1) Herodt. 4, 5.

dicti, eisque aeternum et usque ad internecionem bellum divinitus decretum est.

Sed Chananaeorum religio, quamvis turpitudine plena esset vanitateque referta, tamen honestatis virtutumque desiderium quoddam veritatisque aperta etiam indicia retinuit. Nam turpissima illa quidem eunuchorum exsectio, quae numquam nec probari potest nec ullam habere excusationem, num sine ulla castitatis vel approbatione vel veneratione fieri potuit? An verbis potest tam aperte tamque dilucide declarari, verum esse, ut homines, qua sint reliquorum animantium praestantia, voluptatibus servire obscoenis omnino non debeant? humanam autem naturam ita esse depravatam, ut ab illis suis ipsius viribus abstinere nisi aut mutilata aut regenerata non possit? Vini praeterea libamina, frugum primitiae, ciborum propositiones et eiusdem generis ceremoniae nonne illustres grati animi significationes erant? Numquid aliud indicabant quam divinum numen esse, a quo homines et accepissent et acciperent beneficia omnia? Quid vero? agnorum, quid? boum aliorumque animalium sacrificia, quae videmus omnibus gentibus fuisse communia, certiora dicenda sunt praeteritorum testimonia, an veriora futurorum vaticinia? Nam quum caederent victimam, quum effunderent sanguinem, nonne re ipsa planius quam verbis profitebantur contra deum se peccasse mortisque poenam quam animal exsolveret sese commeruisse ipsos? Et sacerdos quid aliud mactando precabatur, quam ut recipere animal deus vellet tamquam suum suorumque vicarium? Veteres autem Chananaei, Scythae, Itali, Graeci num tanta fuisse immanitate putandi sunt, ut deis mactarent homines et eos quidem carissimos: nisi eis fuisset persuasum, hominis posse nisi hominem verum vicarium esse nullum? Quum autem homines essent delictorum suorum conscii idque co-

ram deo hominibusque sacrificando confiterentur, nonne nasci in eorum animis desiderium oportebat illius, qui innocens, qui voluntarius omnium nostrum futurus esset vicarius?

II.

De sole in deorum numero relato.

Scythae, quum Edome progeniti Chananaeorumque ex finibus profecti essent, a maiorum institutis ita prorsus degenerare non potuerunt, ut illius originis nulla apud eos signa aut indicia invenirentur. Quamquam enim Amalecitae atque Idumaei quum a deo uno tum a religione Iudaeorum defecerunt: tamen Semitica qua erant constantia, quosdam ex Abrahami moribus retinuerunt. Sed pia maiorum instituta maximam partem abiecerunt, quum ad Chananaeorum deos deficerent. Quoniam autem ad eosdem deos Iudaeos saepius descivisse accepimus: Scythicorum deorum, si quidem Scythas recte in Idumaeorum numero habemus, mentionem in libris sacris factam esse iudicabimus. Omnino autem eorum superstitio eiusmodi sit necesse est, ut non ex rivulis quibusdam sed ex ipso impietatis fonte sumpta esse videatur. Itaque nostra de Scythis sententia dubia esse possit, nisi eis fuerit cum Chananaeis summa religionis coniunctio. Sed videamus de singulis Chananaeorum Scytharumque deis.

A Chananaeis divinam vim et naturam inprimis soli tributam esse et lunae, Moysis antiquissimi auctoris testimonio constat [1]). Itaque primum quidem de sole ita dicemus, ut de hoc deo quid veteres senserint, quibus

---

1) Deut. 4, 19. 17, 3. al.

eum nominibus vocaverint, ubi potissimum coluerint, breviter explicemus.

Sol, quum ex Oceano, qui antiquorum sententia non modo circumdabat terram sed eam etiam sustinebat, quotidie coeli vi excitari nascique videretur, Iovis h. e. coeli filius et terrae esse putabatur. Quoniam autem terrae fertilitatem, uvis maturitatem tribuit, ab eis quos agri non greges alebant agriculturae auctor vinique inventor declaratus est. Atque eis populis, qui se vel venationi dare vel praedationibus bellisque solebant, etiam deus vel venator esse visus est vel spoliator. Itaque arcu sagittisque deus ipse ornatus reique militari praefectus exitus bellorum felices aut adversos, victoriam ac praedam aut quae his sunt contraria, hominibus impertivit atque omnino humanae vitae fortunas vicissitudines sortesque gubernavit. Sed idem quum futura praenosceret et constitueret, sortibus variisque vaticinationis artibus praefuit. Quia autem solis aestu quem Graeci καύσωνα dicunt vel solstitiali improviso morbo saepius in Asia homines peribant, idcirco quum pestilentia tum mortis repentinae causae omnes ad solem translatae sunt. Praeterea hic, quum deus spoliator esset, multos bello interficiebat et postulare credebatur, ut sibi homines sacrificarentur. Hae quidem et similes videntur esse causae, quid sit, cur homicida et aestimaretur et nominaretur. Quod autem sol diurno cursu magnum coeli spatium conficit, et quia hoc fieri sine equorum celeritate ne a deo quidem posse putabatur, huic equi ab antiquis dedicati atque consecrati sunt. Denique patrius eorum deus erat, quibus sues viderentur esse detestabiles; et ob eam causam hic ipse non poterat animalia illa non magnopere detestari. Ac de hoc deo quae fuerint veterum opiniones et unde sint ortae, simpliciter ut arbitror a nobis indicatum est. His quidem explicatis, de diversis

huius dei nominibus fanisque ita dicendum est, ut occasione data probentur ea, quae de veterum opinionibus modo exposuimus.

Quoniam hic deus nominibus aliis est apud alios appellatus, interdum difficilius definiri potest, cuius gentis quodque nomen proprium fuerit ac peculiare.

Primum quidem apud Chananaeos Aegyptiosque huius dei usitatum nomen fuit אוֹן vel אָן, Ὢν h. e. *lumen lux*. Atque hoc nomine, quod sine controversia cum שׁאן coniunctum est, appellatum solem esse, pluribus, ut mihi quidem videtur, rationibus demonstrari potest. Primum quidem interpretes Graeci antiquissimi doctissimique testes verba *sacerdos Onis*, cuius in matrimonium Iosephus filiam duxit, interpretantur ἱερεὺς Ἡλιουπόλεως [1]). Alio autem loco eidem, quae urbs fuerit On Aegyptia, explicant his verbis: Ὢν ἥ ἐστιν Ἡλιούπολις [2]). Habebat igitur haec urbs ut apud Graecos sic apud Aegyptios eius dei nomen, qui ibi ab antiquissimis temporibus colebatur. Deinde vero On vocatum esse solem, testimonium confirmat Cyrilli: Ὢν δέ ἐστι κατ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος [3]). Cognoscitur autem iddem etiam ex duobus locis similibus inter seque congruentibus. Nam quae urbs ab Ieremia Bethsamys vel fanum solis, vel Heliopolis dicitur, eam On ab Ezechiele nominatam videmus [4]). Quum autem On, urbs illa Aegypti, etiam Bethsamys vocata sit, sane mirum non est, si vicissim Bethsamys vel Bethsan, de qua supra diximus, etiam Bethon (בית־און) appellatam invenimus. Est enim eorum reiicienda sen-

---

1) Gen. 41, 45.

2) Exod. 1, 11.

3) Cyrill. ad Os.

4) Ier. 43, 13. (LXX. 50, 13.), Ezec. 30, 17. Utroque loco apud Graecum int. Ἡλιούπολις.

tentia, qui Bethel nonnunquam immutato nomine Bethon dici a prophetis putant. Erat enim illa quidem urbs semper in potestate Iudaeorum. Onis vero et urbem et agrum obtinebant Amalecitae. Amos enim hoc modo: *Et conteram vectes Damasci et disperdam habitatores ex campo Onis* [1]). Quem quidem Onis campum non esse alium ullum quam magnum illum et ab urbe Bethsan non disiunctum, perspicuum est ex locis superioribus. Oseas praeterea eis qui Bethon urbem incolebant, propter adipem corporisque vastitatem boum nomen imposuit [2]). Ex quo intelligendum est, eosdem esse oportere, quibus iddem bobus nomen fuerit, Bethsamitas dico et Bethonitas. Ad hoc, quo loco Bethsan, eodem Bethon, positam fuisse apparet. Idem enim propheta, *Vlulate*, inquit, *in Bethon post tergum tuum Beniamin* [3])! Tribus Beniamin, quum conversa ad Sion montem sanctum esset, vere a Bethsan solis templo aversa fuisse dicitur. Onem igitur vocatum solem esse satis constat. Ab Amalecitis autem hoc nomen usurpatum esse, ex eo perspici potest, quod pro Bethsan prophetae Bethon dicere inceperunt, quodque hoc iddem nomen in Amalecitarum regum nominibus, ut in Raz-on, in Haz-on aliisque reperitur [4]). Amalecitae autem nomen simul cum deo acceperint ab Amorraeis.

Iam Bethsamitae quomodo hunc deum coluerint, inquiremus, si pauca prius de eius apud Graecos nomine

---

1) Amos 1, 5. *Καὶ συντρίψω μοχλοὺς Δαμασκοῦ καὶ ἐξολοθρεύσω κατοικοῦντας ἐκ πεδίου Ὢν.*

2) Os. 10, 5. *Τῷ μόσχῳ (τοῖς μόσχοις) τοῦ οἴκου Ὢν παροικήσουσιν οἱ κατοικοῦντες Σαμάρειαν.* Illud *μόσχοι* non de deis sed de sacerdotibus, de hominibus intelligendum est.

3) Os. 5, 8. cf. Ios. 7, 2. 18, 12.

4) Haz-on nomini oppositum est Haza-el, eius nomen, qui ab Elia Syriae rex unctus est.

dixerimus. Graecos igitur Dionysi nomen ceremonias cultusque rationem a Chananaeis accepisse, iam supra philologicis quibusdam historicisque rationibus docuimus. Fuisse autem Dionysum nihil aliud nisi solem, iam ex eo intelligi debet, quod uvas hic maturas vinumque dulce efficit. Neque vero haec res fugere veteres potuit, qui de deorum natura diligentius quaererent. Aristoteles enim vir in omnium rerum investigatione princeps, *qui Theologumena scripsit, Apollinem et Liberum patrem unum eumdemque deum esse multis argumentis asserit* [1]). Iam vero Bethsamitae ut breviter dicam, festos huius dei dies agere eodem modo solebant, quo Graeci Bacchanalia. Hoc et eis locis, quos ex scriptoribus Graecis supra citavimus declaratum; et significatum est quibusdam veteris testamenti indiciis. Nam quod Moyses Iudaeos veste uti feminea vetat et eum, qui hoc fecerit abominabilem fore dicit: nonne in ludis festisque diebus celebrandis hoc factum esse ab Amorraeis indicat [2])? Quod autem virgines Iudaicae choros certo anni tempore in vinetis agebant, quid erat aliud, quam illius festi quaedam imitatio [3]). Iudaeos autem saepius, lege divina neglecta, Dionysum adorasse, et ex Amasiae vita notum est et ex eo, quod prophetae ab hac re dehortari solent [4]). Quibus rebus factum est, ut hoc deo nihil apud posteros Iudaeos invisius esset, nihil detestabilius. Nam Maccabaeorum aetate hostes quum eorum in Dionysum odium animadverterent, eos coegerunt, ut hedera coronati Bacchanalia agerent [5]). Nicanor autem non ha-

---

1) Macrob. Satt. 1, 18. cf. Serv. ad Georg. 1. Dio Chrys. or. 31.
2) Deut. 22, 5.
3) Iudicc. 21, 21.
4) Os. 4, 5. al.
5) II. Macc. 6, 7.

buit, quod acerbius eis denuntiaret, quam sese Libero patri dei immortalis templum consecraturum [1]). Sed Amalecitae hunc deum religiosissime venerati sunt, quod vino dediti et in omni essent intemperantia effusi. Quamobrem eius cultum etiam in Syriam Armeniamque transtulerunt. At vero quum ad septentrionem recedere cogerentur, neque vitium culturam neque vini usum neque Bacchanalia, quae fieri a sobriis nequeunt, retinere potuerunt. Vetustissimum huius rei testem habemus Anacharsidem Scytham, cuius dictum hoc commemoravit Aristoteles: *Apud Scythas non esse tibicines, neque enim vites* [2]). Quare minime mirum, quod dies festi, qui patriam Scythis pristinamque felicitatem in memoriam revocabant, invisi eis postea odiosique erant maxime [3]).

Iam vero Aegyptii, quamquam auctore Herodoto Bacchanalia non agerent Graecorum more, tamen Dionysum colebant et hunc quidem vocabant Osirem, Apollinem autem illius filium Orum [4]). Solis vel Apollinis nomen Ὠρ-ος h. e. אור *lumen lux* ab Ὢν nihil omnino differt. Quare solem Moysis aetate non modo ab Amorraeis sed etiam ab Aegyptiis appellatum esse Ὢν, equidem non negaverim [5]). De nomine Osiris postea dicturus sum.

Iam autem Arabes, qui Aegyptiis affines erant, duos tantummodo solem et lunam deos habebant. Solem praepotentem credebant omnium rerum dominatorem esse ac gubernatorem eumque osculis manui datis adorabant. Ad hanc adorationem referendum est Iobi illud, qui gente

1) Ibid. 14, 33.
2) Arist. Anal. post. 1, 13, 6.
3) Herodt, 4, 79.
4) Ibid. 2, 144.
5) V. Lepsius Chronol. der Aeg. 1. p. 326.

erat cum Arabibus coniunctus: *Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare et laetatum est in abscondito cor meum et osculatus sum manum meam ori meo* [1]). Nominabant autem Arabes hunc deum Ὀροτάλ [2]), quod nomen compositum est ex אורה, אורת et אל significatque *lumen dei*.

Apud Hebraeos autem solis nomen proprium erat שמש, cui respondet, mutata littera ש in ת, forma altera תמוז [3]). Abiecta vero syllaba ultima, duo alia nata sunt nomina שאן, שן et תאן, תן, quorum utrumque in libris sacris exstat. Sed solem Iudaei non modo tamquam Dionysum sed etiam ipsum per se coluerunt atque adoraverunt. Vt ea tantum afferam quae sunt recentioris memoriae, reges eorum huic deo et altaria dedicavere et consecrarunt equos atque currum [4]). Commemorantur praeterea viri impii, qui ad orientem versus solem venerarentur, et mulieres, quae sedentes conversaeque ad septentrionem lugentesque eumdem deum planxerunt, quod auctumnali hiemalique tempore deminui atque omnino extingui videretur [5]). Sed haec quidem satis scita sunt; accedamus ad alia quae minus inter omnes conveniunt.

Nomina de quibus diximus praeter unum huic deo omnia data sunt, propterea quod solis propriam vim ac significationem habebant. Est autem magna aliorum nominum varietas, quae, etsi aliquantulum inter se differant, tamen ut ex una radice orta sunt, sic unum idemque valent. Significant autem ea quidem omnia vel

---

1) Iob. 31, 26. s.
2) Herodt. 3, 8.
3) Ezec. 8, 14. Apud Moabitas כמוש.
4) IV. Regg. 23, 4, 5, 11.
5) Ezec. 8, 14, 16.

spoliatorem vel etiam *venatorem bellatorem interfectorem* (Ἀπόλλων). Radix vero omnium una est, quod dico invadendi vel spoliandi verbum גוד vel גדד vel עדה, quibus exoletum quoddam verbum גוג adiungendum puto vel subiiciendum. Nata sunt autem ex his nomina antiquissima גוג et דוד, γωγ (γογγ) et δωδ. Ex quibus ortae sunt formae quattuor, una littera vel dempta vel addita; duae quidem עוג et אד ὀγ (ὠγγ) et ἀδ; alterae autem אגג et הדד, ἀγαγ et ἀδαδ. Reliquae sunt duae horum nominum conformationes גד et דג, γαδ et δαγ. Sunt ergo nomina octo, quorum illud Agag ut arbitror, unum de homine, reliqua omnia de deo usurpata sunt.

Exordiendum igitur potissimum est a deo Gad, propterea quod multae et discrepantes etiam doctissimorum hominum de eo sunt sententiae. Sed eas omnes uberius afferre longum est. Nam dicere vera quam refutare falsa satius existimo. Nomen igitur גד, quin a verbo גדד ducendum sit vimque spoliatoris habeat, dubitari nullo modo potest. Sed quod philologicis rationibus constat, id historicis videtur confirmari, quum S. Hieronymus significare hoc verbum *latrunculum* testatur [1]). Qui autem et ipse spoliator et spoliatorum deus fuit, idem illis etiam spolia, praedam fortunamque concessit. Etenim *spolia invenire* et *prospera fortuna uti* apud Hebraeos unum sonabat. Quod autem veteres uno loco hoc nomen τύχη vel fortuna interpretantur, ex eo non continuo sequitur, ut hic deus sit fortuna ipsa; sed ex eo potius coniectura facienda est, eum humanam sortem solitum regere, venatoribus militibusque praedam ac fortunam tribuere. Sed iam apud Chaldaeos deus Gad magna in

1) S. Hieron. nomm. hebr. III. p. 540.

veneratione erat. Sed oritur hoc loco quaestio, de qua multum disceptatum est, ad solem verbum Gad an ad aliud quid vere referatur. Verba quidem illa Iesaiae dubitationi de hac re nihil videntur dare loci. *Et vos, qui ponitis mensam Gadi et Meni consecratis libamina* [1]. Quoniam Meni significare lunam [2] constat, quid est quod huic deae vel opponi vel anteponi possit nisi sol? Quum igitur verborum collocatio, tum deorum ordo homines doctos ad veram de hoc deo sententiam perducere debebat. Quid vero, quod Gadi Iudaei posuisse mensam dicuntur? Hoc quid aliud indicat, nisi solem eum esse deumque venatorem, cui animalia venando capta sacra erant? Quid aliud declarat, quam eumdem esse ipsum atque eum, cui variis mensam assis exstructam posuerunt Aethiopes [3]? Sed de hac re nihil relinquunt dubitationis septuaginta interpretes, modo ne Alexandrinos fuisse eos Aegyptiorumque dicendi genus secutos ignoremus. Illorum autem quae fuerit ratio dicendi, plane et dilucide exposuit Macrobius: Δαίμονα inquit, et τύχην *Aegyptii solem ac lunam intelligi volunt, quod sol auctor spiritus caloris ac luminis humanae vitae genitor ac custos est; et ideo nascentis daemon i. e. deus creditur. Luna* τύχη, *quia corporum praesul est quae fortuitorum varietate iactantur* [4]. Interpretati sunt autem Alexandrini eum de quo dicimus locum hoc modo: καὶ ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τυχῇ κέρασμα. Vt Meni igitur τύχη vel luna est, sic Gad nihil aliud praeter daemonem vel solem. Est enim tanta

1) Ies. 65, 11. Hebr.

2) Movers Phoen. p. 650.

3) Herodt. 3, 18.

4) Macrob. Satt. 1, 19. cf. Vett. Val. Antoll. 4, 5. Selden de deis Syr. s. 1. c. 1.

septuaginta virorum auctoritas, ut eorum apud me verbum unum valeat plus, quam infinitae recentiorum hominum disputationes.

Quum sol, Gad venationibus bellis praedationibus rebusque fortuitis omnibus praeesset, consentaneum erat, huic etiam gubernationem sortium vaticinationemque tribuere. Quamobrem apud veteres valuit mos, ut hunc deum quem arcu ornaverant, sagittis vel virgulis commutandis consulerent. Huc referendum illud Ezechielis est: *Stetit rex Babylonis in bivio in capite duarum viarum divinationem quaerens commiscens sagittas* [1]. Apud Amalecitas, quum in Syria regnarent, magnum fuisse hariolorum atque haruspicum numerum, satis cognitum est. Quare haud mirum, quod etiam in Israelitarum Iudaeorumque fines divinandi artem inferrent. Quam rem propheta iuste queritur: *Populus meus in ligno suo interrogavit me et baculus eius annuntiavit ei* [2]. Sed ut fieri solebat, Iudaeorum reges non solum deos Amalecitarum ac religiones, sed etiam sacerdotes vatesque inducebant. Eiusmodi vates fuit Nathan, qui et rex et eunuchus dicitur, cuius mentio est in Regum libris: *Iosias abstulit quoque equos, quos dederant reges Iudae soli, in introitu templi domini iuxta exedram Nathan-melech eunuchi, qui erat in Pharurim, currus autem solis combussit igni* [3]. Haud parva huius loci difficultas posita est in verbo Pharurim (Φαρουρείμ, פרורים). Quod quid significaret, ex libro Estherae disci oportebat. Verbum enim פור vel, ut in libro Estherae scriptum invenerunt Septuaginta, פרור Persicum esse falso credidit Gesenius. Ductum enim a radice פור iddem valet quod

1) Ezec. 21, 21.
2) Os. 4, 12.
3) IV. Regg. 23, 11.

olla, urna. Illud autem habere hanc vim, et ex radice ista cognoscitur et animadvertitur a libri Estherae scriptore: *missa est sors in urnam quae Hebraice dicitur phur.* Amalecitae igitur non ex sortibus hanc artem sed ex ollis (Purim Phrurim) nominabant. Quoniam autem Nathan ollarum arti praefuit, si Amalecitam eum fuisse censueris, sane non erraveris. Quod vero sedem suam eo loco, qui soli consecratus erat, constituit, ex eo intelligi debet, sortium superstitionem ad illum deum pertinuisse.

Iam vero hariolorum duplex apud Scythas genus erat, quorum alteri artem suam ad Venerem coelestem, alteri ut Graeci ad Apollinem referebant. De posterioribus apud Herodotum haec sunt: *Vates Scytharum multi sunt, qui multis saligneis virgis vaticinantur hoc modo. Magnos virgarum fasciculos afferunt, quos humi depositos explicant, et super unamquamque virgam ponentes divinant; dum autem haec dicunt, virgas rursus colligunt singillatimque componunt. Haec patria eis vaticinatio est.* Quod Herodotus de hariolorum multitudine dicit, omnino convenit cum eis, quae ex libris sacris explorata sunt. Haec eadem autem ex virgis vaticinatio, quam Graeci ῥαβδομαντείαν dicunt, eis locis indicata est quos supra citavimus. Sequitur, ut de quibusdam huius dei fanis dicendum sit.

Antiquissimum sine dubio dei spoliatoris fanum erat Azoti. Nam nomen urbis אשדוד, quod nondum explicatum est, nihil aliud significat quam *domus, fanum Dodis* [1]). Illud quidem אש apud Esdram bis, Poenorum autem in monumentis saepius exstat. Ducendum est autem a verbo אשש, significationemque habet, *funda-*

---

1) Bethdagon sine dubio iddem est quod Asdod.

menti, domus, fani [1]). Dod vero habet hanc vim, ut deum spoliatorem indicet. Sed hoc fanum, quum antiquissimum esse a rerum scriptoribus tradatur, a primis certe Philistaeae incolis conditum est. Principio autem eam regionem incolebant Hevaei et cum eis qui coniuncti erant Idumaei [2]). Apud hos igitur huius dei nomen Dod usitatum fuisse putandum est [3]). Postea autem, his superatis, urbem regionemque occupaverunt Cappadoces vel Philistaei. Qui, quum essent Aegyptiis sanguine linguaque coniuncti, solem eodem quo illi nomine appellabant. Quum autem idem deus a victis Dod, a victoribus On nominaretur, factum est, ut coniunctum nomen utrumque Dodon vel Dagon (דגון) acceperit. Qui hunc deum partim hominem fuisse partim piscem docent, ei et Dagon nomen falso interpretantur et nimium omnino nominum explicationibus tribuunt [4]). Prorsus autem hic deus nihil aliud erat praeter solem, qui agricolis agrorum vinearumque fertilitatem, et idem militibus exuviarum copiam tribuere putabatur. Quare factum est, ut ab aliis Dagon Saturnus [5]), ab aliis Ζεὺς ἀρότριος vocaretur [6]), quum praesertim sol, qui Heliopoli in Aegypto colebatur, Iupiter sit a veteribus nominatus. Sed hic idem sol bellator iudicandus est, duabus de causis, quod et, Samsone capto, Philistaei hostias ei immolarunt laetaque egerunt [7]), et quod Saulo occiso, huius caput in eius templo affixerunt [8]).

---

1) Bargès, mém. sur trente-neuf nouvv. inscrr. Punn. Paris 1852. p. 3. huic voci arae vim tribuendam putavit.

2) Deut. 2, 23.

3) Euseb. praep. ev. 1, 10. Ἄδωδος.

4) Gesenius s. h. v. Movers Phoen. I. p. 590.

5) Etym. magn. Βηταίγων ὁ Κρόνος ὑπὸ Φοινίκων.

6) Philo Sanch. p. 16. 32.

7) Iudicc. 16, 21. ss.

8) I. Parall. 10, 10.

Amalecitae, quum in fines Syrorum venirent, cultum apud eos huius dei vel repererunt vel instituerunt. Eamdem enim prorsus huic Syri, quam Arabes et Idumaei, vim naturamque tribuerunt. Magna cum auctoritate de hac re Macrobius, *Accipe,* inquit, *quod Assyrii de solis potentia opinentur. Deum enim, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Eius nominis interpretatio significat unus* [1]). *Hunc ergo ut potentissimum adorant deum. Sed subiungunt eidem deam nomine Adargatin, omnemque potestatem his duobus attribuunt solem terramque intelligentes. . . . Simulacrum Adad insigne cernitur radiis inclinatis, quibus monstratur vim coeli in radiis esse solis, qui dimittuntur in terram. Adargatis simulacrum sursum versum reclinatis radiis insigne est, monstrando, radiorum vi superne missorum enasci quaecunque terra progenerat* [2]). Hunc Syrorum deum Adad non alium esse, quam Dod, iam supra exposuimus. De solis autem terraeque coniunctione postea dicturi sumus.

Sed Amalecitae quum deducti in Scythiam essent, pluria ibi huic deo fana dedicaverunt, quorum celeberrimum erat in Chersoneso Taurica. Solem autem spoliatorem coluerunt coniunctum cum luna, quam Graeci vel Dianam vel Iphigeniam dicebant.

Sed ex Scythia quidam eunuchi profecti et mulieres fatidicae Iovis Dodonaei videntur constituisse oraculum. Neque enim illud me movet, quod Herodotus se ab Aegyptiis Dodonaeisque comperisse dicit. Antiquissima enim ex Aegyptiorum urbe, Thebis, translatas a Phoenicibus sacerdotes esse duas, alteram in Libyam, in Epirum alteram; illam Iovis Ammonii, hanc Dodonaei instituisse

---

1) A חד *unus*, falso.
2) Macrob. Satt. 1, 23.

oraculum. Sed nimium haec fabulam redolent et eam quidem recentioris memoriae. Iovis enim Dodonaei nomen, cultus, ceremoniae nihil habent omnino, unde venisse eum ex Aegypto iure possit colligi. At vero oraculi huius auctores Chananaeos fuisse vel Syros, multa sunt, quae insigniter ostendant. Sed venisse hos quidem Chananaeos a septentrionibus atque ex Scythia, illud est apertissimum argumentum, quod Dodonaei et Scythae religionis etiam postea summam inter se societatem coniunctionemque habebant [1]). De hac re diligentius quaerere instituam, si prius libere quid, ut natura mea fert, dixero. Sunt enim et ei harum rerum peritissimi, qui deorum in Graecia cultus omnes totamque mythologiam excogitata a Graecis ipsis et inventa esse volunt. Concedere ei quidem omnia potius parati sunt, quam illos a barbaris accepisse quidquam. Sed ut deos omnes natos in Graecia educatos excultosque demonstrent, non solum multa et improbabilia postulare sed etiam oppugnare Graecos ipsos et refutare coguntur. Natum est autem mirum illud eorum studium ex ea sententia, quod arbitrantur vel quod verentur potius, ne de magna Graecorum laude et ab omnibus concessa detrahatur aliquid, si non suos illi aut proprios sed alienos deos coluisse videantur. Et hoc isti quidem vel errore vel metu liberandi sunt. Nam illud mihi videor iuste posse gloriari, tantam me concepisse Graecorum gentis existimationem, ut eam eis tribuam et laudem humanitatis et litterarum gloriam, qua nemo umquam possit neque maiorem neque veriorem. Ita enim statuo: Semiticis quidem gentibus divina benevolentia animi firmitatem vitaeque singularem datam esse constantiam. Iaphethitis vero vel

1) Herodt. 4, 33.

Indogermanis admirabilem quum intelligendi facilitatem tum animi in rebus privatis publicisque mobilitatem; et ob eam causam superiores illos deo visos esse dignos, quibus ea dona concederet, quae divina quaeque supra hominem putanda sunt; posteriores vero, quibus naturalium donorum copiam abundantiamque largiretur. Itaque ex alteris quidem assumptos esse Iudaeos, qui quum primo educatorem, post etiam praeceptorem deum haberent ipsum, Graecis omnibusque gentibus doctrinam traderent divinam: ex alteris autem electos esse Graecos, qui quum ad summam humanitatis litterarumque perfectionem pervenissent, deinceps Iudaeorum, Romanorum, Germanorum aliarumque gentium de rebus humanis perpetui essent magistri. Quum igitur haec tanta Graecis proposita a deo esse cognoverim: tantum abest, ut deorum inventionem laudi eis dandam opiner, ut eam rem illis, si iure addicere deberem, in maximo dedecore ponendam statuerem. Sed Graecorum in vita urbanitatem, in dicendo elegantiam, in philosophando subtilitatem eo magis adamavi, quo verius esse intellexi, superstitionis et impietatem omnem et impuritatem inductam in Graeciam esse a barbaris.

Sed ut propositam ad rem redeat oratio, nomen Δῶδων ex duobus verbis constat, quorum alterum Δῶδ, דוד, Semiticum, alterum Ὦν, און, Chananaicum vel Aegyptium iudicandum est. Significat autem, ut supra exposuimus, hoc quidem vel *spoliatorem* vel *percussorem*, illud vero *solem*, utrumque igitur *deum solem spoliatorem*. Qui quidem deus vetustissimum fanum habuit Azoti nominatusque sine dubio a Philistaeis est Dodon, ab Hebraeis vero Dagon. Nomen igitur certissimo indicio sit, hunc Iovem esse non ab Aegyptiis in Epirum translatum, sed ab Idumaeis et Amorraeis, quos Graeci dicunt Scythas. Omnino autem eiusmodi fuit ceremo-

niarum religionumque ratio, ut aliunde quam a Chananaeis illis originem habuisse non possent. Primum enim constat dei signum quoddam constitutum esse sub arbore sacra, quae fagus fuisse traditur. Deinde vero coniunctam cum Dodone colebant deam lunam, qui erat mos Scytharum proprius. Illam autem Graeci vel Διώνην appellare solent vel Ἀφροδίτην Διωναίαν [1]). Semiticum nomen esse Διών-η, iam ex nomine Διών-υσος aestimare debemus et postea confirmabimus. Lunae autem contrariae partes virginis Venerisque Coelestis a Chananaeis tributae sunt non a Graecis. Quod quomodo fieri potuerit, paullo post explicabimus [2]). Haec igitur omnia Chanaan demonstrant horum deorum esse patriam.

Sed ne in animis quidquam remaneat dubitationis, huic deae quasi castissimae originis testes columbae consecratae sunt. Sic enim intelligendum esse puto, quod ex Aegypto Dodonaei dixerunt venisse columbam eamque in fago sedentem imperium edidisse, ut Iovi ibi fieret oraculum. Sed sive veram intelligis columbam, sive eam cum Herodoto feminam interpretaris: concedas oportet aut hanc avis consecrationem aut illud transferendi genus a Chananaeis esse non a Graecis profectum. De veris autem columbis, non est, quin Pausanianum illud accipiamus: *Nam eis, qui terram illam . . . incole-*

---

1) Demosth. adv. Mid. Ὁ τοῦ Διὸς σημαίνει. θεωροὺς ἐννέα πέμπειν διὰ ταχέων τῷ Διὶ τῷ Δωδωναίῳ ἀροτρεῖς βοῦς, τῇ δὲ Διώνῃ βοῦν. Cf. de fals. leg. c. Aesch. et ep. 4. c. Theram. — Strabo Geogr. 7. s. f. Κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ἄνδρες ἦσαν οἱ προφητεύοντες . . . ὕστερον δὲ ἀπεδείχθησαν τρεῖς γραῖαι, ἐπειδὴ καὶ σύνναος τῷ Διὶ προσαπεδείχθη καὶ ἡ Διώνη. Servius ad Aen. 3, 466: vel Dodonaeos (lebetas vocat) quales sunt in templo Dodonaei Iovis. Haec autem regio in finibus Aetolorum est, ubi Iovi et Veneri templum a veteribus fuerat consecratum.

2) In nummis Epirotarum Dodon et Diona inter se copulati sunt. V. Gronov. thes. VII. p. 278. ss.

bant, columbae et ex quercu vaticinationes maxime videbantur participes esse veritatis [1]).

Denique mares exsecti vel Dodoni antiquitus vel Dionae mancipia se dederunt. Hoc Homeri testimonio confirmabimus, sed prius de hac in Asia consuetudine pauca dicenda sunt. Vsque ab antiquis temporibus Chananaei exsecare se atque Idumaei solebant, ut lunae virgini similes sese efficerent castique castae servirent. Quare iam huiusmodi Moyses ferre legem debuit: *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro ecclesiam domini* [2]). Etenim eunuchorum erat, hariolorum sacerdotumque muneribus fungi, vaticinia edere, sacra facere et divinis rebus omnibus praeesse. Praeterea sacras saltationes instituebant incredibili cum celeritate. A saltandi autem verbo גלל eos vocatos esse Gallos ostendit Moversius [3]). Neque ab hac ceremonia homines solum, sed etiam loci urbesque nomina ceperunt. Quum Vraniae cultus ab Ascaloniis esset in insulam Cyprum inductus, fanum, ubi saltationes fiebant, nomen accepit *Golgi;* unde deae signum postea ab Agapenore Ancaei filio Paphum translatum esse traditur [4]). Nec sane absurdum est, ob eiusmodi causam factum esse, ut a Iosue locus ille, ubi Iudaei circumcisi sunt, appellaretur *Galgal.* Etenim ut sacrificia Iudaeorum vanis gentium inanibusque ceremoniis contraria quidem erant maxime, nec tamen omnino dissimilia aut disparia: sic circumcisionis magna quidem erat discrepantia cum excisione et tamen quaedam coniunctio ac similitudo. Quidquid enim proprium est coniunctumque humanae naturae, id omne

---

1) Pausan. 7, 21, 2. Τοῖς γὰρ ἤπειρον ταύτην οἰκοῦσιν αἱ πέλειαι καὶ τὰ ἐκ τῆς δρυὸς μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνετο ἀληθείας.

2) Deut. 23, 1.

3) Mov. Phoen. p. 687.

4) Pausan. 8, 5, 2.

non potest Iudaeis cum gentibus, Christianis cum horum utrisque non commune esse. Nam ex gentibus Abrahamus segregatus est ex eiusque posteris Iudaei, ut is, qui alteris quidem gloriae, alteris vero exspectationi erat, utrosque et gentes et Iudaeos redimeret reconciliaretque quum ipsos inter se tum deo ac patri. Sed ut excisi falsis se fragilibusque deis manciparunt, sic circumcisi deo sese consecraverunt immortali, ut totius vitae sanctitate sancto sancti servirent. Hinc divina illa vox: *Vos eritis mihi regale sacerdotium ac gens sancta* [1])! Quare quum Iudaei non falsi cuiusdam dei excisi, sed vèri dei circumcisi essent: Iosue, ut excelsa haec circumcisionis vis ac significatio in illorum animis insculpta haereret, eum quem diximus locum Galgal vocari voluit. Quare quum sacram illam vim haberet Galgal, sane minime est mirandum, quod postea impii Iudaei facile sunt adducti, ut sacrum hunc locum veris effeminatis eunuchisque violandum traderent [2]).

His rebus consideratis ac perpensis, non dubito Dodonaeorum quos Graeci dicunt Hypophetarum nomen ducere a verbo celeritateque saltandi. Homerus enim illos quidem Sellos dicit:

ʼΑμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσʼ ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι [3])

Pindarus autem nomine paulum mutato eos vocat Hellos. Videtur enim ʽΕλλὸς vel Σελλὸς ex eo genere esse verborum, quae quasi a natura pronuntiata, ab hominibus autem excepta, a pluribus gentibus in linguam assumpta sunt. Etenim sonum eum imitatur haec vox, quem

1) Ex. 19, 6. *Ὑμεῖς δὲ ἔσεσθέ μοι βασίλειον ἱεράτευμα καὶ ἔθνος ἅγιον.* LXX cum s. Petro I, 2, 9. consentientes.

2) Ios. 3, 19. Os. 4, 15. 9, 15. 12, 11.

3) Il. 16, 234. cf. Soph. Trach. 1167.

quum quid celeriter circumagitur auribus percipimus, ob eamque causam celeritatis rapiditatisque notionem habet. Itaque Hebraei verba, גלל, צלל, חול, Graeci ἅλλω formaverunt, Romani salire saltare exsultare, Germani gellen schnellen. Cervum autem a celeritate primi quidem vocaverunt איל, alteri ἑλλός, quarti Gazelle. Vt igitur eunuchi a גלל in Asia Galli: sic ex saltandi verbo צלל Iovis Dodonaei vel Martis sacerdotes a Graecis quidem Selli, a Romanis autem Salii appellati sunt [1]). Nomen autem Σελλοὶ vel Salii neque Graeci aut Latini ab Hebraeis neque Hebraei a Graecis; sed utrique videntur a natura magistra didicisse. Poeta autem quod Sellos illotis pedibus esse humique cubare dicit, corporis duritiam disciplinaeque eorum severitatem declarat. Neque huius in deum observantiae desunt alia apud Asiaticos exempla. Hos autem Sellos non nomine, sed re vera fuisse Gallos, idem docet Homerus:

Ἢν μὲν κ᾽ αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο τομοῦροι [2]).

Nam τομοῦρος ex τέμνω esse et οὐρὰ compositum significareque eunuchum, ab hominibus litterarum Graecarum peritis numquam debebat negari. Οὐρὰ enim quid valeat, et ex Hesychio videri licet, et ex compositis νώθουρος, μύζουρος, aliis. Iam vero Chananaeorum more eunuchos Dodonaeos vates etiam hariolosque fuisse ex hypophetarum appellatione satis apparet. Neque illud est praetermittendum, ut a Gallis Gallum fluvium [3]), sic a τομούροις Tomarum vel Tmarum appellatum videri, qui fuit mons oraculo vicinus [4]). Sed in Epiro sub frigidiore coelo extingui Gallorum gentem paulo post ora-

1) Salii Herculi vel Marti dati erant.
2) Hom. Od. 16, 403.
3) Herodt. 1, 11. Plin. h. n. 31, 2.
4) Strabo l. c.

culum institutum necesse fuit, quum et Graeci ab eorum exemplo abhorrerent, neque Scythae illuc devenirent. Qua quidem ex re facile causam intelligo, quid sit, quod feminae tres Herodoti tempore, non Galli oraculo rebusque divinis praefuerint [1]).

Ex his igitur apertissimis signis iudicare debemus, ex Chanaan Dodonaeorum deorum cultum, non ex Aegypto esse inductum. Quod a Phoenicibusne factum sit an a Scythis, in medio relinquendum puto. Sed si quis a Scythis potius Dodonaeum oraculum conditum esse velit: is secum reputet, anno ante Christum natum circiter septingentesimo sexagesimo Amalecitas Idumaeosque ex Syria in Scythiam esse deductos. Qui igitur oraculi auctores Scythas fuisse putabit, ne Homeri quidem aetatem poterit ante illum annum constituere.

Restat, ut quo nomine sol deus a Scythis appellatus sit, quaeramus. In nostris Herodoti editionibus nomen eius scriptum videmus: Οἰτόσυρος. Celsus autem et Origenes in suis exemplaribus Γογγόσυρος scriptum habebant [2]), quod mea sententia aut omnino verius est aut propius ad veritatem accedit. Compositum enim nomen illud est ex Ὄγγ vel Γογγ, עוג vel גוג, et Ὄσυρος; quorum alter Aegyptiorum Osiris vel Dionysus vel sol, alter Chananaeorum Gad vel Dod vel spoliator erat. Apud Herodotum igitur facillima litterarum commutatione restituendum est: Ὀγγόσυρος. Atque hoc quidem nomen, quoniam nisi in Chanaan aut in Aegypto ad solem significandum non adhibebatur, ex eis ipsis regionibus ortos esse Scythas ostendit. Colebatur autem in Scythia etiam Ἄδωνις, cuius nomen compositum est ex Ἄδ vel Γάδ et Ὧν eumdemque solem spoliatorem declarat. Qui

1) Herodt. 2, 52, 55, 57.

2) Orig. c. Cels. 6, 39. I. p. 661.

quum deus esset Scytharum, quibus sues maximo odio erant: illas bestias etiam ipse vehementer odisse ac detestari tradebatur. Qua de re variae postea sunt fabulae excogitatae. Sed ut sues huic invisi sic equi cari ac consecrati erant. Iudaeorum reges equos ei dedicasse, supra dictum est. Amalecitae Idumaeique eam religionem in Armeniam induxerunt, ut ei et alerentur equi et immolarentur [1]. Quam rem Armenii et tradiderunt Persis [2], et sine dubio etiam in Scythia retinuerunt.

Prima igitur et antiquissima huius dei templa apud Chananaeos Aegyptiosque Nysae Azoti Heliopoli fuerunt. Postea eius cultum Scythae et Phoenices in Libyam [3] per Asiam Europamque distulerunt.

III.

De luna dea ac sorore solis.

Luna Iove vel coelo et terra nata, soli omnino par et aequalis aestimabatur, nisi quod ille mas, haec femina esset. Marem illum haud dedecet, stellas quasi in fugam convertere, potentem se horribilemque praestare, ac fortiter diurnis praeesse rebus ac temporibus. Contra huic feminae convenit dispersa astra et quasi dissipata blande ad se congregare, strenue ea et cum omni magnanimitate regere atque omnino dominari noctu. Sed haec quum regina coeli et esset et diceretur, arma eadem ei, quae soli, tributa sunt, arcus et sagittae. Quibus rebus ornata eadem etiam nomina spoliatricis bellatricis homicidae inveniret necesse erat; praesertim quum homines ut sibi sacrificarentur flagitaret. Iam vero sive

---

1) Xen. Anab. 4, 5, 34.
2) Herodt. 1, 131. Xen. Cyrop. 8, 3, 12. 24.
3) De Libibus v. Herodt. 4, 188.

quod ex veterum opinione suis felices bellorum eventus praedamque concedebat, sive quod terrae hominibusque donabat lucem, quae illis beatitudo felicitasque ipsa esse visa est: eis rebus quae fortunae subiectae videntur, praefecta esse casusque futuros prospicere credebatur. Itaque quum divinationis, quae ab antiquis plurimi ducebatur, tum ceterarum artium constituta magistra est. Porro autem quod purissimum quoddam eius lumen illustrissimusque esset candor, idcirco putant plerique recentiores eam virginem esse dictam. Sed huius virginitatis alia longe ac diversa videtur esse causa. Est enim hoc quidem ex natura rerum perspicuum, lunam par omnino et aequale connubium adipisci nisi cum sole non potuisse. Solis autem, quum esset soror eisdem parentibus nata, coniux eadem esse omnium gentium consensu nullo pacto potuit. Quare quum soli, germano suo, non posset nubere, consequens fuit, eam prorsus non habuisse, cui rite pro genere suo, pro ordine divinitateque nuberet. Quae res quum ita se haberet, vellet nollet, invita coactaque necesse erat in aeterna virginitate permaneret. Sed sunt nocturnae quaedam res, quas quum quis perficere conatur, diem lucem hominumque oculos fugere, tenebras ac noctem, natura duce, quaerere solet. Quare quum noctis domina esset luna, consentaneum erat, nocturnarum rerum omnium gubernatricem eam putare atque patronam. Ita quidem quod considerata re ipsa absurdum est, tamen cogitatione comprehenditur, qua ratione factum sit, ut partes suscipere Veneris virginale numen posset. Nam lunam et virginem nominatam a Chananaeis et pro Venere habitam, a Graecis vero Ἀφροδίτην οὐρανίαν recte esse dictam, quis est, qui negare queat? Vbicumque autem Veneris Coelestis locum tenuit, nuda etiam fingi et sine vestimentis coepta est. At vero virgini virginales aves columbae consecratae

sunt. Praeterea quum illa in ea, quam cognomen indicat, castitas esse crederetur, aeque fieri ac iuste visum est, ut aut mactarentur ei virgines aut cervae capraeque earum loco substituerentur. Quoniam autem propria erat feminarum dea, mares in eam opinionem adducti sunt, ut putarent gratos se ei aut acceptos esse non posse, nisi vel feminas se vel virgines efficerent. Itaque eunuchi facti muliebribusque induti vestibus modo sacrificiis divinationibusque vacarunt, modo feminarum domicilia ingressi omnia cum eis communia habuerunt. Sed haec quidem in universum.

Iam vero explicanda deae lunae nomina sunt, quo quidem nihil potest esse facilius. Nam quum lunam veteres quasi solem esse femineum arbitrarentur, huic nomina illius in femininum genus conversa imposuerunt. Quoniam igitur solis nomina cognita habemus, nihil aliud faciendum nobis est, quam ut addamus eis feminini generis exitus, qui sunt apud Semitas ה - et ת - .

Primum quidem dicamus de lunae appellatione apud eos, qui antiquitus eam deam habuerunt patriam, et nostra aetate ex ea habent signa militaria. Quod quidem eo libentius facimus, quod eodem tempore ex Herodoto tollere mendum quoddam possumus. Arabes igitur, qui אל, *El* (ἧλ-ιος) vel, ut ipsi pronuntiabant *Al* [1]), immortalis dei nomen, ad solem transtulerunt, lunam, femineum solem, nominabant אלת, *Alitt* [2]). Et hoc quidem nomen ipsum apud Herodotum 1, 131. exstat: *καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην (οὐρανίην) Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἄλιττα.* Sed nomen verum loco altero, qui est 3, 8., etiam in optima Bekkeriana editione vide-

1) V. supra: *Orot-Al.*

2) Alia huius nominis pronuntiatio est Ἑλλωτ-*ία* vel Ἑλλωτ-*ίς* cf. Movers Phoen. Colonn. p. 80. an. 89.

mus litterarum immutatione corruptum: οὐνομάζουσι δὲ (οἱ Ἀράβιοι) τὸν μὲν Διόνυσον Ὀροτάλ, τὴν δὲ οὐρανίην Ἀλιλάτ. Restituendum est igitur etiam hoc loco Ἄλιττα.

Herodotea illa quidem verba me adducunt, ut etiam Assyricum istud lunae nomen in disputationem revocem. Assyrii qui solem non El, sed Bel בעל vocabant, lunam בעלת, בלת, בלש, Belitt, Belis, Baltis dicere solebant. Quod quidem nomen alii, mutata littera ב in מ, pronuntiabant מלת, Μέλιττ-α, Μύλιττ-α. Neque vero Assyriorum hoc verbum proprium, sed commune est Chananaeorum ac Semitarum omnium. Nam Melitae, deae lunae, quam Latini Iunonem vocant, antiquum fanum erat et a Poenis conditum in ea urbe et insula, quae in mediterraneo mari posita ab hac nomen et primum accepit et usque ad hoc tempus retinuit [1]).

Iam ad ea solis nomina accedamus, de quibus supra exposuimus. Primum igitur et Hebraeorum maxime proprium nomen erat שמש, תמוז, שן, תן. Ex hac ultima forma natum est duplex nomen lunae. Alterum est תאנה h. e. Τιωνᾶ vel Τιανᾶ. Vt autem pro Τιωνυσσ, Διώνυσσ-ος dicebant, sic pro Τιωνᾷ, Dodonaearum dea, Graeci quidem Διώνη, Latini autem omnino Diana. Ex hoc autem verbo proposita littera א, ortum est אתאנה vel אתנה h. e. Ἀθηνᾶ, eius deae nomen, quam a veteribus Pelasgis accepisse Athenienses videntur. – Alterum vero nomen est תאנת, תנת, תנית, *Tanitt*, *Tanaitt*, vel mutata littera ת in ש, ut assolet, תניש, *Tanaiss*, Ταναῗς. Superius illud in Punicis monumentis scriptum videmus; posterius et ex Graecis, qui de hac Syrorum dea dixe-

1) Cic. Verr. 5, 72, 184. teque *Iuno* regina, cuius duo fana duabus in insulis posita sociorum, *Melitae* et *Sami*, sanctissima et antiquissima. Cf. de h. re Movers. Phoeniz. Colonn. p. 349. ss. Videtur etiam nomen *Mileti* ad eamdem deam revocandum.

runt, notum est et ex eo, quod Scythae a dea hoc nomen flumini indiderunt.

Aliud solis nomen erat און vel אן h. e. *lumen (masculinum)*, a quo rectissime item duo lunae nomina ducuntur; unum אנה vel אניה, *Ana*, *Anaia*, h. e. *lux*, quam Graeci dixerunt Ἄννα vel Αἴνη vel Ἄναια vel Αἰνεία. Alterum אנת, *Anaitt*, quae ab illis vocata est Ἀναῖτ-ις.

Solis nomen tertium erat אור vel אר, quod iddem vim habet *luminis*. Ab hoc lunae vel Iunonis nomen ortum est ארה h. e. *lux* Ἥρα, quae ab Homero in Graecorum deos est recepta. Quod quidem lunae nomen, cur apud Semitas minus usitatum esse videatur, postea perspiciemus.

Iam veniamus ad ea nomina, quae non *lunae* propriam, sed *spoliatricis* vim ac significationem habent. Primum quidem ex דוד effectum est דדה, *Dido* [1]) h. e. *spoliatrix*, *interfectrix*, quod lunae apud Poenos cognomen fuisse constat. Deinde vero ex nomine אד formatum est אדה, Ἀδά, Ἴδα (Ἰτέα), quorum alterum apud Babylonios, alterum apud Tyrios Iunonis nomen usitatum erat [2]). Denique ex vocabulo עוג ὤγ ὄγγ, ductum est עגה ὄγγα vel ad Graecorum linguam conformatum ὄγκα, quod Minervae nomen a Thebanis datum est. Hae quidem praecipuae huius cognominis formae sunt et maxime usurpatae.

Proximum est, ut lunae contortum quoddam cognomen et difficillimum, unde ducendum sit et qua ratione explicandum, investigemus. Etenim Astarten vocatam esse lunam, multis testimoniis confirmari potest. A ve-

---

1) Vel Deido. De prioris vocalis commutatione cf. Gogon, qui dictus est Gigon, alia.

2) V. Movers Phoen. p. 199.

teribus enim ita definitur, ut praeter lunam nihil omnino esse possit. Alii enim Venerem eam appellant Coelestem, alii ἀστροάρχην nominantes astrorum principatum obtinere declarant; alii de ea praedicant, quae excepta luna, deorum nemo est, cui convenire possint. Lunam igitur apud Chananaeos fuisse Astarten, inter omnes, qui harum rerum non sunt omnino ignari, constat. Sed hoc lunae cognomen si scire volumus unde originem traxerit, quid valeat, compositumne sit an simplex: omnium mutos reperiemus explicatorum libros. Negat enim omnino Moversius aut Hebraeorum aut Arabum aut Syrorum linguas ad hoc verbum enucleandum ullam suppeditare radicem [1]). Gesenius, quum interpretari ex Semitarum linguis illud se posse desperaret, ad Persas, ad Graecos, ad Germanos denique confugit [2]). Sed haec dea quum usque ab antiquissima memoria propria fuerit peculiarisque Chananaeorum, absurdum est existimare, eam nomen habere non Semiticum. Scythae quidem eam appellabant Ἀστάρ-α, quod nomen exstat in Comosaryae monumento [3]). Atqui nomen iddem Edissae Assueri coniugi dederunt [4]). Hoc autem apud Hebraeos scriptum est אסתר, illud vero Astartae עשתרת, Ἀστάρτ-η. Quodsi harum inter se scripturarum contentionem fecerimus, Hebraeos primam litteram ע posuisse intelligemus, ut Chananaeorum pronuntiationi satisfacerent. Illi enim saepius pro א litteram ע et pronuntiarunt et scripserunt, veluti תען pro תאן. Prior igitur huius verbi pars אשת est, qui est status constructus verbi אשה, *femina mulier virgo*. Posterior vero est אר *lumen*. Valet

1) Mov. Phoen. p. 606. s.
2) Gesen. s. h. v.
3) Boeckh, corp. inscriptt. 2, p. 157.
4) Esth. 2, 7.

ergo verbum אשת־אר iddem prorsus, quod *femina luminis, virgo lucida*, quo quidem nomine haud scio an nullum ad lunae naturam aptius excogitari potuerit [1]). Vt Romani *lumen* et *lux*, sic Chananaei lumen masculum distinguere et femineum solebant, alterum dicebant אור vel אר, alterum ארה vel ארת. Hanc formam posteriorem conservatam videmus in אשת־ארת h. e. *femina lucis, virgo lucida*. Sed ab hoc loco haud alienum videtur esse solis nomen explanare, quod huic lunae appellationi omni ex parte respondet. Solis vel Dionysi commune apud Aegyptios nomen erat Ὄσιρ-ις, Ὄσυρ-ος. Quod iddem quoniam apud Scythas in verbo Ὀγγ-όσυρ-ος occurrit, haud sane dubium est, quin Semiticis ex linguis originem habuerit. Haud ergo, ut arbitror, erravero, si Osirem nihil aliud quam איש־אר h. e. *virum luminis, virum lucidum* esse duxero. Scytharum autem Ongosyrus h. e. *spoliator homo lucidus*, omnino videtur congruere cum Gadastartae h. e. *spoliatrice femina lucida*, cuius nomen in Punicis monumentis inventum est.

Sequitur, ut de alio lunae nomine dicamus, quod primo Scythae adhibuerunt, postea ab eis Thraces et Macedones receperunt. Est igitur nomen *Zara*, quod Graeci vel Ζαρᾶ vel Ζαρῆτις scripserunt vel Ζαρίνα vel Ζαρήνη, Semitae autem זרה vel זרת vel, immutata ultima littera, זרש· Hoc postremum *Zares*, uxoris Amanis nomen, in Hebraico Estherae libro scriptum videmus. Eamdem autem hoc verbum vim habet, quam זרע h. e. *proles*, eamdem prorsus, quam Graecum κούρη vel κόρη *puella virgo libera* [2]) *(Proserpina)*. Gesenium ne-

---

1) Ghiringhello, qui ceteroquin *de libris historicis antiqui foederis* praeclare scripsit, Gesenii auctoritate videtur esse adductus, ut p. 542. Estherae nomini stellae vim subiiciendam putaret.

2) Cic. nat. deorr. 2, 24. Cerere nati nominati sunt Liber (filius)

que Astartae nomen illud, neque Zares vere probeque interpretatum esse non miror. Quamquam enim Graecorum testimonio constat Persas solem Μίθρας, lunam Μίτρα nomine nuncupasse eosque huius deae cultum recepisse ab Assyriis Arabibusque [1]: tamen ille nomina de quibus diximus et nata a Persarum lingua et profecta ad Chananaeos affirmavit.

Denique apud Hebraeos luna nomen obtinuit מני, *Manai* [2] vel ut magis placet מנית *Manaitt*. Huic enim verbum masculinum quoddam מן subiiciendum est, ex quo sol vel המן vel חמן nominatus est. Hoc quidem solis nomen *Aman* et homo habuit Mardochaeo adversarius et mons ille in Asia. Alterum autem Ammon et ex Hebraicis et ex Graecis Latinisque scriptoribus satis notum est. Vt solis nomina: אל, ἥλιος (ἑλ-ένη σελ-ήνη) sol, שן, Ζάν, Ian-us, Sonn-e, apud Hebraeos, Graecos, Latinos, Germanosque paulum quiddam inter se differunt: sic etiam quattuor illis gentibus communia sunt vocabula; מני, μήν, men-sis, Men-a, Min-erva, Mon-d, Mon-at, quae omnia ad lunam pertinent.

Iam aliud ex lunae nominibus nullum quod sciam reliquum est nisi quod est ab Herodoto traditum Scythicum illud Ἀρτίμπασα [3]. Quoniam Graecorum Dianae tanta tamque arcta cum Amazonibus coniunctio cognatioque fuit, ut cum illis etiam ipsum nomen Amazonis commune haberet: Scythica Dianae et Amazonis nomina credo, ut rite illustrentur, inter se coniungi oportere. Herodotus autem Amazonem a Scythis Οἰόρπατα nun-

---

et Libera (filia), quod in Libera (Proserpina) servant, in Libero non item.

1) Herodt. 1, 131. Xenoph. Cyrop. 7, 5, 53.

2) Ex מני vocabulum נני Ναναί-α, II. Macc. 1, 13, illud quidem videtur esse ortum.

3) Herodt. 4, 110.

cupari ait, quod nomen iddem ac Graecum *ἀνδροκτόνος* valeat, *οἰὸρ* enim apud eos significare *virum*, *πατὰ* autem *interficere* [1]). Verba quidem *πατὰ* et *πασὰ*, quae sunt in *ἀρτίμ-πασα* et *οἰόρ-πατα*, inter se convenire ac congruere, nemo est, quin videat. Etenim ut litteras *σσ* et *ττ* Graeci et Germani [2]) commutare solent, sic Hebraicae gentes ת et שׁ· Est autem magnus apud Iudaeos verborum *πατὰ*, numerus, veluti פתה, פתת, פשח, פשע, פצה, בתה, בתת, quae quidem apud eos omnia propriam vel disiungendi vel discindendi vim habent vel dissolvendi vel dirumpendi vel frangendi; quaeque apud Scythicos Idumaeos quin translatam interficiendi significationem habuerint, dubitari nequit. Iam vero si nomina illa inter se apta et convenientia sunt, cuius vocis *οἰὸρ* singularis est, eiusdem necesse est *ἀρτ-ιμ* esse pluralem. Ex quo necessario non *οἰὸρ* sed vel *οἶ(ο)ρτ* vel *ἆρτ* fuisse singularem sequitur [3]). Hoc autem vocabulum, quum *viri* vim habeat, cum Hebraeo אנשׁ, haec est enim vocis איש prima forma, non potest esse non cognatum. Atqui אנשׁ et אנת eadem sunt omnino. Iam vero nisi in liquidis discrimen inter illa: אנת et ארת *οἶ(ο)ρτ*, nullum est. Hae autem litterae ex eo ipso nominatae sunt, quod sunt natura sua instabiles ac fluxae. Ex quo efficitur, plane inter Idumaicum vel si mavis inter Scythicum ארת et Iudaicum אנשׁ nihil interesse. Sed qui rerum philologicarum haud nimis sunt periti, ita quidem si litterarum commutationes ex arbitrio facere liceat, ex omnibus fieri omnia existimabunt. Et profecto me eum esse fateor, qui omnibus rebus etiam fabulosis maiorem fidem quam eiusmodi demonstrandi

---

1) Herodt. 4, 110.
2) Germ: Wasser, besser, Flam: Watter, better.
3) Veram scripturam esse Ἀόρπατα et ἀόρ, iam hoc loco apparet.

artificiis adhibendam esse putem. Neque vero rerum nostrarum tam amantes esse volumus, ut non libenter demonstrationem nostram pateremur labefactari, nisi confirmare eam lingua Hebraica voluisset ipsa. Quae quod pro אנש formam אמת (pl. מתים) conservavit alteram, quid aliud declarat, nisi ne tertiam quidem ארת absurdi vel insoliti habere quidquam. Significat ergo Oeortpatta *hominis*, Artimpassa *hominum interfectricem*. Deae autem spoliatrici hanc rite appellationem deberi, ex natura atque origine eius perspici potest. Graecorum vero illud Ἄρτεμις si quis ab Ἀρτίμπασα ductum, cultum autem eius deae a Scythicis Chananaeis ad illos fluxisse voluerit, non impediam [1]). Ac luna dea quibus sit a Chananaeis nuncupata nominibus, satis a nobis explicatum arbitror. Quoniam autem hunc locum breviter ac strictim tractare voluimus: illud quod diximus, esse nomen quodque lunae deae a veteribus impositum, significare quidem potuimus, demonstrare non item; nisi forte in eo quaedam demonstratio est, quod lunae nomina omnia ex eis quae solis erant propria manarunt. Veterum autem testimonia de hac re accuratamque argumentationem qui desiderat, ex Moversii libro assumat, qui de Phoenicibus ab eo est inscriptus [2]).

Iam de eis locis quaerendum est, ubi a Chananaeis Amalecitisque deae lunae delubra ac fana dedicata sunt. Antiquissimum et inde a primis Abrahami temporibus celebratum fanum erat in ea regione, quae a Graecis Latinisque Arabia deserta nominata est. Quod quum esset in ea urbe positum, quae modo ab Amalecitis modo ab Israelitis modo etiam a Moabitis occupata fuit; geo-

1) Cf. de hac re Movers. Phoen. p. 624.

2) Movers. Die Phoeniz. I. Bd. Relig. und Gottheiten der Phoeniz. Bonn. 1841.

graphi in eam opinionem inciderunt, ut plures in ea terra et urbes huius deae et fana fuisse suspicarentur. Quum autem urbs illa quidem a dea nomen reperisset, dea autem ipsa pluribus nominibus uteretur: fieri non potuit, quin urbs eadem temporibus aliis aliter nominaretur. Quare factum est, ut rerum geographicarum scriptores vel in illo ipso errore confirmarentur vel traducerentur in alios. Varia autem huius urbis nomina haec sunt: *Astharoth-Carnaim, Astharoth, Beesthara, Bosor, Bosorra, (Bosra, Bostra), Carna*. Quae quamvis vehementer inter se discrepare videantur, tamen censeo omnia unam ad urbem referri oportere. Cuius sententiae quae sint rationes, quam brevissime potero, exponam.

Primum igitur *Astharoth-Carnaim*, quae ex *Astarta cornuta* nominata est, iam aetate Abrahami urbs erat in Arabia deserta posita et a Raphaeis vel condita vel certe inculta et eadem deae illi consecrata [1]). Iam vero sine controversia nihil differebat inter hanc urbem et eam, quae Moysis tempore simpliciter appellabatur *Astharoth*, propterea quod in regno Basan magnitudine et celebritate a Bethsan erat proxima et ob eam ipsam causam antiqua, quodque in eadem Arabiae parte sita, subiecta Ogis imperio Raphaei, eidemque deae erat dedicata [2]). Porro autem *Beestharam* aliam esse urbem quam Astharoth, duabus de causis videtur negandum, et quod בעשתרה h. e. בית עשת ארה iddem est ac *fanum Astharoth* vel *feminae lucidae*, et quod nomina illa scriptores sacri promiscua adhibuerunt. Iosue enim urbem Beestharam nuncupat, ita dicens: *Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse*

1) Gen. 14, 5.
2) Deut. 1, 4. Ios. 9, 10. 13, 12. 31. I. Parall. 6, 71.

confugii civitates, Gaulon in Basan et Beesthara cum suburbanis suis, civitates duas [1]). Paralipomenon autem scriptor eamdem nominat Astaroth, quum dicit: *Filiis autem Gersom de cognatione dimidiae tribus Manasse, Gaulon in Basan et suburbana eius et Astharoth cum suburbanis suis* [2]). Neque vero potest non iddem esse Beesthera et *Bosor* vel *Bosorra* [3]). Nam assentiri Gesenio non possum, qui בצרה et מבצר h. e. *locus munitus* inter se nihil differre putavit. Est enim hoc urbis nomen omnino iddem quod בית צרה h. e. *fanum Zarae, puellae, Liberae, Astartae.* Nam pro זרה scripturam alteram esse צרה, ex ipsis libris sacris haud difficile est cognoscere. Primum enim litterarum ז et צ magna est pronuntiationis similitudo summaque coniunctio. Deinde vero solis nomen masculinum ציר, quod Zarae ut Liber Liberae respondet, scriptum exstat apud Iesaiam: *Confusi sunt et erubuerunt omnes, simul abierunt in confusionem fabricatores* צירים, h. e. *servi Liberi* [4]). Quum autem nomina illa, de quibus dicimus, minime inter se discrepent, scriptores sacri altero pro altero solent uti. Erant enim Israelitis, qui hominem inviti interfecerant, trans Iordanem constitutae ad confugiendum urbes tres: *Bosor in deserto, Ramoth in Galaad, Gaulon in Basan.* Atque hae ipsae etiam Levitis attributae sunt. Qua quidem in re itidem illud observandum est, Levitico generi assignatas urbes esse eas, quae vel ad illud usque tempus in hostium potestate essent, vel non sine maxima

---

1) Ios. 21, 27.

2) I. Parall. 6, 56. (V. et LXX. 71.).

3) Amos 1, 12. Ier. 49, 13. 22.

4) Ies. 45, 16. Quoniam in Ps. 48, 15. plane iddem nomen est, haud scio an sit ad eumdem deum Liberum referendum. Tyri autem nomen urbis, צר, vel צור, ducendum non a *rupibus* aut a *saxis*, sed ab hoc deo, qui idem *Melkart, rex urbis* dicebatur.

contentione ab illis in posterum possent defendi. Nam ad expugnandam Ramoth-Galaad, quot bella Israelitae Iudaeis coniuncti et quibus incommodis gesserint, supra a nobis explicatum est. Pietatis vero Idumaeorum ac religionis vehementer interfuit, urbem Bosor in ipsorum potestate esse. Sed ut ad rem propositam redeamus, in urbe Bosor duo sunt, quae diligenter animadvertenda esse puto; unum, fuisse eam urbem in finibus tribus Manasse [1]); alterum est, quod ea non ipsi tribui Ruben, sed, ex ea qui propter caedem fugerent, concessa est. Moyses enim hanc rem ita instituit, ut in regione, quae trans Iordanem est, suum quaeque tribus asylum haberet. Itaque Graeci eum, qui ad hanc rem pertinet, locum rectissime interpretati sunt: Τότε ἀφώρισε Μωυσῆς τρεῖς πόλεις πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου, φεύγειν ἐκεῖ τὸν φονευτὴν . . . . τὴν Βοσὸρ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ γῇ τῇ πεδινῇ τῷ Ῥουβήν, לראובני, καὶ τὴν Ῥαμμὼθ ἐν Γαλαὰδ τῷ Γαδδί, לגדי, καὶ τὴν Γαυλὼν ἐν Βασὰν τῷ Μανασσῇ, למנשי [2]). Quoniam autem ex perspicuis illustranda obscuriora sunt, dubium non est, quomodo Iosue locum huius simillimum [3]) intelligi voluerit. Tribus igitur Manasse finibus suis utrumque et suum ipsius et Rubenis refugium continebat. Ex quo intelligi debet, vera scriptoris verba et integra esse haec: *Filiis quoque Gerson, Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan et Beestharam cum suburbanis suis, civitates duas* [4]), illa autem quae se-

1) Ios. 13, 31. I. Parall. 6, 71. 7, 37.

2) Deut. 4, 41. ss.

3) Ios. 20, 8. Et trans Iordanem contra orientalem plagam Iericho statuerunt: Bosor, quae sita est in campestri solitudine, *pro* tribu Ruben, ממטה etc. מן praep. *propter, ratione al. rei habita*, v. Gesen. s. h. v.

4) Ios. 21, 27.

quuntur esse immutata: *De tribu Ruben, ultra Iordanem contra Iericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Iaser et Iethson et Mephaath, civitates quattuor cum suburbanis suis* [1]. Nam haec verba: *civitates refugii Bosor in solitudine*, interposita esse, praeter ea quae iam diximus, et virgulae Origenianae declarant et urbium numerus quattuor. Adscripta autem ea quidem a quodam lectore sunt, qui sententiam loci superioris, Ios. 20, 8. minus assecutus erat. Eis autem inter auctoris verba receptis, quum urbes quinque cum numero illo quattuor valde discreparent, correctores criticae artis non nimis periti non verba ista inculcata, sed alii Misor nomen deleverunt [2], alii totum versum Hebraicis ex libris sustulerunt [3]. Rubenis igitur in Manassae finibus asylum tribus nominibus, I. Parall. 6, 56. *Astharoth*, Ios. 21, 27. *Beesthara*, Deut. autem 4, 43. et Ios. 20, 8. *Bosor*, בצר, appellatum videmus; ex quo perspici oportet nominum varietati unam subesse eamdemque urbem. His quidem explicatis, supervacaneum est planius exponere, Bosor in solitudine eodem fuisse quo Astharoth loco positam, eamque nomen habere a Libera, quae eadem Astarta dicebatur. Quapropter minime est mirandum, quod eadem urbs a Libera Bosor vel Bosorra nominata est. Quocirca Graecus interpres Hebraicum בצרה utrisque locis et Ies. 34, 6. 63, 1. Ier. 48, 24. Βοσόῤ, et Gen. 36, 33. I. Parall. 1. 44. Βοσόῤῥα reddidit rectissime. Ceterum iddem et ex glossemate apparet, quod I. Macc. 5, 26. ad nomen Βοσόῤῥα adscriptum est, καὶ Βοσόρ, et ex eo quod paullo post, v. 28. eadem urbs

1) Ios. 21, 36. et I. Parall. 6, 78.
2) I. Parall. 6, 78.
3) V. Vallars. Hieron. Ios. l. c. IX. p. 396. not.

Βοσὸρ nuncupatur [1]). – Bostra denique vel Bosthra nihil aliud est nisi Beesth-a-ra, littera una immutata, altera omissa. Praeterea Eusebii et Hieronymi testimoniis constat, *Bosor in deserto ad orientalem partem Ierichus civitatem sacerdotalem et fugitivorum Bostram fuisse Arabiae metropolim* [2]). Postremo ut unde profecti sumus redeamus, Astharoth Carnaim urbem maximam fuisse Arabiae Batanaeae [3]) eamque etiam *Carnaeam* dictam esse, idem testatur Eusebius. Quod autem Iobi domum ibi monstrari ait, id ad Bosthram videtur omnino quadrare [4]). Vrbs autem eadem sit necesse est, quae ab Eusebio et Strabone maxima huius Arabiae laudatur, ab altero autem Carnaea, ab altero vel *Carna* vel *Carana* dicitur [5]). Erat igitur una eademque urbs,

---

1) De hac re testem habemus egregium Iacobum Nisibenum Syrum, cuius patria huic urbi proxima fuit. Praeclare igitur, *Idumaei filii Esau*, inquit, *habitaverunt usque ad civitatem Bozor seu Bosra. Et cum pervenissent filii Israel usque ad Cades-Gai-Abarim seu Ieiabarim miserunt nuntios pacis ad regem Idumaeorum, ut transire eis liceret per illorum terram; illi autem non permiserunt. Recedens igitur discessit illinc Israel et transiens iuxta Idumaeorum confinia abstulit eis civitatem Bosra in deserto et separaverunt eam in civitatem refugii securitatis. Qui autem persuaderi sibi desiderat, civitatem Bosra antea fuisse Idumaeorum filiorum Esau, attente audiat prophetam Iesaiam, quemadmodum viderit ille sanctum glorificatum proeliantem et venientem de Edom tinctis vestibus suis de Bosra. . . . Qui autem sibi non persuadet, quod civitas Bozor seu Bosra obediret Idumaeis in tributo servitutis, intelligat id etiam si vult ex libro creationis: Regnavit in Edom Iobab filius Zara de civitate Bosra.*

2) Euseb. onom. s. v. Βοσώρ. Cf. Hieron. huius libri interpr.

3) Βαταναῖα provincia ex hoc ipso fano (Βάτανα fanum Anae h. e. Astartae) nomen cepit.

4) Euseb. onom. s. v. Καρναίμ Ἀσθερώθ.

5) Strab. Geogr. 16, 4, 2. *Μειναῖοι μὲν ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν μέρει· πόλις αὐτῶν ἡ μεγίστη Κάρνα ἢ Καρανά.* Cf. I. Macc. l. c. Βοσόῤῥα κτλ. *πᾶσαι αἱ πόλεις αὗται ὀχυραὶ καὶ μεγάλαι.*

quae ut diversis nominibus appellata, sic etiam diversis vel regnis vel provinciis adscripta est. Scriptores enim sacri eam in solitudine, primi Maccabaeorum libri auctor collocat in Galaaditide, Strabo in Arabia, Fl. Iosephus ad fines Arabiae, Eusebius denique in Arabia Batanaea [1]). Qui autem urbis locum invenire aut definire volet, ab eo proficisci debebit, quod a Iordane ea quidem trium aut quattuor dierum spatio disiuncta erat, ab Adra autem millia passuum viginti quattuor [2]). Atque hoc quidem Astartae fanum mihi videor, et ubi situm fuerit et quomodo vocatum, ostendisse.

Erat huius deae fanum alterum in Chananaeorum urbe antiqua, quae cis Iordanem sita a Bethsan haud procul abfuit. Quum plurimae urbes deis dicatae, tum vero haec in Chananaeorum potestate remansit. Quare quum pluribus Israelitarum gentibus confinis esset, et pluribus tribubus et Levitis assignata est. Quum autem dea non uno tantum nomine nuncuparetur, etiam nomen urbis, quod ex illo manavit, vel eodem tempore vel cum hominum aetatibus commutatum est. Hebraei autem quum etiam in propriorum nominum varietate elegantiam quamdam orationis putarent inesse: eodem in libro eamdem hanc urbem nominibus appellarunt diversis. Quae res a geographis haud animadversa, falsas opiniones multas turbulentosque errores genuit. Quod autem huius urbis nomina et rationes magis etiam perturbata sint, hoc est causae, quod duae fuerunt urbes eodem et fano et nomine coniunctae, quarum altera posita in colle superior, altera ad eius radices inferior dicebatur. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, de Palaestinae geographia quiddam dicendum est. De rebus

1) I. Macc. 5, 27. Strab. l. c. Fl. Ios. Antt. 4, 7, 4. Euseb. l. c.
2) I. Macc. l. c. Fl. Ios. Antt. 12, 8, 3. Euseb. s. v. Ἀδραεί.

geographicis, quae ad libros sacros pertinent, doctrina nostra omnis in duorum fere hominum auctoritate posita est, Flavii Iosephi et Eusebii. Nam plerique in scribendo rationem eam sequi solent, ut ex rivulis potius quam ex fontibus haurire malint. In Fl. Iosephi autem quum geographicis tum chronologicis rebus multa et aperta errata sunt. In universum vero Eusebii geographica et chronica, quae ille Iulii Africani temporum rationibus spretis ac repudiatis conscripsit, in eisdem sunt reprehensionibus, quamquam singula quaedam sumpta ex veteribus scriptoribus numquam aestimari satis magni possunt. Illorum autem uterque, quamvis id invitis illis factum sit, tantum interdum sua sine rationibus auctoritate valuerunt, ut usque ad aetatem nostram geographicos libros plerosque, chronologicos autem certe omnes erroribus suis referserint. Sublatis autem duobus illis, de rebus Palaestinensibus praeter scriptores sacros testes nulli relinquuntur. Pauca sunt enim et tantummodo graviora ad nomina pertinentia, quae Graeci et Latini tradiderunt. Itaque fit, ut quae futura est argumentatio nostra testimoniis omnino careat, totaque in explicandis libris sacris versetur. Quam ob causam lectores velim nullam ei, nisi diligenter perpensis rationibus, fidem adhibeant.

Oppidum igitur illud quod diximus et Iosuae et Iudicum in libris semel nominatum est בית־ענת h. e. *fanum Anaitis;* utroque loco cum Bethsamys coniunctum, altero Nephthalitis est assignatum, altero ab eis non esse vel expugnatum vel deletum traditur [1]. Quod quum a diversis gentibus inclusum esset, ut Bethsamys, quum Nephthali tribui tum Iudae attribuitur. In Iudae autem urbibus eius nomen, converso numero, scriptum est

1) Ios. 19, 38. Iud. 1, 33.

בית־ענות [1]), ex quo colligi debet non plures ibi fuisse deas, sed oppida plura deae unius societate fuisse coniuncta. Quoniam utrumque oppidum, si quidem duo fuisse ponimus, in eorum numero est, quibus suburbana fuerunt; omnino intelligi nequit, non modo cur eorum neutrum aut captum a Iudaeis aut dirutum tradatur sed ne nomen quidem ullius usquam appareat. Huius rei causa esse nulla potest, nisi quod nomine alio eadem lateant oppida. Atque aliud quidem nomen est apud Graecos, qui pro בית־ענות, בית־ענון, Βαιθανών i. e. pro plurali veterem dualem scriptum reliquerunt. Hoc autem nomen non saepius quidem sed semel tamen exstat in Regum libris [2]), paullum littera una immutata בית־חנן. quod oppidum, si in his quidem rebus omnino certi quid est, non potest esse aliud quam id, de quo dicimus. Neque enim nominatum solum est una cum Bethsamys sed eadem etiam Salomonici regni provincia comprehensum. Sed haec oppida duo, tot enim ex nomine fuisse videmus, si Salomonis aetate stabant, magis etiam mirum est, quod trium illorum nominum postea nullum usquam reperitur. Quamquam igitur invito animo facio, ut ab Eusebio eiusque hac in re sectatore Hieronymo dissentiam, tamen eadem oppida mihi videntur esse Anathoth, Ieremiae patria. Nam ענתות vel, quod ad Hebraicam linguam magis aptum est, אנתות quid aliud esse potest nisi verbi Anait pluralis h. e. בית־ענות. Sed praeter nomen eiusque pluralem numerum in Anathoth etiam illud convenit, quod suburbana habuisse dicitur. Erat autem hoc oppidum Levitis datum a tribu Beniamin [3]). Qua quidem in re non id mirandum vide-

1) Ios. 15, 59.
2) III. Regg. 4, 9.
3) Ios. 21, 18. I. Parall. 6, 60. Ierem. 1, 1.

tur, quod Beniamin accepit, quod iddem Nephthali et Iudae datum erat – iddem enim etiam in Manasse usuvenit [1]) – sed quod Levitis dare potuit id quod numquam antea acceperat. Nam Gabae et Gabaon, quas Levitis concessit, eae in eius urbibus nominatim afferuntur; Anathoth neutiquam. Quum autem haec urbs in illo quidem numero deesse non possit, eam subesse nomini alii statuendum est. Quod nomen quale sit, haud difficile erit reperire, si meminerimus hanc deam etiam vocatam esse ארה, posseque eius fanum appellari בית־ארה, Βαιθωρά. Et profecto hoc nomen singulare ita apud Iosephum scriptum exstat, et in hanc urbem ipsam videntur quadrare omnia, quae ei de qua dicimus insignia sunt ac peculiaria. Haec enim urbs duo oppida complexa continebat, ob eamque causam duali numero ut בית־חנן sic בית־חרן Βαιθωρών efferri solebat. Erat autem alterum oppidum inferius, superius alterum, utriusque vero commune nomen Bethoron vel etiam, ut mihi quidem videtur, קרתן, *Cartan* h. e. *duo oppida*. Praeterea eadem urbs tanta erat magnitudine, ut agrum urbanum ac compluria suburbana possideret [2]). Ad hoc sita ad campum, neque ita multum aberat a Bethsamys [3]). Denique Bethora una, quae inferior nominatur, in finibus erat tribus Beniamin, in eiusque urbium numero nomine Cariath habita est [4]). Quibus de causis vix dubitandum putaverim, quin duae Bethorae etiam Anathoth appellatae sint. Bethora autem altera, quam superiorem dixerunt, quum in hostium manibus esset, tribui Ephraim data ab eaque Levitis tradita est [5]). Quodsi

1) V. supra de Bethsamys.
2) Ios. 21, 22.
3) I. Macc. 3, 24. Iudth. 4, 4. Flav. Ios. de bell. Iud. 2, 19, 1. 8.
4) Ios. 18, 13. 21.
5) Ios. 16, 5. (LXX), 21, 22.

autem quis miretur, quod haec urbs, quam pluribus nominibus indicatam unam esse dicimus, tribubus Iudae et Nephthali assignata neque ab eis est Levitis concessa: iam alii antea admiratione eadem videntur esse affecti. Hinc enim duae in nostris exemplaribus scripturae corruptae, quarum una haec urbs a Nephthali, altera a Iuda sacerdotali genti exhibita esse traditur. Haec quidem est Ios. 21, 32. *De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilaea et Hammoth* (et) *Dor et Carthan cum suburbanis suis, civitates tres.* Etenim Hammoth et Dor non una sed duae urbes sunt, altera Ios. 19, 35. hoc ipso nomine, altera ibid. 37. Edrai, אדרעי, vocata [1]). Quoniam autem non plures erant confugii urbes quam tres: perspicuum est, adscripta esse verba illa: *et Carthan,* quibus duae Bethorae significari videntur [2]). Altera vero est I. Parall. 6, 59., ubi illarum urbium numero, quas a tribu Iuda Levitae acceperunt, in interpretatione Graeca addita est Bethora, his quidem verbis: καὶ τὴν Βαιθὴρ καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς. Ac de huius urbis nominibus satis dictum est.

Iam vero fuit huius deae tertium in Palaestina templum Ascalone, de quo quum alii satis disputaverint, nos breviter dicere possumus. Nam praeterquam quod de hac dea scriptores Graeci plura tradiderunt, servati ad nostram aetatem illius urbis numi sunt, quibus Astarta quae et qualis fuerit perspicitur. Fuisse eam quidem lunam, lunae signum indicat in eius capite positum. Virginem significant columbae simulacro haud ineleganter adiunctae. Fortitudinem eius virtutemque militarem de-

1) Graece: Δῶρα et Ἄδωρα cf. I. Macc. 13, 20.

2) I. Parall. 6, 76. Pluralis *Cariathaim* illud Dor omnino ex hoc loco deturbavit.

clarat data lancea vel in dextera vel in sinistra [1]: Hinc etiam armorum Sauli facta a Philistaeis dedicatio. Venerem denique Coelestem nomen prodit fani et urbis. Est enim אשׁ־קלון iddem quod *fanum pudendi* vel *ignominiae*. Veneris autem in ea fuisse vim et naturam, praeterea multa sunt, quae demonstrent. Quoniam enim luna lupa fingebatur nuda et sine ullis vestimentis, qualis in gemma quadam Musei Florentini prostat, cervum manu dextra altera arcum tenens [2]; a Graecis Latinisque vel Venus Coelestis vel simpliciter Coelestis dictata est. Praeterea huic stuprum adulterium atque incontinentiae genera omnia consecrata. Denique non ignoramus Veneres Coelestes fuisse ipsas, quae vel a Phoenicibus vel ut alii dicunt, ab Amazonibus Ascalone Paphum Cytheramque translatae sint [3]. Quamquam autem haec dea Veneris partes gerebat, tamen ei tum Ascalone tum Paphi columbae virginales illae alites et sacrae erant et ab ea vel potius ab eius sacerdotibus alebantur. Haec quidem de templis Palaestinensibus.

Priusquam a Palaestina discedamus, dicendum est breviter, quomodo Iudaei a divina veritate ad Astartae impietatem deflexerint. Quoniam perantiquis illis fanis tanto cum virtutis et periculo et detrimento temperatum est: Iudaei facile et a Chananaeis provocati et cupiditate stimulati sunt, ut haud ita multo post mortem Iosuae hanc deam colerent atque adorarent. In eorum autem vitam consuetudinemque Astartam Sidoniam induxit eique publica sacra primus fieri iussit Salomon [4].

---

1) Eckhel. doctr. numm. vett. 3. p. 444. ss.

2) Mus. Flor. I. tab. 67, 7.

3) Herodt. 1, 105. Pausan. 1, 14, 6. 3, 23, 3. Strabo Geogr. 11. p. 348.

4) III. Regg. 11, 5.

Regnantibus huius posteris, quum numquam hac superstitione vacavit Iudaea, tum vero ad tempus ea videtur omnino fuisse impleta. Iudaei enim ei accenderunt tus [1]), libamina fecerunt [2]), immolarunt hostias, escas placentasque consecraverunt [3]), cum meretricibus denique convenerunt atque effeminatorum turpitudini initiati sunt [4]). Iesaias autem ut omnia praeclare sic hoc: *Erubescet luna et confundetur sol, quum regnaverit dominus exercituum* [5]). Nam quum coniunctus homo deo ex virgine natus esset, non modo erubuit sed pudore omnino confecta est luna Astarta, quae antea cum vestibus etiam pudorem deposuisse visa est [6]).

Sed ut cum Idumaeis ex Palaestina in Syriam, deinde in Scythiam procedamus, illi quidem, Damasco per vim capta, Astartae cultum sacraque ibi aut repererunt aut induxerunt. Eam enim patronam huius urbis ac deam patriam fuisse accepimus. Vt autem Nysae Dionysi, sic Damasci Astartae sepulcrum fuisse traditur. Vocatam autem eam esse Arath-em, ארת, *lucem, lunam,* ac Damasco regi matrimonio coniunctam, per Iustinum docemur [7]). Haec autem dea quantum apud Syros valuerit,

---

1) IV. Regg. 23, 5.

2) Ies. l. c.

3) Ier. 44, 18. Placentas ex sesamo et melle factas pueris distribuit Astarta vel Iuno Samia, Herodt. 3, 48. escas autem et dulcia Diana Ephesia in Peloponnesum deducta, Xenoph. Anab. 5, 4, 9. Idem mos ad tertium quartumque saeculum apud Kollyridianos permansit, qui beatae Mariae virgini placentas immolantes quanta eam ignominia afficerent non senserunt, dum ab episcopis reprehenderentur atque ecclesia expellerentur.

4) Osee 4, 14. *Μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυον.*

5) Ies. 24, 23.

6) Theophylact. in Osee 4, 15. *Τὸ ἄγαλμα αὐτῆς (Ἀστάρτης) γυμνὸν ἵστατο.*

7) Iust. 36, 2. Haec quidem Arathis vel Hera virginitate privata

existimari ex eo potest, quod ei columbae omnes in tota Syria consecratae sunt [1]). Sed Idumaei, quum ad aquilonem deducti Cimbrorum in sedes pervenissent, in Chersoneso Taurica huius deae fano exstructo sacra instituerunt. A Graecis autem dea Taurica rectissime vel Artemis appellata est vel Iphigenia vel Virgo [2]). Praeterea et femina vaga et homicida et venatrix fuisse dicitur [3]). Adiuncti autem ei erant Cabiri, de quibus alio loco accuratius dicendum est. De eius autem cultu apud Herodotum haec sunt: *Tauri virgini naufragos mactant et quos ex Graecis capiunt illuc delatos, hoc quidem modo. Postquam immolarunt, clava feriunt caput; quidam autem aiunt corpus eos e rupe praecipitare, in rupe enim aedificatum templum est; caput autem cruci affigunt; alii de capite quidem consentiunt, corpus vero non detrudi e monte praecipite dicunt sed humo contegi.* Haec quidem Herodotus [4]). Neque vero peregrinos solum naufragos sed etiam virgines huic deae sacrificarunt, easque hostias solas virginitate eius dignas habuerunt. Quae quidem immanitas postea ita lenita est, ut non occiderent virgines sed vel sacerdotes consecrarent vel cervas pro eis substituerent [5]).

Enumeratis quidem Scythicis huius deae fanis, haud alienum est paucis exponere, quae ei apud Graecos templa fuerint. Primum quidem Amazones ex Armenia pro-

---

est. Iovis enim et soror esse et uxor dicebatur. Damascus autem ille Arathis coniux, nisi fallor, sol deus est. Nam דמשׂק vel דומשׂק Διωμυσσ-αx nihil aliud significare videtur quam Διωνυσσ-αx h. e. *sol.*

1) Xen. Anab. 1, 4, 9.

2) Herodt. 4, 103. Strabo Georg. 7, 4, 2.

3) Theoph. ad Autol. 1, 9.

4) Herodt. l. c.

5) Lacedaemonii ei sacrificabant capras. Hinc dea nominata Αἰγοφάγος. Paus. 3, 15, 7.

fectae fanum Dianae prope Ephesum constituerunt [1]. Graeci, qui in illa urbe habitabant, alienam deam et externam aliquamdiu videntur vel neglexisse vel non nimis frequenter coluisse. Quum autem urbem Croesus obsideret neque multum abesset quin eam vi caperet; Dianae eam ad liberandam tuendamque dederunt [2]. Deinde vero Scythae paulo post quam in loca septentrionalia pervenerunt, Thracia peragrata vel etiam navibus advecti in Samothraca huius deae delubrum condiderunt. A dea enim insula illa primis temporibus nominata est Melita [3]. Praeterea una cum ea colebantur Cabiri, omnisque eorum cultus eiusmodi erat, ut aliunde quam ex Scythia illuc translatus esse non posset. Ad hoc Hesychius testis est, hos deos venisse ex ipsa Scythia [4]. Denique et dea et insula a Scythis Aethiopia est appellata [5]. Nysa enim vel Scythopolis a veteribus in Aethiopia sita esse dicebatur. Colchi pro Aethiopibus sunt habiti. Omnino autem Aethiopes in extremo terrarum habitare putabantur [6]. Scythas autem in has regiones insulasque migrasse, etiam ex eo patet, quod auri inventio in Thaso insula et Pangaeo monte in fabulis ad Sac–um quemdam vel ad Scytham refertur [7]. Quod autem de Samothraca diximus iddem cadit in Lemnum, ubi huic deae et Cabiri copulati et virgines sacrificatae

1) Quidam Ephesum ipsam ab Amazonibus conditam dicunt; minus recte. Strabo Geogr. 11, 5, 4.

2) Herodt. 1, 26. cf. Tac. ann. 3, 61. Ephesus denominata est ab. Opi vel Ophi, quod nomen etiam Dianae Ephesiae datum est.

3) Strab. Geogr. 10, 3, 19. Σαμοθράκην καλουμένην πρότερον Μελίτην.

4) Hesych. s. v. Ἄωοι θεοί οἱ ἐκ Δρόμου μετακομισθέντες εἰς Σαμοθράκην.

5) Hesych. Αἰθιοπία ἡ Σαμοθράκη. Steph. Byzant. s. v. Αἰθιόπιον. Hesych. s. v. Αἰθιοπαῖδα cf. Movers. Phoen. Col. p. 104. s.

6) Athanas. expos. in Psalm. 67, 36.

7) Hygin. fab. 274.

sunt. Ex Samothraca autem et Lemno, id quod hominibus harum rerum peritissimis probatum est, huius deae cultus Braurum et Spartam translatus, Cabirorum vero superstitio in totam Graeciam diffusa est.

Reliquum est, ut de deae lunae eunuchis apud Scythas auguribusque dicamus. Erat enim apud eos alterum exsectorum hominum genus, qui divinandi artem non a sole sed a Venere sive Coelesti sive Terrestri sese accepisse simulabant. De eis ab Herodoto tradita haec sunt: *Exsecti autem Enarees Venerem sibi aiunt divinationem dare. Tiliae autem vimine vel cortice vaticinantur. Quum eorum quis tiliam trifariam sciderit, contexens eam in digitis suis et dissolvens tractat* [1]. Atque haec quidem Herodotus. Verbum ἐνάρεες, quo duobus locis ille usus est, nostra memoria viri doctissimi Scythicum habendum esse dicunt. Sed ut σκολότης, sic hoc quoque vocabulum mihi quidem videtur esse Graecum. Habet enim primum quidem exitum Graecum casusque eius ad Graecorum modum convertuntur. Etenim accusativum Herodotus altero loco adhibet: ὥστε ἅμα λέγουσί τε οἱ Σκύθαι διὰ τοῦτό σφεας νοσέειν καὶ ὁρᾶν παρ' ἑωυτοῖσι τοὺς ἀπικνεομένους ἐς τὴν Σκυθικὴν χώρην ὡς διακέαται τοὺς καλέουσι ἐναρέας οἱ Σκύθαι [2], nominativum altero: οἱ δὲ ἐνάρεες οἱ ἀνδρόγυνοι τὴν Ἀφροδίτην σφι λέγουσι μαντικὴν δοῦναι. Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat, vocem illam sine ulla dubitatione esse Scythicam, quum Herodotus ipse dicat: *quos Enarees Scythae vocant*. Sed idem si legat illud: οἱ Σκύθαι κατακαίουσι τοὺς μάντιας Ψευδομάντιας καλέοντες, necesse est Pseudomantes verbum dicat esse Scythicum. Sed Herodotus ipse duobus illis

1) Herodt. 4, 67.
2) Ibid. 1, 105.

locis Graecumne sit verbum illud an Scythicum significavit. Nam quum Scythica verba Graece interpretari soleat, quare non iddem priori loco in hoc verbo faciendum putavit? Quid vero, quod altero loco non modo enarees qui dicantur, non denuo explicat sed ne id quidem se explicasse commemorat? Iam autem Hesychius dubitari nequit quin illud non habuerit Scythicum, quum et singularem ἐνάρης cognoverit et ut Graecum illud explicaverit ἐνηρμοσμένος. Sed haec quidem vox cuias sit citius quam quid valeat dixerim. Id enim me ignorare profiteor. Sed si duplicem in codicibus scripturam ἐναρέας, ἐναρίας intueor, perspicere mihi videor penultimam syllabam esse corruptam, emendandam autem hoc modo: ἐναργέες, ἐναργέας. Nam hoc verbum ut passivam quam dicunt habet hanc vim, ut significet eum, qui perspicuus est, qui clare aperte manifestoque perspicitur: sic ea vi activa non caret, ut declaret eum, qui clare oculis videt cernit perspicit. Adhiberi igitur potest et ad deos indicandos qui apparent, et ad vates, qui illos conspiciunt. Ea erat enim communis Chaldaeorum Aegyptiorum omniumque gentium opinio, esse homines quosdam, quibus adspiciendos sese deos ac contemplandos concederent. Quodsi autem ita se res habet, ut diximus, Scythae cum Iudaeis in eo consenserunt, quod et quosdam *prophetas falsos*, et vates ipsos *videntes* nominarunt. Eadem autem illa conditione, apud Hesychium scribendum est ἐνεργούμενος. Sed ad graviora redeamus. Scythae igitur Herodoti testimonio dixerunt, τὴν θήλειαν νοῦσον h. e. *cupiditatem effeminandi sese exsecandique*, animos incessisse ab Astarta Ascalonia. Atque hoc quidem compertum exploratumque est, hanc rem ad Astartam cuius vetustum erat templum Ascalonium, vere recteque esse relatam. At vero quod Scythae morbo illo poenae nomine affecti sint ob templum violatum spolia-

tumque, id fictum commenticiumque dicere ausim. Nam haec res non poenae acerbitatem, sed singularis atque eximiae gratiae prae se speciem ferre solebat. Nam eadem de re disserens Hippocrates, *plurimos esse* ait *apud Scythas eunuchos. Referri autem eam rem ad deum, maximaque eius generis homines esse in veneratione. Solere eos induere bracas mulierumque in domos intrare. Saepissime autem accidere, ut ditissimi quique ac nobilissimi sese exsecarent* [1]). Ex quo haud improbabile est, Nathanem regem eumdemque eunuchum, quem saepius iam commemoravimus, primum fuisse regem, post de regno in eunuchorum naturam numerumque decessisse. Ac de luna dea diximus.

IV.

De Iove et Opi vel de coelo et terra, solis et lunae parentibus.

Veteres, ut superiore loco diximus, solem et lunam patre eodem matreque natos esse putarunt. Parentes autem eorum coelum et terram dixerunt, commoti, ut arbitror, eis rebus potissimum, quas vel quotidie vel quotannis oculis cernebant. Nam quum sol et luna quotidie oriri e terra videantur, eorum mater recte terra haberi potest. Excitantur autem illa sidera quodammodo a coelo. Quare is terrae quidem coniux ac maritus [2]), illorum autem pater genitorque iudicatus est. Esse autem coelum inter et terram coniunctionem quamdam matrimonio haud dissimilem, ex eo videri potest, quod coelum pluvias largitur rores calorisque temperationem

1) Hippocr. l. c.

2) Herodt. 4, 59. Ἱλάσκονται (Σκύθαι) Δία τε καί Γῆν, νομίζοντες τὴν Γῆν τοῦ Διός εἶναι γυναῖκα.

efficitque, ut terra fruges herbas arbores omniaque efferat. Neque vero inanimata aut animalia solum, sed homines etiam coelo terraque natos esse, veterum fuit opinio. Adde huc liberos illos, solem et lunam, quos deos antiqui maxime colere, precari venerarique solebant: et haud scio an nihil aliud requiras ad perspiciendum, cur terra deorum omniumque mater, coelus autem deorum hominumque pater appellati sint. Itaque factum est, ut omnes fere gentes coelum omnino patrem vocarent. Inde apud Romanos Io – vel Iov – pater h. e. Iupiter; inde etiam apud Scythas nomen בבי h. e. babai, pater, quod ab Herodoto Παπαῖος redditum est, ut quid significaret, intelligi a Graecis etiam sine explicatione posset [1]). Sed quum vis illa coelestis animos etiam fulminibus tempestatibus terreret nimbis nivibus grandinibusque, homines eis rebus exterriti non modo patrem eum pie colebant sed etiam dominatorem fortem et omnia nutu regentem verebantur. Quemadmodum autem solem et lunam e coelo in terram deduxerunt eosque in bellatorum simulacris praesentes esse putarunt: sic etiam Iovem, coelesti sede relicta, hominibus tamquam Herculem apparuisse terrasque peragrasse somniarunt. Quum vero Apollo et Diana apud Scythas dei patrii essent eorumque cultus ac religiones maxime vigerent, hic quidem deus quamquam non omnino neglectus est, tamen communi et quotidiana in veneratione esse non potuit. Itaque de Iove haec pauca dicta sint. Iam vero de dea terra uberius disputandum est.

Terra igitur, quoniam solis lunaeque procreatrix habebatur, omnino, ut diximus, magna deum mater appellata est. Quum autem eadem homines genuisse cre-

---

1) Herodt. l. c. Ζεὺς δὲ (ὀνομάζεται σκυθιστὶ) ὀρθότατα κατὰ γνώμην γε τὴν ἐμὴν καλεόμενος Παπαῖος.

deretur, almae hominum matris nomen cepit atque a quibusdam populis princeps et communis omnium genitrix constituta est. Iam vero animantium genera omnia haec dea fecisse ac procreasse visa est, ob eamque causam veterum opinione animalium regem leonem sacrum sibi esse voluit. Porro autem florum herbarum arborumque varietatem gignit, greges armentaque alit eisque et belluis omnibus large et copiose pastum eum qui cuique aptus est comparat, agricolis denique frugum maturitatem ubertatemque praebet. Praeterea auri argentique vim, gemmarum splendorem, aquarum salubritatem omniumque rerum copiam de visceribus suis depromit effunditque in vitam humanam. Quibus de causis non modo bonae deae, sed etiam ipsius opulentiae vel Opis nomen invenit. Nam eae res, quibus homines divites, quibus locupletes felicesque esse putantur, nonne omnes terrestres sunt? Etenim quae antiquissimis temporibus magni ducebantur, nonne partim e terra sumpta sunt, ut domus, ut aedificia, partim ab ea procreata, ut oves, ut boves, equi et eiusmodi alia? Quid vero, quae postea plurimi aestimari coepta sunt, aurum, argentum, metallorum opulentia, fundi magnitudo, quid aliud est quam ipsa terra? Quare quum divitiae, quae terrae praestantissimae partes sunt, opes dicerentur, opis (ditis) nomen ad terram ipsam iuste videtur esse translatum. Quoniam autem copiosi etiam felices beatique haberi solent, hoc ipsum felicitatis vel beatitudinis nomen terra sibi vindicavit. Summum autem bonum maximamque beatitudinem in voluptate posita esse, quidam docebant verbis, omnes vero si paucos excipio factis declarabant. Quare quae dea omnium rerum copiam praebuit beatitatisque nomen obtinuit, eadem necesse erat eas res praestaret, sine quibus vita beata ne cogitari quidem a veteribus potuit. Sed hunc locum tractare nullo modo

possumus, nisi de religionum huius deae turpitudine pauca dicamus. Quamquam autem hanc disputationem inviti et rei necessitate coacti instituimus, tamen lectores spero aliquid ex ea utilitatis percepturos. Nam in huius deae cultu tanta erat tamque magna obscoenitas, ut ab ea vel ipsa nostrae aetatis turpitudo abhorreret. Homines autem boni et Christiani, quum quae in antiqua superstitione inhonesta nefastaque erant, nuda atque aperta conspiciunt, in virtutis amore divinorumque beneficiorum admiratione haud mediocriter confirmantur, quoniam ex illis rebus quantum Christo Iesu redemptori nostro debeant, existimare possunt. Terra igitur, quum esset fortunarum beatitudinis voluptatumque procuratrix, rebus venereis obscoenisque praefecta est. Hanc autem deae vim et auctoritatem, quam nomine quidem *voluptatis* expresserunt, etiam signo quodam ut oculis subiicerent curarunt. Eiusmodi autem rem, quae voluptatem h. e. ipsam deam significaret, phallum, φαλλὸν, esse voluerunt. Sed plerique hoc signum ita explicare solent, ut eam eo, quae terrae naturaeque inest gignendi vim declarari dicant. Sed honestatem hi quidem secuti potius quam veritatem assecuti videntur. Nam veteres quum procreandi causa ne matrimonium quidem inirent, in mollibus delicatisque perfruendis voluptatibus de omnibus rebus magis quam de suscipienda prole cogitarunt. Quocirca non procreandi, non generandi vim, qua terra natura praedita est, phallus quidem indicat sed obscoenam illam voluptatem, quam homines pecudum more ex turpitudine quaerunt. Itaque et in templis ipsis pro simulacris phallos posuerunt, et foris eos ingenti magnitudine erexerunt. Sed quum turpe illud signum consecrassent, ubicumque id invenerunt sive arte sive natura factum venerati adorarunt. Quapropter pinus aliasque arbores, quae natura sua phallis similes

sunt, sacras habuerunt, in eisque deam coluerunt. Quoniam autem penes hanc deam omnium fortunarum copia erat, a fortuna vaticinandique arte aliena esse non potuit. Quare eius cultus magnam hariolorum falsorumque prophetarum turbam excitavit, qui ut ad artem rite factitandam apti viderentur, sese exsecare debuerunt. Terra autem et luna, mater et filia, quarum utraque voluptatibus rebusque fortuitis praefuit, saepius eisdem templis altaribusque coniunctae sunt. Erat autem huius figura partim ex homine sumpta partim ex pisce. Nam quod terra veterum consensu non modo Oceáno circumdata continetur sed etiam aquarum vi fulta sustentatur, et quia humanis pedibus aquis insisti nequit; artifices terram feminam quidem finxerunt sed inferiorem partem vel ex pisce vel ex serpente adhibuerunt. Quum autem aquis haec dea innataret pisciumque similitudinem haberet: ei pisces consecrati in eiusque fanis alti sunt. Ac de huius deae vi et natura in universum diximus. Iam de nominibus eius fanisque disserendum est.

Notum quidem et in sacris libris usitatissimum huius deae nomen est אשׁרה, Assera. Quod nomen quo minus videtur difficile, eo magis mirandum, quod neque recte a quoquam explicatum est neque ad propriam veramque deam relatum. Putarunt enim plerique hoc aut ad lucum aut ad arborem sanctam pertinere, aut ad dei cuiusdam simulacrum, aut ad Astartam. Affirmavit quidem Gesenius hoc vocabulum significare *fortunam felicitatem*, spectare autem ad Veneris stellam [1]). Quae eius opinio tribus in erratis est. Primum quidem huius verbi vis peculiaris non *fortuna* est, sed *beatitudo felicitas voluptas*. Deinde vero Venus Asiatica non ea stella erat

1) Gesen. lex. s. h. v. I. et II. edit., thes. I. p. 162.

quam nos Venerem vocamus, sed aut luna, quae Venus dicta est Coelestis, aut terra, quae nominanda terrestris est. Denique ad Veneris astrum hoc verbum haudquaquam est referendum. Moversius autem, postquam postrema de re Gesenium iuste reprehendit, alia quidem omnia subtiliter enucleavit, sed in eum errorem incidit, ut verbum Graeco Ὀρθία, Ὀρθωσία respondere ac *rectam* significare vellet [1]. Nam illud quidem cognomen esse Dianae, homo doctissimus ille non ignoravit, Asserae autem vim naturamque esse terrestrem idem perspexit. Quod autem hoc nomen non a dea sed a phallo tractum esse censet, haud sane est probabile, non signum a dea sed rursus vicissim deam a signo esse denominatam. Sed, ut uno verbo dicam, hoc terrae vocabulum ducendum est a substantivo אשׁר, *opulentia, felicitas, voluptas*. Quod quum masculini generis esset, nisi addito feminini signo, ad feminam transferri non potuit. Itaque formatum est utrumque et אשׁרה et אשׁרת. Ex duabus his formis incredibile est, quot et quam discrepantia nomina fluxerint. Primum enim inde exstiterunt, mutata littera שׁ in ת, אתרה Ἀθάρα [2]) et אתרת Ἀτταράθη. Hoc nomen, quum deae Syriae inditum sit, ea autem terra fuerit, omnino dubitandum non est, quin cum Assara plane congruat. Deinde vero ex posteriore nomine ortum est אתרעת Attaraitt; quod Graeci et Latini reddiderunt Ἀταργάτη, Ἀτεργάτις, Atargatis, Atergatis. Littera enim ע a Semitis saepius γ vel κ pronuntiata est. Tum autem ex illis nominibus, omissa littera prima, nata sunt vocabula תרה thara h. e. terra, et תרעת, Dercet-is, vel addita littera א, תרעתא, Thira-

---

1) Movers. Phoen. I. p. 560. ss.

2) V. Strabo 16. s. f. Hesych. s. v. Ἀτταγάθη (h. e. Ἀτταράθη.) Cf. Movers l. c. p. 594.

tha, quam Δερκετώ Ctesias appellavit [1]). Quum autem humana vox propter accentum semper ad ultimam syllabam properaret, primo littera א, post etiam ת praetermissa est. Itaque ex duobus illis verbis manavit, Hebraicum quidem ארע (pro ארת ׳ ארש), deinde vero Chaldaicum ארה ׳ ארע ׳ ארעא quocum coniunctum est ἔρα [2]), abbr. Ῥέα, Rhea, Ῥείη, cum dig. Freia [3]), Ἀργώ [4]), Ἄργη [5]), Er(d)e.

Iam vero venimus ad alterum huius deae nomen, quod proprie tellurem significasse videtur. Herodotus enim terram a Scythis. אפע ׳ Ἀπί, *Api* dictam esse ait [6]). Hoc vocabulum ab Iudaeis minus saepe usurpatum est; coniunctum tamen est cum אפר vel עפר *terra, pulvis, cinis.* Quamquam autem scriptores sacri hanc vocem ad significandam terram numquam adhibuerunt: tamen Iesaias Asseram deam semel hoc nomine nuncupavit. Is enim falsis vatibus iudicium interitumque indicens, futurum esse ait, ut cedri pinus aliaeque arbores, quas vel Asserae consecrarunt vel ex quibus vaticinandi instrumenta sumpserunt, a deo in solitudinem desertumque transferantur. Deinde eunuchos illos adhortatus est, ut futura praedicerent. Quodsi praenuntiata evenissent, sese concessurum eos esse deos. Tum indignatus de eorum turpitudine sancto quodam animi ardore exarsit ex eisque requisivit: *Vnde estis vos? unde hoc munus vestrum? scilicet Api abominatio est, quae elegit vos* [7]).

---

1) Strabo l. c.

2) Ab ἔρα, *voluptas*, *Venus*, duci potest ἐράω.

3) A Freia, *voluptas*, *Venus*, Freitag. Freien.

4) Navis, quum ut terra aquis sustineretur, ab illa nomen adepta est. Quidam ab ἀργός.

5) V. Herodt. 4, 35.

6) Herodt. 4, 59. Γῆ δὲ (ὀνομάζεται) Ἀπί.

7) Ies. 41, 24. Nomen אפע hoc loco temere vexavit Gesenius lex. s. h. v.

Graeci אפע hoc loco terram esse recte perspexerunt. Interpretati sunt enim hoc modo: ὅτι πόθεν ἐστὲ ὑμεῖς; καὶ πόθεν ἡ ἐργασία ὑμῶν; ἐκ Γῆς βδέλυγμα ἐξελέξαντο ὑμᾶς.

Sed nomen Api, quod de dea terra in libris Hebraicis semel tantum usurpatum legimus, in multis vocabulis propriis vel deorum vel oppidorum inesse videmus. Romani enim hanc eamdem deam *Opim* vocarunt eamque ut Asiani Saturni coniugem esse crediderunt. Terra ea quidem erat sed negari non potest antiquitus ei etiam Veneris vim naturamque esse tributam. Consecrarunt autem ei ab eiusque nomine appellarunt mensem *Aprilem* vel *Aphrilem*, quo mense ei bovem gravidam sacrificare solebant. Recentiori autem memoria, quum iam Romani eamdem esse Opim et Venerem ignorarent, tamen mensem illum Veneri sacrum a maioribus acceperunt [1]). Vt mensis nomen Apr-ilis, sic etiam Graecum Ἀφρ-ο-δίτη ab altera forma אפר deductum est. Iam vero Aegyptii iddem deae nomen posuerunt bovi, quem divinis honoribus affecerunt. Graeci autem eum geminato nomine Ἔπαφον (h. e. Ἄφαφον) nuncuparunt [2]). Iam autem deorum nomina ex Api multa fluxerunt, veluti Priapus, Argiope, Europe, Iphigenia, Sanapis, Serapis alia. *Priapus* enim cuius natura omnis munusque in eo versabatur, ut hortorum agrorumque fruges ac fructus significaret ac custodiret, nihil aliud est nisi פרי אפע, *fruges terrae* [3]). *Argiope* autem ex duobus nominibus constat, ex Arge ארעא et Opi אפע, valet autem iddem quod *voluptas* vel *Venus terra*. Huius filia erat *Europe*

---

1) Macrob. Satt. 1, 10. 11. 21.

2) Herodt. 2, 153. In eodem genere sunt etiam nomina *Eph-esus*, *Paphus* alia.

3) De h. deo v. Movers l. c. p. 661. s.

h. e. איר אפע, *lumen terrae*, quam lunam Astartam, terrae filiam, fuisse constat [1]). Eadem autem est *Iphigenia* h. e. filia Iphi, Opis, quod nomen est Dianae Tauriae inditum. Est enim pro אפע scriptura alia יפו, quod verbum utramque et Veneris (terrae) et venustatis significationem adeptum est. Nomen vero *Sanapis* [2]) iddem prorsus ducendum est, quod שן אפע, Dionysus terrae, Iupiter terrester, Dis, Stygius vel Pluto. Ac de his quidem nominibus satis dictum arbitror.

Sed, ut propositum, de eis locis disserendum est, ubi haec dea a Chananaeis Scythisque plurimum colebatur. Ac primum quidem locum Ascalon, ea urbs, sibi vindicat, quae a voluptatis signo nomen habuit. Ibi enim Astarta magis ob eam causam adorabatur, quod Opis filia habebatur, quam quod luna Venusque erat Coelestis. Nam quum difficile factu esset filiam a matre disiungere: utramque et lunam et terram eodem tempore unoque in fano colebant. Quae earum coniunctio eo facilior erat, quod utraque rebus venereis praefecta lasciva turpitudine delectabatur. Itaque Ascalonii earum imagines ita copularunt, ut Opi vel Derceti, quam partim feminam partim piscem finxerunt, Astartam imponerent. Nam Opim Ascaloniam ex homine et pisce conflatam fuisse, ex Ctesia retulit Diodorus [3]). Ex numis autem eiusdem urbis Astarta intelligitur matri institisse [4]). Sed ut columbae in hac urbe filiae, sic matri a sacerdotibus alebantur pisces [5]). Eiusmodi autem Astartae nomen indiderunt, quod, ut simulacrum, non tam lunam

---

1) V. Movers l. c. p. 509.

2) De nominibus *Canopus*, *Sarapis*, *Sanopis* v. Movers Colonn. p. 198. an. 143.

3) Diod. Sic. 2, 4.

4) Eckhel numm. l. c.

5) Diod. l. c.

ipsam quam illam eius ex Opi originem exprimeret. Vocabant enim eam, ut in Talmude Babylonico scriptum videmus, צריפא h. e. *filia Opis, Libera.* Sed totum locum adscribamus: *Templa idololatrica fixa haec sunt: templum Nebo in Cursu, Tirathae* (תרעתא) *Hierapoli, Zeriphae* (צריפא) *Ascalone et Nesri in Arabia* [1]. Arabicae urbis nomen *Nesri* corruptum est; pro eo restituendum *Bosrae.* Astartae enim eadem in ea urbe, quae Ascalone, vis ac natura tributa est. Nam ut ex Opi nata esse cognosceretur, eius capiti cornua bovis quae illius signa sunt addiderunt. Neque enim cornua Astarta a luna propter similitudinem, sed ab Api, a bove accepit propter originem. Quod quidem ita esse, ex eo apparet, quod ei saepius non cornua solum sed bovis caput integrum imponitur. Sed in his quidem urbibus Venus Derceto una cum filia colebatur; proprium autem eius fanum erat in urbe, quae ad mare sita ab ea nomen traxit. Quae quidem quum temporibus aliis aliter appellaretur, haud insolitum est, quod a geographis suum cuique nomini oppidum substituebatur. Nomen quo posteriores uti solebant, erat Ioppe, vel quod ad veritatem propius accedit, Iope, quod Gesenius *pulchritudinem*, Moversius *altitudinem* significare putaverunt [2]. Scriptum enim verbum est יפו. Sed neuter illorum verum invenisse videtur. Est enim hoc verbum a dea sumptum et ad Chananaeorum pronuntiationem accommodatum. Quodsi autem pro יפו et יפוא, utrumque enim exstat, Hebraicum אפע et אפעה posuerimus meminerimusque litteram ע sicuti κ vel γ pronuntiatam esse: intelligemus, quomodo Iope et אפק. Ἀφὲκ et אפקה Ἀφεκά, Ἀφακὰ vocari potuerit. Nomina quidem eadem

1) Avodah Zara fol. 11, 6.

2) Ges. lex. s. h. v. Movers נפה Colonn. p. 176. an. 73.

esse facile perspicitur. Sed videamus de ipsis urbibus. Iope quidem in libro Iosue nisi uno loco scripta non invenitur: *Arecon cum termino qui respicit Ioppen* [1]), quod sane mirum est. Quum autem urbes non expugnatae, ut Sidon, ut Tyrus, tamen Israelitis attribuerentur, prorsus explicari nequit, quid sit, quod Iope nulli omnino tribui assignata videatur. Erat enim in finibus eorum, qui ad mare usque pertinebant. Et profecto, filiis Aser, qui litus obtinuerant, Apheca data esse legitur [2]). Apheca igitur et Iope inter se differre nequeunt. Haec autem urbs, etsi est rege privata, tamen quum in alta rupe posita [3]) deaeque templo [4]) ornata esset, in Amorraeorum potestate remansit [5]). Quare consentaneum erat, ut haec eadem etiam tribui Iudae adscriberetur [6]). Sed quum, Iosue regnante, a Iudaeis numquam vi capta esset, primum quidem in Philistaeorum, postea ut Scythopolis in Syrorum ditionem venit. Erat autem sita in colle edito ad planitiem magnam et ad constituendam aciem idoneam. Quare factum est, ut et Philistaei ibi bis, copiis coactis, contra Iudaeos pugnarent, et Syri vel potius Idumaei Damasceni proelio facto in eam urbem refugerent [7]). Vt Apheca, sic etiam Iope posita fuisse traditur ad magnam planitiem aptissimamque ad pugnandum [8]). Haec autem et magnam silvam et Carmelum montem possedit tantumque valuit, ut cum vicinis oppidis exercitum quadraginta millium parare atque

1) Esr. 3, 7.
2) Ios. 19, 30.
3) Strabo Geogr. 16, 2, 28.
4) Ios. Antt. 14, 4, 4.
5) Ios. 12, 18. 13, 4. Iudicc. 1, 31.
6) Ios. 15, 53.
7) I. Regg. 4, 1. 29, 1. III. Regg. 20. 26.
8) Ios. Antt. 13, 4, 4.

alere posset [1]). Quodsi igitur nomen situm naturamque loci consideraverim, illud mihi videar haud improbabiliter coniicere eamdem fuisse Iopen et Aphec vel Aphecam. In ea autem Opis cultum viguisse Plinius ait, cuius haec sunt verba: *Ioppe Phoenicum, antiquior terrarum inundatione ut ferunt. Insidet collem praeiacente saxo. . . . Colitur illic fabulosa Derceto* [2]). Iam vero haud difficile est ad diiudicandum, ea urbs, de qua nos diximus et Aphaca, cuius mentionem faciunt scriptores Christiani, eademne fuerit an diversa. Illa enim posterior iacebat ad torrentem Adonim habebatque lacum sanctum nomine Boeth [3]). Sozomenus eam collocavit ad Libanum, περὶ τὸν Λίβανον [4]). Quod si verum est hanc Aphacam ad eum montem positam fuisse quem nos Libanum dicimus: ne cogitari quidem potest, eam sacris litteris commemoratam esse. Neque enim illud novum quiddam aut singulare habet, duas fuisse in Phoenicia urbes, quarum utraque et ad torrentem [5]) nec procul a maiori monte (Libano, Carmelo) sita fuerit, utraque etiam Opis vel Veneris cultum ab eaque iddem nomen Aphaca [6]) habuerit. Nam ex hac ipsa re causa perspicitur, quid sit, quod altera postea non Apheca sed Iope nominari coepta sit.

Priusquam a Palaestina discedam, dicere oporteat, quomodo Asserae turpes religiones fraudesque eunuchorum, quos Graeci corybantes vocabant; in sanctam Iudaeorum gentem irrepserint. Sed haec qui discere avet, apud Moversium legat doctissime exposita.

---

1) Strabo l. c.
2) Plin. h. n. 5, 4. *Ceto* codd. *Derceto* recte Forbenius.
3) V. Movers Phoen. I. p. 666. s.
4) Sozom. h. e. 11, 5.
5) Iope ad torrentem Ios. Antt. 13, 4, 4.
6) Ἀφακά, LXX. Ios. 15, 53.

Iam igitur Idumaeos sequentes ad Syriam veniamus. Ibi Assera tanto in honore fuit, ut omnino dea Syria appellaretur. Locus autem, ubi celeberrimum eius erat fanum, ab ea vocata est Ba(m)byc–e, h. e. באפע vel באפק *ad Opim*, vel mutatis litteris ב in מ, ע in ג, מאפג vel מפג. Hoc postremum nomen in Talmude Babylonico l. c. exstat. Graeci autem eam Hierapolim nominabant. De ea quidem scribit Strabo: *Quattuor schoenorum spatio trans flumen (Euphratem) est Bambyca, quam Edessam et Hierapolim vocant. In ea Syriam deam Atargatem colunt* [1]; Lucianus quum Hierapolitanae deae simulacrum describit, *eam multa signa habere* ait *cum aliis deis communia. Eam enim manu altera gerere sceptrum, altera fusum, in capite portare radios et turrim* [2]. Primum quidem matrem eam omnium ac reginam declarat sceptrum. Deinde vero fusus eam significat – id quod feminae sacerdotes in eius templis faciebant – lanam tractare ad implicandos phallos. Radii autem sursum versum reclinati monstrant, *radiorum vi superne missorum enasci quaecunque terra progenerat* [3]. Aedificia denique oppida urbes ab ea portari, turris indicat in capite posita. Sed varia erant huius deae insignia. Eius simulacro leonem veteres adiungere solebant tamquam animalium regem aut bovem, propterea quod in eo summa sunt robur labor utilitas. De leonibus quidem Macrobius, *sub eodem Adargatis simulacro*, inquit, *species leonum sunt eadem ratione terram*

---

1) Strabo 16, 1, 27. *Σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν.* Eisdem fere verbis de ea Plinius 5, 19: *Bambyce, quae alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog (Mabug vel Mapog). Ibi prodigiosa Atargatis, Graecis autem Derceto dicta colitur.*

2) Lucian. de dea Syr. §. 32.

3) Macrob. Saturn. 1, 23.

esse monstrantes, qua Phryges finxere matrem deûm id est terram leonibus vehi [1]. Sed Cybelae [2] etiam a Romanis leones additos esse videmus [3]. Quoniam autem terra non modo gignit animantia omnia sed etiam alit, corpus eius mammarum multitudine operiri solebat. Apud Gronovium imagines quattuor sunt deae Opis multis mammis praeditae manibusque leonem tenentis [4]. Sed fortasse quispiam miretur, quod haec dea piscis caudam abiecisse ac repudiasse videatur. Sed considerandum est, quaenam sit natura pulchri artisque leges quid postulent. Nam artifices, quum ex homine et pisce conflari venustam figuram non posse perspicerent et tamen arti ac naturae deae satisfacere vellent, feminam aut in animali marino sedentem finxerunt aut simulacro eiusmodi figuram addiderunt. In statuis Florentinis dea quaedam est [5], quam adhuc Dianam Ephesiam habuerunt. At vero eam esse Opim, plura sunt, quae indicent. In eius enim vestimentis, quae tripartita sunt, primum quidem huius deae liberi sunt Apollo et Diana, deinde vero tres gratiae, quibus cum Opi vel Venere maxima est necessitudo, denique dea ipsa marino hirco insidens, qua quidem re duplex eius declaratur piscis hominisque natura. In nummis Florentinis [6] item quaedam Demeter est; eius caput ornatum calatho; ad utramque partem duo genii cum facibus, qui vel sol et luna sunt habendi vel etiam cupidines, ad eius pedes itidem femina

---

1) Macrob. l. c.

2) Vt Dionysi nomen Βάκχος vel Ἴακχος a clamore ἰακχεῖν, sic Κυβέλη, ut videtur, ab instrumento κύμβαλον.

3) V. Mus. Flor. Gemm. 96, 7, 9. Thes. Gemm. antt. Asteriff. I. tab. 5, 6. Lucernae fictt. mus. Passerii I. tab. 16. all.

4) Gronov. thes. VII. p. 364.

5) Mus. Flor. statt. tab. 20.

6) Mus. Flor. numm. tab. 72, 1.

est equo marino imposita, quae hanc deam priscam Dercetem esse ostendit.

Sed ut ad rem revertatur oratio, in media Asia altera erat urbs ad Physcum amnem a Tigri quattuor dierum iter disiuncta, quae nomen Ὦπις aperte ab hac dea accepit [1]). Sed vix dubium est, quin pluribus locis huius deae simulacra altaria fanaque fuerint. Tantam enim eius religio vim habuit, ut omnes in tota Syria pisces consecrarent neve quisquam eos aut interficere aut vesci auderet [2]).

Iam vero Idumaei et Amalecitae ad Pontum Euxinum deducti, Herodoto teste, huius deae fanum habuerunt in monte, qui inter Borysthenem et Hypanim intererat. Huic loco nomen fuisse Ἀπά-τ-ουρος h. e. *Opis mons*, ex Strabone compertum habemus [3]).

Iam autem a Rhea, quae in silva vitam egit ob eamque causam Silvia nominata est, ut Romani, sic etiam Scythae originem suam ducere solebant. Nam de Scytharum generatoribus Graeci Pontici narraverunt, Herculem, quum boves Geryonis quaereret, venisse in regionem silvestrem, in Ὑλαίην, ibique reperisse in spelunca quadam subterranea feminam ancipitis naturae, cuius corporis altera pars esset hominis, altera autem a coxis anguis. Cum illa eum convenisse, ac genuisse filios tres Agathyrsum Gelonum Scytham, qui earumdem gentium patres auctoresque essent. Haec quidem illi [4]). Feminam illam deam terram esse, mea quidem sententia, et ex eius domicilio liquet et ex corpore. Nam quum illa ex

1) Xen. Anab. 2, 4, 25. Iddem cadit in Ἆπιν, quod oppidum erat in Libya. Herodt. 2, 18.

2) Xen. Anab. 1, 4, 9. Athenae 8. p. 346.

3) Strab. Geogr. 11, 2, 10.

4) Herodt. 4, 8. ss.

aquis in terram transiret, piscis cauda in caudam anguineam non potuit non converti. Hanc autem deam sub terra in antro vel in ipso inferno habitare, etiam Aegyptiorum erat opinio. Nam Isidem, quam itidem Apollinis Dianaeque matrem putabant, cuique Busiri Gallorum more turpissimos festos instituebant, a Rampsinito rege dicebant in inferno esse visitatam [1]).

Priusquam de hac dea disputandi finem faciamus, haud alienum est, de deis terrestribus, quos Graeci χθονίους vocant, breviter dicere.

V.

De Dite et Proserpina.

Veteres soli et lunae propria posuisse et nomina et signa, quibus maximam eorum cum terra coniunctionem exprimerent, iam supra a nobis significatum est. Haec quidem signa, verendum non fuit, ne prave intelligerentur ab eis, qui opinionem illam de coelestium deorum ex terra origine aut primi invenerunt aut penitus perspexerunt. At vero Graeci et Romani quum eiusmodi deos ex Asia acciperent, quomodo illam coelestium cum terra consanguinitatem comprehendere ac retinere potuerunt? Quid? lunae Opis cornua, soli autem calathum h. e. oppida et urbes imponere, nonne inauditum, nonne absurdum est? Omnino autem illi tanta erant animi subtilitate atque elegantia, ut eisdem deis non modo contrarias partes sed ne plures quidem facile tribuerent. Quare factum est, ut ab eis Dianae Iunoni Minervae, quae omnes a luna minime differunt, sua cuique vis ac natura adscriberetur, earumque munera et officia certis

1) Ibid. 2, 171. cf. 2, 61. 2, 156.

definitisque legibus circumscriberentur. Eadem ratione commoti sunt, ut duarum partium, quas Asiatici terrae assignaverant, alteram Veneri darent alteram Cereri relinquerent. Soli igitur quum arctissima cum terra coniunctio esset, relicto coelo, in terram ad inferos descendendum fuit. Qui quum coelestibus ex sedibus decessisset, a se impetrare non potuit, quin sororem germanam lunam ad se rapere conaretur. Ita quidem intelligitur evenisse, ut sol ac luna et in coelo lucerent, et ut Dis et Proserpina dominarentur apud inferos. Sed ut haec accuratius perspiciantur, inde a nominibus horum deorum et signis notisque repetendum est.

Lunam igitur, ut a terra originem trahere diserte exponerent, appellabant aut צריפא *liberam filiam terrae* aut אור אפע *Europam lucem lunam terrae* aut etiam, ut Ephesii, abiecta syllaba prima, simpliciter Opim. Quum primum nomen illud *Zerapha* ad pronuntiandum longius esset, Asiatici eius prima parte *Zara, filia*, uti solebant. Eosque secuti sunt Graeci et Romani, quum Proserpinam Κόρην *Liberam* dicebant. Sed quum vocis vis a priore parte *Zer* ad alteram *Apha, Api, Opi* delaberetur, fuerunt, qui vel Proserpinam vel Dianam Ephesiam Opim nominarent. In insula quidem Delo Arge et Opis, ut opinor, tamquam mater et filia, ut pro certo affirmare possum, tamquam duae diversaeque deae carminibus ceremoniisque celebratae sunt [1]). De Diana autem Ephesia poeta quidam apud Macrobium [2]) hoc modo:

Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν.

Cum his lunae nominibus mirum ad modum congruunt ea, quae soli Diti indita sunt, *Serapis, Sanapis* vel *Sinopis, Ser* et *Apis*. Serapis iddem est quod זר אפע

1) Herodt. 4, 35.
2) Macrob. Saturnn. 5, 22.

filius, liber terrae; Sanapis autem ut supra diximus, iddem quod שׁן אפע *sol terrae* [1]). צִיר *Ser* autem nihil aliud nisi *Liber, filius.* Denique ut Opis Proserpinae, sic *Apis* Ditis nomen mutilatum est.

Iam vero signa, quae primum matris propria ac pecularia fuerant, ea post matri et liberis communia esse coeperunt. Ita quidem cornua, quae Opis insignia erant, quum Astartae tum vero Libero tributa sunt, et ea quidem in Asia bovis, in Africa capri. Et mammarum multitudo, quamvis in virgine inepta esset, tamen ex Iside [2]) ad Dianam Ephesiam delata est [3]). Quemadmodum autem calathus Serapi, sic lotus, quae Opi convenit, etiam Proserpinae est imposita. Haec quidem vera esse, facile ex antiquis simulacris potest perspici. Etenim in Mus. Flor. Gemm. tab. 53, 8. Serapis est radiis et calatho, in tab. 53, 7. etiam capri cornibus ornatus, quibus signis ipse et sol et filius terrae vel et coelestis et terrester esse declaratur. Iam in tab. 54, 4. Serapis calathum ferens et Proserpina lothum; quorum ne dubitari de natura posset, alteri solis signum, alteri lunae appositum est. Graeci igitur quum hunc deum et solem esse et matris nomine insignibusque donatum viderent, duplicem eius vim ac naturam ita diviserunt, ut coeleste regnum Apollini, terrestre autem imperium Plutoni vel Diti adiudicarent. Eisdem autem rationibus commoti

---

1) Vt Samys et Camys vel Camos, sic Sanapis et Canapis.

2) Macrob. Saturnn. 1, 20.

3) Hieron. ep. ad Eph.: *Dianam πολύμαστον colebant Ephesii.* Minuc. Fel. Octav.: *Multimammia etiam Diana Ephesia depingitur.* Mammas deae suae absurde adiunxisse Ephesii recentiores videntur. Nam antiqua statua aurea virginis et bellatricis erat. (Xen. Anab. 5, 3, 13.). Mus. Flor. numm. tab. 49. 3. figura sedens; canis venatorius, ex quo venatrix cognoscitur; anguis (Macrob. Satt. 1, 20. *Salus naturae lunaris effectus est*); luna plena adiuncta.

Dianae coelum, Proserpinae terram ad habitandum regnandumque concesserunt. Fuisse tamen tempus, quum Diana et Proserpina, Pluto et Iupiter eidem essent, nulla umquam delevit oblivio. Nam Dianam etiam ex veteribus nonnulli Proserpinam habendam dixerunt. Sed huius rei illud potissimum testimonium est, quod haec dea Iovis ex Cerere filia sororque Liberi dicebatur. Iddem vero in Plutonem cadit, qui Saturno Opique natus esse putabatur.

Iam vero ut de fanis horum deorum apud Amalecitas breviter dicamus, totius huius cultus metropolim Sinopen fuisse demonstravit Moversius [1]). Nam quum haec urbs antiquitus mercatura commercioque omnium maxime floreret, hinc Alexandriam et Canopum in Aegypto, hinc Babylonem et in Asiam Serapis veneratio delata est. Erat autem cum Serapi coniuncta Proserpina [2]). Sinopen vero ab Idumaeis Damascenis esse conditam, ex eo colligitur, quod veteres eam vel Assyriorum h. e. Syrorum vel Cimmeriorum h. e. Scytharum coloniam esse tradiderunt [3]). Erant ad Pontum Euxinum alia huius dei fana ac templa, quae nominatim afferre longum videtur.

Postremo animadvertendum est, terrae et Proserpinae cultum ab Idumaeis sive ex Syria in insulam Delum sive ex Scythia esse translatum [4]). Ex Delo autem eam religionem quum Graeci tum Athenienses receperunt, qui quotannis matri (μητρὶ) et filiae (κούρῃ) laeta solemniaque agere solebant [5]).

---

1) Movers Colonn. p. 197. ss.
2) Tac. Hist. 4, 83.
3) Herodt. 4, 12. V. Movers Phoen. Alterth. I. p. 375.
4) Herodt. 4, 35. Inde Delos Σκυθίας vocata est.
5) Id. 8, 65.

VI.

De igne vel Vesta Iovis matre atque Cereris.

Quamvis pravitate morum veteres vitaeque turpitudine impediti sint, quominus rerum creatarum fines animo menteque transgrederentur atque ad creatorem mundi cogitando pervenirent: tamen ultimum finem quemdam primumque principium, ex quo reliqua omnia essent orta, statuerent necesse fuit. Hoc rerum vel deorum omnium principium primo quidem Asiaticarum religionum inventores, multo post philosophi quidam in Vesta dea vel in igne positum esse arbitrati sunt. Nam Vestam et Scythae omnium coluerunt plurimum [1]) et Babylonii deorum matrem esse praedicarunt. Eius autem natura omnis cernitur in igne, quem, quamquam ante coelum fuisse dico, tamen mihi coelestem vocare liceat. Sed signum, quo hanc deam praesentem esse cognoscerent, non simulacrum quoddam sed ignem terrestrem esse voluerunt. Quamobrem ad hanc potissimum deam referendum est, quod Herodotus *nisi Martis Scythas simulacra aut delubra solitos facere* negat [2]). Sed paulo post Vestae quod in terris erat signum ipsum recipere in deorum numero eique locum alterum tribuere placuit. Nam ignis terrester quoniam et in terra inest et interdum ex ea erumpit, idoneam hanc cum terra consanguinitatem consecutus est, ut filius illius, vel, quum Vestae nomen sexumque retineret, filia haberetur. Ita quidem factum est, ut coelestis Vesta terrae esset mater, terrestris filia. Sed veniamus ad nomina.

---

1) Herodt. 4, 59. Θεοὺς μὲν μούνους τούςδε ἱλάσκονται, Ἱστίην μὲν μάλιστα.

2) Herodt. l. c.

Ignem dicebant Hebraei אֵשׁ· Quam vocem, si Chananaei Vestae feminae accommodare voluerunt, in אִשָּׁה vel אֵשֶׁת immutarent necesse fuit. Ab hac forma posteriore ducenda sunt duo illa, quae apud Graecos ac Romanos erant, huius deae nomina Ἑστ-ία et Vest-a [1]).

Sed Scythicum huius deae proprium nomen est Ταβιτί, *Tabiti* [2]). Quod quidem nomen טבת mensibus inditum videmus, et Hebraeorum quidem mensi decimo [3]), Aegyptiorum autem primo; nec hoc immerito. Quoniam enim Vesta coeli et terrae ob eamque causam omnium deorum est mater aestimata ac procreatrix: idcirco aequum fuit, ut ab ea potissimum mensium numerus inciperet. Sed illa de re sanctum audiamus Hieronymum: *Decimus mensis*, inquit, *qui Hebraeis appellatur Tebeth, est apud Aegyptios* Τύβι, *apud Romanos Ianuarius* [4]). Neque vero in mensium nominibus solum Scythicum illud invenitur, sed etiam apud eum prophetam, qui plurima nobis conservavit et propria deorum vocabula. Etenim apud Iesaiam hoc iddem nomen ita scriptum exstat: תפתה *Taphthe* vel *Tavthe;* quod ut de Vesta intelligamus, omnis sententiarum ratio postulare videtur. S. Hieronymus eum locum sic interpretatus est; *Praeparata est enim ab heri Tapheth, a rege praeparata profunda et dilatata. Nutrimenta* (Hebr. *pyra*) *eius ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam* [5]). Sed nisi fallor, in antiquissimo Iudicum libro nomen טבת non, ut Gesenius aliique fecerunt, ad ignotam urbem, cuius alia in libris

---

1) Vt ἐράω ab Ἔρα, sic ab Ἑστία verbum ἐσθίω et a Vesta *vastare* fluxisse putamus.

2) Herodt. l. c. Ὀνομάζεται δὲ σκυθιστὶ Ἱστία μὲν Ταβιτί.

3) Esth. 2, 16.

4) Hieron. ad Ezech. 39, 1.

5) Ies. 30, 33.

sacris nulla usquam mentio est, sed ad hanc ipsam deam Vestam referri oportet. Sententiarum enim haec est coniunctio. Madianitae atque Amalecitae a Gedeone cum electa illa trecentorum virorum manu noctu imprudentes oppressi partim se ipsi inter se trucidant, partim in Bethsetta et in crepidinem Abelmehula fugiunt. Sed illi a Gedeone excitati nocturnoque timore percussi, quo potissimum confugisse putandi sunt? Ad quem locum alium quam ad fanum eius deae, in cuius tutela sese laedi ne ab Israelitis quidem posse confidebant? Ad Vestam autem eos contendisse verba ipsa declarant: *Immisitque dominus gladium in omnibus castris et mutua se caede truncabant, fugientes usque ad* (עד, ἕως) *Bethsetta et crepidinem Abelmehula in Tebath* (על־טבת, LXX: ἐπὶ Ταβάθ) i. e. *ad Vestam* [1]). Praeterea in libris sacris aliud huius nominis vestigium indagare nullum potui. Verum Babylonii, nisi Graecum recusare testem volumus, hanc eamdem omnium deorum matrem crediderunt, eodemque, quo Scythae, nomine nuncuparunt. Nam Graecis litteris nomen scriptum est: Ταυθὲ, *Tavthe* [2]). Quodsi a Graecis pro β saepius υ et vicissim β pro υ adhibitum esse consideraverimus: nihil prorsus esse fatebimur, quod inter Ταυθὲ et Ταβ(ι)τὶ (טבת, תבתה) differre videatur. Ac de nominibus satis dictum.

Quod Asiatici Vestam omnium rerum principium habuerunt, quaedam etiam huius opinionis significatio in Graecorum proverbio est: Ἀφ' Ἑστίας ἄρχου. Romani autem Asiae gentibus in eo assensi sunt, quod ignis na-

---

1) Iudicc. 7, 22. s.

2) Eudem. ap. Damascium vit. Isid. Phot. p. 258. Τῶν δὲ βαρβάρων ἐνίκασι Βαβυλώνιοι μὲν τὴν μίαν τῶν ὅλων ἀρχὴν σιγῇ παριέναι, δύο δὲ ποιεῖν Ταυθὲ καὶ Ἀπασῶν, τὸν μὲν Ἀπασῶν ἄνδρα τῆς Ταυθὲ ποιοῦντες, ταύτην δὲ μητέρα θεῶν ὀνομάζοντες.

turam purissimam et ad profanas res purgandas aptam iudicarunt. Quamobrem Vestam putarunt esse virginem, eiusque sacerdotes, quae Vestales vocabantur, in perpetua permanere virginitate iusserunt. Sed in eo etiam Romanorum quaedam cum Scythis consensio est, quod omnium deorum maxime Vestam precari venerarique solebant. – Quoniam Scythae hanc deam in igne focoque ubique praesentem adorasse, neque altaria aut templa ei consecrasse videntur, ad proximum locum, qui est de Marte et Neptuno, progredi possumus.

VII.

De Marte et Neptuno.

Quum Graeci Romanique Martis vim ac naturam ad bellum potissimum vastationemque referrent, nos ab eis docti iddem facere consuevimus. Sed sciendum est, eos hunc quoque deum ab Asiaticis assumpsisse. Quare quod iam in aliis deis observavimus, iddem in Marte factum est, ut quum Asiatici deo uni plura munera et quasi officia tribuerent, Graeci singulis rebus singulos deos praeficerent. Etenim ex veteribus de Asiaticorum Marte testimoniis luce clarius est, eum a sole omnino non differre. Quare quem deum in hac disputatione vel Martem vel Herculem vel aliis nominibus nuncupabimus, nullum alium eum esse nisi solem, tenendum est.

Veteres Chaldaei, quum adorarent solem eumque lumen purissimum coelestemque ignem esse putarent, signum eius ignem fecerunt terrestrem, quo certe nihil ad eius naturam indicandam accommodatius erat, nihil aptius. Sed quum homines ita generati sint, ut in eis rebus, quae sensibus percipiuntur, haereant, eas autem quae a sensuum perceptione remotae sunt, difficilius sequantur: Chaldaei signum et rem ipsam inter se confun-

dentes ignem terrestrem eadem, qua solem, veneratione afficere coeperunt. Praeterea quae ignis absumebat, ea a deo ipso recipi in eiusque naturam commutari crediderunt. Quo quidem ex errore illa orta immanitas est, ut parentes sine ulla commoti animi significatione liberos igni comburendos traderent. Ossa autem relicta sacerdotes in sacra quadam cista solebant colligere summaque in veneratione habere. Sed huic deo nemo igne consecrari debebat, quin aut infans esset, aut innocens atque ab omni macula vacuus esse videretur. Quare confirmatae aetatis homines mactati sunt, non concremati. Sed humana natura, quum opprimi ad tempus posset, deleri autem ad perpetuitatem non posset, et a nefasta hac crudelitate et a deo ipso abhorrere coepit. A sole praeterea, ut plurima bona, sic etiam maxima mala hominibus accidere solent, ut repentinae mortes, pestilentia siccitates et eiusdem generis alia. Quare hunc deum torvae naturae dirique animi esse putarunt eique hominum interitus, agrorum vastationes, aedificiorum urbiumque exustiones omniaque mala quae ex bellis exsistunt adscripserunt. Sed quamvis ab eius inhumanitate maxime fugerent, tamen eum, quum vererentur, revereri ac placare, ubicumque vel ipse vel eius simile quiddam apparuit, numquam destiterunt. Ac primum quidem in igne, in fulminibus tempestatibusque praesentem eum adesse censuerunt. Inde hic hominum millia decem clamando i. e. tonando superare dicitur. Deinde vero astrum illud, quod in primis igneum est, huic consecrarunt ac vel Martis vel Herculis stellam (πυρόεις) nominaverunt. Tum autem animalia, in quorum colore igneum quiddam cernitur, ei sacra haberi iusserunt. Eiusmodi sunt leones et asini, quorum alteros Hebraei *igneos*, alteros *rubros* vocarunt. Denique flammam libidinum cupiditatisque ardorem, quem in hominum de-

pravata natura ceterisque animantibus inesse sentiebant, ad eumdem retulerunt. Itaque quem primum purissimum deum coluerunt, ei postea non modo turpitudinem omnem consecrarunt sed etiam incesta nefariaque stupra ab eo facta laudaverunt. Atque haec eadem causa fuit, cur ei belluas, quae aliis plus habere cupiditatis viderentur, ut canes, ut sues, gallos, sacros esse statuerent. Signum quidem notaque eius erat ignis, insignia autem vel faces simulacris statuisque adiunctae vel columnae in templis aut foris positae.

Quod de sole vel Marte diximus, iddem ad lunam pertinet. Nam huic deae virgini, quum similis vis ac natura in omnibus rebus tribueretur, ei etiam ignis consecratus atque a virginibus in templis custoditus est. Quare abiecto lunae nomine et natura, haec eadem dea altera Vesta coli coepta est.

Iam ut superioribus locis fecimus, de nominibus disseramus, qua quidem ex disputatione statim elucebit, inter solem et deos eos, quibus Martialem aut igneam naturam tribuerunt, discrimen esse nullum.

Primum quidem facile patebit, solem spoliatorem, cuius diversa nomina supra proposuimus, omnino esse Martem. Sive enim nomen eius sive naturam proprietatesque considerare volumus, eum cum Marte Asiatico omnino congruere videbimus. Quapropter ab hoc loco non alienum est, nomen unum ad ceterorum numerum adiungere, quod vocabulo Og omnino respondet. Est autem nomen Arabicum *Aud*, quod Dschauhari in veteris cuiusdam poetae versu ad nos retulit: *Iuravi per Aud sanguine conspersum et per columnas Sair* [1]). Moversius haec nomina ita explicavit, ut Aud Saturnum,

---

1) Pococke p. 101. ss.

Sair ignem esse diceret [1]). Sed Arabes ut pro Agag Adad sic pro Og עוג dixerunt Od vel Aud. Hebraei autem hoc nomen scripserunt אהוד, Graeci 'Αώδ. Hunc autem eumdem esse ac solem vel Dionysum non negabit, qui ea legerit quae Herodotus de Arabum iureiurando, de sanguinis effusione, de huius et lunae deorum invocatione tradidit [2]). Sed haec quidem hactenus.

Priusquam ad nomina nova enumeranda accedamus, eis, de quibus supra diximus, quaedam alia vocabula addenda sunt, quae proprie quidem *lucem* vel *ignem* h. e. solem significant, deinde autem a Graecis Romanisque ad Martem delata sunt.

Appellabant igitur, ut supra dictum est, Amorraei deum hunc אור vel אר *lumen, ignis,* ex quo a Graecis dictus est Ἄϱ-ης. Sed est nominis illius antiqua forma מאור *Mavor* et מאר *Mar, lux, ignis,* unde a Romanis idem deus vel Mavor-s vel Mar-s vocatus est.

Iam vero apud Moabitas hic Deus nomen habuit אריאל 'Αριήλ, quod Gesenius *leo dei,* Moversius autem *lux, ignis dei* interpretatus est [3]). Est enim vocabulum illud iddem quod אראל vel ארתאל *lux ignis dei,* quo nomine Arabes uti diximus. Ex altera autem scriptura ארעל, immutata littera ע in ק, natum est ארקל, 'Ηϱακλ-ῆς, Hercul-es [4]). Vtriusque igitur et Martis et Herculis nomen ad solem spectare, manifestum est.

Quoniam Chaldaei solem primi sub ignis specie coluisse videntur, iuste concludimus, solem igneum omnium fuisse Chaldaicarum gentium deum patrium. Erant autem Chaldaei praeter eos, qui in media Asia habitabant, Moa-

1) Movers I. p. 338.
2) Herodt. 3, 8.
3) Genes. s. h. v. Movers l. c. p. 334. ss.
4) Aliter Herculis nomen explicavit Movers l. c. p. 336.

bitae, Ammonitae, et Abrahami posteri Israelitae Idumaei Arabes. Ac Moabitarum numen domesticum, cuius in sacris libris saepius mentio est, fuit כמוש Χαμώς Chamys. Quod numen quam vim naturamque habuerit, ex nomine ipso perspicuum est. Nam vocabulum illud, ut iam supra notavimus, nihil aliud est quam שמוש h. e. *sol*, immutata littera ש, x, in כ, k, ch secundum Moabitarum pronuntiationem. Vt autem, abiecta ultima syllaba, ex שמוש manavit שם et שן, sic ex כמוש nomina illa nondum recte intellecta כם *Cham* et כן *Chon*. Hae quidem formae breviores in multis vocabulis reperiuntur, ut in Can-opus (Sanapis), Apollo Chom-aeus, Baal-Chom aliis. Iam vero Moabitae et Ammonitae quum inter se originis patriaeque societate essent devincti, consentaneum est, eos eumdem etiam coluisse deum. Ac semel quidem in Iudicum libro Ammonitarum deus patrius vocatur Chamys [1]), in Regum autem libris מלכם Melchom, quod a Graecis semel et iterum redditur *βασιλεὺς αὐτῶν*. Qua quidem re Moversius commotus coniecit hunc deum ab Ammonitis ipsis vocatum esse מלכן *rex noster*, ab aliis autem מלכם *rex eorum* [2]). Quae quidem mihi coniectura ingeniosior videtur esse quam verior. Quoniam enim et Chamys Melchom [3]), et rursus vicissim Melchom Chamys appellatur; quasi necessaria conclusione eo adducimur, ut verba duo מלך כם h. e. *rex Cham, rex sol* pronuntiandi celeritate in unum redacta esse dicamus. Vocabant etiam scriptores sacri hunc deum simpliciter מלך Μόλοχ *rex*, in qua voce conservata antiqua pronuntiatio est. Sed huius nominis commemoratio orationem ad vetustissimam Israelitarum

1) Iudicc. 11, 24.
2) Movers l. c. p. 323.
3) Ierem. 49, 3.

superstitionem adducit. Hunc enim deum Israelitae in Aegypto venerati sunt, hunc in deserto coluerunt eiusque insignia secum portare non destitere, ad hunc eumdem semper a deo vero consueverant desciscere. Moversius inter Chananaeorum et Ammonitarum deum et rursus inter hos et eum quem postea Israelitae in valle Hinnom coluerunt, discrimen esse statuit. Chananaici quidem dei naturam ex sacris litteris ita definivit, ut *eum* diceret *esse deum igneum, cui liberos per ignem traducendo concremandoque consecrassent, ad hoc ignem ipsum, qui liberos illos consumpsisset* [1]. Haec quidem definitio vera est sed manca. Nam dum simulacrum signumque dei complecti conatur, ei accidit, ut deus ipse effugere videretur. Erat enim Moloch, id quod mihi quidem probatum est, et antiquissimis et recentioribus temporibus unus idemque deus coelestis, sol, signum autem eius ignis terrester, simulacrum vero statua hominis, impositis cornibus bovis vel etiam capite. Quam quidem naturam Moversius Molocho natu minori tribuit, quum eumdem eum esse ac Dionysum dictitat. Huius sententiae argumenta quaedam adscribamus. Primum quidem probabile non est, quoniam hic deus unum semper nomen habebat, eademque liberorum exustione colebatur, eum in duos vel tres deos vi et natura inter se diversos partiendum esse. Quum autem deum recentiorem solem vel Dionysum fuisse constet, non possumus, quin veterem Moloch eiusdem naturae fuisse teneamus. Deinde vero quum Arabes, quum Idumaei, quum Moabitae, Ammonitae, omnes denique, qui Israelitis sanguine cognati erant, solem deum proprium ac suum colerent, haud consentaneum est putare, Israelitas falsum deum

1) Movers l. c. p. 327.

patrium alium habuisse quam solem. Tum bovis vel caput vel cornua eum fortem et Opis filium ac continuo ipsum solem declarant. Denique homines principio ignem per se colebant sed quod vel eum putabant a sole fluxisse vel eo ipsum solem intelligi volebant. Postremo scriptores sacri Moloch et ignem inter se seiungere ac distinguere solent, ex quo debet cognosci, illum nec deum fuisse ignis terrestris nec ignem ipsum. Ac de hoc quidem nomine satis diximus.

Iam vero proprium Martis in Asia nomen erat אדר. Quod quidem Marti impositum esse, recte ex eo collegerunt, quod mensis Adar cum Martio omnino congruit. Sed hoc nomen ad quem deum proprie spectet, facilius, quam quid significet perspicitur. Existimavit quidem ex lingua recentiorum Persarum Moversius, hoc verbum etiam apud Assyrios Chaldaeosque iddem valuisse quod *ignis* [1]). Sed de antiquissimae vocis significatione ex posterioribus linguis certi quidquam aut veri coniicere difficile factu est. Quare ut quid hoc verbum valeat ratione ac via indagemus, ab explorata eius vi ac significatione proficiscendum est. Significat igitur אדר primum quidem *magnus amplus*, deinde *validus fortis potens*, tum *venerabilis maiestate praeditus* etc. Quodsi autem quis miretur, quomodo Asiatici solem vel Martem simpliciter *magnum* vocaverint; vel commemorare possim ea, quae Arabes Idumaeique de huius dei maiestate iudicaverint, vel afferre, Romanos Iovem appellasse optimum maximum, vel etiam ad Moloch h. e. *regis* nomen illud mirifice esse aptum. Sed haec videntur esse supervacanea, quoniam via alia est, qua quo tendimus facilius pervenire possumus. Est enim in Regum libris mentio dei cuiusdam,

---

1) Movers l. c. p. 323. et 340. ss.

cui Sepharvai liberos suos comburendo sacrificabant [1]), quemque ob eam causam oportet eumdem ac Moloch existimari. Quam de eo sententiam comprobari etiam nomine posse puto, quod utrumque et Adar et Moloch complexum continet. Est enim אדרמלך· In hoc verbo significatio vocis Adar quaenam sit nos fugere omnino non debet. Moversii sententiam si sequeremur, qui Adar *ignem*, Melka(n)der autem *regem ignis* esse putavit: dicere oporteret Adarmelek iddem esse atque *ignem regis*. Sed eumdem deum tum Melkadar tum Adarmelek nominatum esse satis exploratum est. Ex quo perspici potest, Adar non substantivum esse sed adiectivum. Verum quid multa? Est enim אדר מלך iddem prorsus quod ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας, i. e. *rex magnus*. Iddem autem adiectivum inest in verbo אדרגזר i. e. *iudex magnus*, qui aliis iudicibus praeest. Persae vero, immutato litterarum ordine pro Adarxerxes dixerunt Artoxerxes ארתשרש, quod nomen Herodotus recte videtur explicasse. Xerxes enim significare ait ἀρήιος, Arto-xerxes vero μέγας ἀρήιος [2]). Erat autem Adarmelek primum quidem Martis vel solis appellatio, quam postea, ut reliqua deorum nomina, reges sibi arrogaverunt. Quemadmodum autem pro Melek-Chamys breviter vel Melchom vel Chom dixerunt, ita pro Melkadar vel Adarmelek simpliciter *Adar, magnus potens*. Haec quidem de nominis significatione.

Sequitur, ut de variis eius formis dicamus. Quum enim deus Adar a Chaldaeis, ab Idumaeis Chananaeisque coleretur, atque a primis illis ad Medos Persasque deveniret, pronuntiandi discrepantia magnam formarum varietatem creavit. Primum quidem plena huius nominis forma

---

1) IV. Regg. 17, 31.
2) Herodt. 6, 98.

erat אדיר vel אדור, apud Chananaeos usitata. Philistaei enim timore perterriti, *Venit deus*, inquiunt, *in castra. Quis nos salvabit de manu dei Martis* vel *deorum Martialium* (אדירים) *istorum* [1]? Iam vero altera forma erat אדרעי, qua uti antiquitus Amalecitae solebant. Ex hac ortae sunt Chaldaicae formae mutata littera ע in ך, חדרך [2]) et שדרך [3]) et אדרך, quod Medi et eos qui secuti sunt Persae pronuntiaverunt דריך Δαρίηκ-ης [4]) vel דריוש, quem nos Graecos secuti Dareum dicere solemus. Neque vero ignoro, qui Herodoto in his nominibus explicandis interpres fuit, eum Darei vocabulum ita explicasse, ut illud a חדר ἔργω ducendum atque iddem quod ἑρξίης valere diceret [5]). Sed eius me non movet auctoritas, propterea quod nummum ab eo אדרכון nominatum esse video. Sed quoniam nomina Chaldaica ad Persarum linguam accommmodata illustrare coepimus, duo alia eiusdem generis explicare iuvat, praesertim quum ad hunc deum pertinere videantur. Traditum enim a Graecis est Cyri nomen significare *solem*, Xerxis vero *mavortium* [6]). Quoniam autem eumdem solem esse ac Martem constat, sequitur, ut verba illa non re sed pronuntiatione inter se differant. Quare non verendum erit, ne audaciae in his rebus arguamur, si a כמש mutata littera liquida כרש et a שמש eadem mutatione facta א־חשורוש A-xerex vel Xerx-es vel Cyaxar-es ducendum esse dicemus.

Denique breviter disputandum est de nomine נבו Ναβαῦ, Nebo. Quod quamquam soli vel Marti datum esse pro certo affirmare non ausim, tamen non dubito

---

1) I. Regg. 4, 8.
2) Zach. 9, 1. terra Adrach h. e. Persis.
3) Zach. l. c. LXX Σεδράχ. Dan. 1, 7.
4) Strabo 16. s. f. Τὸν Δαρίηκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν.
5) Herodt. l. c.
6) Herodt. l. c. Plut. Artax. 1, p. 1012. Etym. M. s. h. v.

quid mihi in mentem venerit, aperire. In nominibus Chaldaicorum regum verbum Nebo coniunctum est cum Adar vel Azar, ut in Nabo-n-azar, Nabo-pol-azar, Nabo-col-azar, aliis. Quoniam igitur Chaldaei deum Nebo *magnum* appellabant, haud improbabile est hunc deum apud Chaldaeos fuisse Martem. Nomen autem eius videtur esse iddem quod *clamator clamosus*, quod quidem ad Martem clamantem haud ineptum est. Ac quae nomina huic deo fuerint, satis mihi docuisse videor. Iam ubi ei templa posita sint, quaerendum est.

In vetere Amalecitarum regno oppidum erat magnitudine ac celebritate Bosrae proximum, quod nomen accepit a Marte. Vocatur enim in Hebraicis libris אדרעי. Quod verbum est plurale pro אדרעין vel אדרעים, Ἐδραΐν vel Ἐδραΐμ. Sic enim interpretes Graeci semper et legerunt et scripserunt [1]. Haec urbs primum quidem tribui Manasse assignata est [2]: postea vero venisse in hostium potestatem videtur. Ex nomine Martem ibi cultum esse pro certo aestimare possumus. Appellatur autem a Ptolemaeo et Eusebio Ἀδρά [3]. Sita erat in Arabiae provincia, quae vocabatur Batanea.

Moabitae huius dei fanum habebant in ea urbe quae ab illo vel Ar vel Ariel vel Areopolis nominatur, quamque a Rabbat-Moab haud differre ex Stephano compertum est [4].

Ammonitae vero hunc deum sine dubio in urbe sua colebant, quae Rabbath-Ammon et eadem, si veterem testem audimus, Philadelphia nuncupata est [5]. Ibi etiam

1) Numm. 21, 33. Deut. 1, 4. 3, 1. 10. Ios. 12, 4. 13, 12. 31.
2) Ios. 13, 31.
3) Euseb. de situ et nomm. s. v. Ἐδραεί.
4) V. Movers l. c. p. 384. et Relandi s. h. v.
5) Acta Sanctorum Iunii 4. p. 476. Φιλαδελφία τῆς Ἀραβίας ἥτις ἐν τῷ νόμῳ Ἐμμὰν κέκληται.

lectum conservabant regis Og ex ferro factum, cubitos latum quattuor, longum novem [1]).

In Palaestina vix dubium est, quin ab eodem deo nomen invenerit et Adora vel Adoraim [2]). vel Eder [3]) quae modo a Iudaeis modo ab Idumaeis occupata est.

Denique Doram urbem maritimam nomen דור ab hoc eodem deo habere suspicor. Ibi enim celebre cuiusdam dei templum fuisse, compertum ex eo habemus, quod in numis haec urbs Δῶρα ἱερὰ appellatur. Erat autem posita ad radices Carmeli in terra, quae linguae vel peninsulae speciem habebat. Vnde verisimile est, Scythas, quum ad Pontum Euxinum venissent, ibi non temere aut fortuito locum huius simillimum elegisse, deoque Adar dedicasse. Locus autem ille nomen obtinuit Δρόμος Ἀδάρ vel Ἀχιλλέως. Ex quo nomine perspicuum est, eos in ea sententia fuisse, ut Achillem a Marte vel sole non differre arbitrarentur. Quae quidem eorum opinio etiam ex eo cognoscitur, quod eum deum, qui cum Diana Taurica eodem in templo colebatur, Achillem esse dixerunt. Martis autem religio maxime in eis locis viguit. Quare nihil habet dubitationis, quin Thraces huius dei cultum ex septentrionalibus locis assumpserint. Quin etiam Romanos quum alios deos tum Martem aliunde accepisse, non tam futilis est opinio, quam videtur esse eis, qui superstitionem hanc omnem a Graecis hominibus inventam esse volunt. Venisse enim vel ex Asia colonos vel ex Scythia Hyperboraeos in Italiam eosque Romam vel condidisse vel conditam incoluisse, negari nisi temere non potest. Etenim obscura

1) Deut. 3, 11.

2) Ἀδωρά et Ἀδωραίμ Fl. Ios. Antt. 8, 10, 1. 13, 9, 1. aliis locis. II. Parall. 11, 9.

3) Ios. 15, 21.

illa multisque probata de Aenea fabula; quid aliud testatur, quam coloniam ex barbaris, ex Semiticis populis et eis, qui Graecorum hostes fuerant, in Italiam Romamque esse deductam? An hanc fabulam omnino fictam commenticiamque esse nihilque continere veritatis iudicabimus? Quid vero? quod quum aliorum deorum, tum Opis Martisque nomina, quod Romuli Remique ex Rhea Silvia origo ad Scythas omnino spectant, nonne haec declarant colonos illos ex Scythicis venisse regionibus? Quid de Romano Dianae Ephesiae templo loquar, quod Livius inclytum scribit fuisse iam regnante Servio Tullio [1])? Quid? de Vestae cultu, de sancto igne, de Saliis Vestalibusque virginibus, quae Romanis erant cum Scythis communes? Quod praeterea Romani ludos vel festos dies mortuorum ex Scythia deprompserunt eosque nominarunt Taurios, nonne indicat, etiam posterioribus temporibus eis quamdam fuisse cum Chersoneso coniunctionem? Martem autem quum hi ipsi in eis regionibus natum esse tradiderint, quae ultra Thraciam sitae sint, ex Scythia eum allatum esse Romam quis negare potest? Quae et multa alia qui diligenter cum animo suo reputaverit, aut veteres religiones aptas inter se et cohaerentes esse omnino negabit aut concedat necesse est mirum quoddam esse inter populum Romanum Scythicasque gentes vel familiaritatis vel consanguinitatis vinculum.

De Martis apud Scythas festo alio loco disputabimus. De cista autem sacra reliquisque rebus, quae ad huius dei cultum pertinent, legi possunt ea, quae accurate et subtiliter scripsit Moversius [2]).

Denique non praetermiserim ea nomina, quae Martis appellationibus Moloch et Adar respondent, etiam lunae

---

1) Liv. 1, 45.
2) Movers l. c. p. 355. ss.

imposita esse. Vocabatur enim *regina* מלכת vel *regina coeli* atque אדרה Ἀζαρά.

Priusquam disputandi finem faciamus, de Neptuno pauca dicenda sunt. Herodotus eum deum non ab omnibus Scythis sed a regiis tantummodo cultum esse ait. Cuius rei quae fuerit causa si quaerimus: vix alia potest indagari, quam quod reliqui Scythae a mari abstinebant, regii autem fortasse propter pristinam cum Phoenicibus coniunctionem navigationi operam dabant. Neptuno autem, Herodoto teste [1], apud illos nomen erat Θαμιμασάδα-ς h. e. תמ-ימא שׁדי *deus maris potentissimus*. Illud תם, quod iddem est ac תמוז et proprie *solem Dionysum* significat, nos reddidimus *deus*.

Quoniam de omnibus Scytharum deis disputavimus, ad ea quae investigare potuimus oportet respicere omniaque paucis verbis comprehendere. Primum quidem, id quod summum est, deorum fana et quasi vestigia secuti ex Idumaea et Palaestina in Syriam, ex Syria in Armeniam Scythiamque pervenimus. Eosdem tribus illis locis invenimus deos, pares superstitiones, aequales denique turpitudines. Praeterea neque deorum apud Scythas nomina, neque religiones illorum ceremonias consuetudinesque ignota esse sacris scriptoribus cognovimus. Vnde gravissimum argumentum consecuti sumus, Scythas non venisse, ut de recentioribus quidam putarunt, ex India, sed ex Idumaea atque ex Syria in regiones septentrionales esse traductos. Originem praeterea patriamque falsorum deorum fines esse Chananaeorum Amorraeorumque vidimus, unde ista pestis profecta per Asiam Europamque manavit. In Graeciam autem atque in Italiam non Aegyptiorum quies ac segnitia supersti-

---

1) Herodt. 4, 59.

tiones illas transtulit, sed quum Phoenicum et Syrorum commercium tum maxime Scytharum errores atque expeditiones. Quemadmodum igitur Iudaei veram dei notitiam sanctamque religionem, ipso deo et iubente et adiuvante conservarunt: sic contra Idumaei studium omne operamque in eo collocarunt, ut plurium deorum fraudem, fabularum commenta, superstitionum turpitudines, quam celerrime possent, ad omnes gentes perferrent. Vt autem Idumaeorum Iudaeorumque generatores ex matre una nati sunt: sic ex una eademque terra Chanaan et tenebrae profectae hominum mentes erroribus obruerunt, et lux orta est dissipatisque tenebris omnium animos laetissimo veritatis splendore collustravit.

FINIS LIBRI PRIMI.

MONITVM AD LECTOREM

Maxime mea interest, ut quae *de plurium deorum cultu in universum* diximus recte intelligantur fixaque in lectorum animis haereant. Itaque locus, unde ad *Excursus* exordium respiciatur, nullus mihi fine libri videtur esse aptior. Principio igitur ibi in eo versati sumus, ut sanctum Paulum (Rom. 1, 21. ss.) secuti superstitionis originem eis causis explicaremus, quae ductae ex animo psychologicae vocantur. Sunt enim aliae quoque diversaeque huius rei causae, quae a libri Sapientiae (13, 2. 3. 14, 15.) auctore atque a sanctis patribus afferuntur. Sed quoniam id nobis causarum genus, quae in animo sitae sunt, tractandum sumpsimus, primum p. 263. ad peccatum Adami impietatem posterorum ita putavimus referendam, ut unum utrorumque crimini subesse principium probaremus. Neque enim ad peccatum referenda unitas est sed ad principium. Nam toto coelo inter se differunt primi patris praevaricatio et posterorum delicta. Deinde ea quae sequitur pagina conati sumus ostendere, quam difficile factu sit, ut qui ex oblivione Dei in impuritatem delapsi, inde autem sese ad superbiam erexerint, animo oreque Deum esse affirment, quem re factisque negare non desinunt. Nam ex incontinentia arrogantiae coniuncta summae nascuntur difficultates, quominus homines duobus illis vitiis dediti Deum creatorem suum iudicemque confiteantur et rite colant; quamquam divina identidem misericordia efficitur, ut ad adorandum Deum virtutesque colendas revertantur. De hac superstitionis causa v. S. Athanas. orat. c. gentt. 8. ss. S. Theophil. episc. Alex. c. Origenistt. ep. pasch. 1. Bibl. Patrr. t. 5. p. 844. D. Thom. Aqu. Summ. 2. 2. q. 4. a. 4.

NIHIL OBSTAT

P. D. Carolus Vercellone Sodal. Barnab. Procurator Generalis
Censor Deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi Bussi Archiepiscopus Iconien. Vicesgerens.